
BIBLIOTECA NAZ.
163
A
7
NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
A
7
NAPOLI

JOANNIS A LASCO

OPERA

ACCEDIT VITAE AUCTORIS ENARRATIO.

JOANNIS A LASCO

OPERA

TAM EDITA QUAM INEDITA

RECENSUIT

VITAM AUCTORIS

ENARRAVIT

A. KUYPER

THEOL. DOCT.

TOMUS SECUNDUS.

AMSTELODAMI, APUD FREDERIC. MULLER. | HAGAE-COMITUM, APUD MARTIN. NIJHOFF.

1866.



JOANNIS A LASCO

OPERA

TAM EDITA QUAM INEDITA

DUOBUS VOLUMINIBUS COMPREHENSA

COLLEGIT, AD FIDEM VETUSTISSIMARUM EDITIONUM,
UT ET CHARTACEORUM CODICUM EMENDATE
EDIDIT, COMMENTATIONEM CRITICAM
PRAEMISIT



A. KUYPER
THEOL. DOCT.

VOLUMEN II.



AMSTELOD. EX TYPOGRAPHEO VIDUAE H. F. BAKKER ET FILII.

II.

OPUSCULA LITURGICA ET SYMBOLICA.

CONSPECTUS.

F O R M A

AC RATIO TOTA ECCLE-
siastici Ministerii, in peregrinorum, potissimum vero Germanorum Ecclesia: instituta Londini in Anglia, per Pientissimum Principem Angliae etc. Regem EDVARDVM, eius nominis Sextū: Anno post Christum natum 1550. Addito ad calcem libelli Priuilegio suae Maiestatis.

AUTORE IOANNE à LAsco Poloniae Barone.

Cum breui etiam (in Epistola nuucupatoria) calumniarum quarundam refutatione: quae falso aduersus ipsum, in Martiniani cuiusdam apud Bremeñ. Pastoris farragine inspersae habentur.

Psalm. 140.
Vir linguax, non dirigetur in terra: Virum iniquum, malum uenabitur ad praecipitium.

[FRANCOFURTI AD MOENAM
Anno MDLV.]

SERENISSIMO

EIDEMQUE POTENTISSI-

mo Principi et Domino, Domino Sigismundo Augusto, Dei gratia Regi Poloniae, Magno Lituaniae duci, Russiae, Prussiaeque totius, ac Mazoviae etc. Domino: Domino meo Clementissimo. Amplissimoque illius Senatui, et omnibus praeterea Regni Ordinibus: Dominis ac Patronis meis, pariterque et fratribus summa cum observantia colendis.

MAGNA est iampridem multorum querimonia, Rex Serenissime, Amplissimi Proceres atque Ordines Regni totius! non extare usquam plenam ullam Ecclesiastici totius ministerii formam seu descriptionem, quam praesertim certum esset, a primaeva illa post Apostolos Ecclesia unanimiter observatam fuisse. Enimvero si quae eiusmodi extaret (inquiunt), facile sane ad illam cuivis liceret omnino quam proxime accedere, in ea potissimum nostri nunc tem-(a 2a)poris Ecclesiarum restitutione, et tolli praeterea possent magnae multorum dissidiorum ac praeiudiciorum occasiones. Atque haberi quidem sciunt multa, sub veterum Ecclesiae patrum nomine, quae huc magna alioqui ex parte pertineant, sed ea fere obiter carptimque attacta, atque ita varie etiam sparsimque tractata, adhaec pleraque supposititia esse vident, ut non facile se quisquam ex illis expediat, nedum ut certa aliqua ex iis forma aut facies Ecclesiastici totius ministerii colligi ullo modo sine contradictione constituique possit. Ego vero hanc talem querimoniam, non ineptam modo, sed plane etiam, hoc potissimum tempore, superstitiosam esse puto, neque temere id a nostris ita maioribus obiter carptim varieque ac sparsim literis mandatum esse statuo, sed singulari proculdubio divinae providentiae consilio, atque eam inprimis adeo ob causam, ut huius generis quaerimoniae omnes retunderentur. Ac primum, est sane hoc extra omnem controversiam

positum, eam esse aeternam prorsusque immutabilem Dei Opt. Max. voluntatem, ut ipsum, non equidem nllis rationis nostrae (ϰ 2ᵇ) consiliis humanisve traditionibus aut vetustatis ullius exemplis, sed sola duntaxat verbi pactique sui divini custodia atque obedientia colamus [1]). Alium vero cultum omnem quamlibet receptum speciosum plausibilem ao vetustum, iu quo modo verbi pactique diviui sui custodia atque obedientia manifeste commonstrari non queat, Apostaticum plane [2]) et tam praeterea invisum Deo, quam est invisa ipsa Magiae impietas, denique et abominationem esse iu oculis Dei statuamus. Iam vero novit Dominus Satauam in hoc esse totnm, ab ipso primi usque Parentis nostri tempore, inque hoc studia ac consilia sua omnia et conatus omnes suos ponere, ut nos a divinae huius voluntatis suae obedientia modis omnibus abducat. Et uovit item, illnm id potissimum inter alia multa moliri, ut, ad elevandam scriptnrae sanctae autoritatem verbique iu illa divini fidem, humanas persuasiones doctrinas ao traditiones omnes, quae aut sine verbo Dei aut ex detortis illius locis contextae sunt, quibus omnino modis potest, ornet provehat et commendet, sive per insignes autorum (ϰ 3ᵃ) titulos et singulares praerogativas, sive per vetustatis nescio enius fidem, sive per ementitum Ecclesiae praetextum, sive per novas quasdam revelationes uovaque miraculorum genera, quae aut nullis omnino sensibus percipiantur, aut, si ullo modo percipiuntur, fidei interim analogiae reclament. Adhaec novit quoque Dominus nostram omnium, quicunque homines sumus, corruptelam, primi olim parentis nostri peccato in nos derivatam, qua fit, ut in rebus potissimum divinis humana nobis omnia, nescio quomodo, magis multo quam divina ipsa arrideant. Equidem si, nondnm violata olim naturae nostrae integritate, ea iam fuit in Adamo, primo nostro parente, propensio, ut humanae (uxoris inquam suae) persuasioni obsequi mallet, quam Dei ipsins voci ac praecepto, quod gravissimam alioqui commiuationem coniunctam habebat, — quanto magis iam nos huic malo obnoxios esse oportet sub naturae nostrae adnata nobis corruptela, sub qua uou modo uon affici rebus divinis, sed ue percipere quidem illa ex uobis ipsi ullo omuino modo possumus? nimirum, qui de (ϰ 3ᵇ) terra sumus, terrena duntaxat et sapimus et loquimur et amamus, ueque, nisi tracti, ad divina uos coelestiaque erigere conamur. Quid! quod ue tracti quidem ingeninm uostrum facile mutamus? sed nobis iuvitis etiamnum adhaerent per omnem vitam nostram pravi affectus nostri, qui nos, iam alioqui tractos, perpetuo interim ita transversos

[1]) Deut. 4. 12. Esa. 49. Mat. 25. Eze. 20. Iosue. 8.

[2]) Esa. 1. 30. 66. 1 Reg. 15.

agunt, ut nos plane ad nostrum interitum abrepturi hauddubie essent, nisi illos Dominus per Spiritus sui potentiam pro ineffabili sua misericordia in nobis cohiberet illorumque incitamenta aut sisteret exorta, aut, quominus exoriantur, arceret. Haec igitur omnia cum sint Domino Deo nostro longe perspectissima atque is nolit mortem peccatoris — nedum ut sub nomine orthodoxorum Ecclesiae suae doctorum tendiculas nobis necti voluerit unquam — divinae proculdubio misericordiae ac providentiae consilium agnoscere in eo debemus, quod, quae prisci olim atque orthodoxi Ecclesiae doctores de forma ac ritibus Ecclesiastici ministerii monumentis suis prodita reliquerunt, ita sane carptim varieque ac sparsim tracta-(a 4ᵃ)riut, ut in unam aliquam faciem, sine ipsorum contradictione, reduci haudquaquam possint; — atque ita rursum etiam tractariut, ut non praetermiserint ea, quae ad commendandam nobis Ecclesiastici ministerii dignitatem cultusque in illo divini puritatem, pro fidei suae mensura, intelligebant pertinere. Videmus quanta improbitate patrum autoritas passim urgeatur in rebus dubiis perplexis prorsusque absurdis, quibus ipsimet Patres verbis disertis repugnant, et quidem in iis ipsis monumentis suis, de quibus nulla unquam dubitatio fuit. Videmus item, quanta nobis impudentia sub ementito Patrum nomine pleraque obtrudantur, de quibus illi nunquam omnino cogitarunt, imo quae cum germanis ipsorum libris consistere non possunt. Eius sane rei tot sunt exempla, ut nullus fere sit classicus Ecclesiae doctor, cuius nomen monasticis nescio quibus ineptiis non praetexatur. Atque inter alia minime sane obscurum eius rei documentum in nostro hoc etiam argumento habemus, nempe in utraque illa liturgia, quarum altera Basilii, altera vero Chrysostomi es-(a 4ᵇ)se iactatur, in quibus voces quidem autorum nonnullas, e libris illorum desumptas, agnoscimus, ad quem modum graculi quoque voces humanas reddere solent; caeterum ipsa autorum monumenta liturgias illas falsi manifeste convincunt. Neque dubium est, nos fuisse habituros proculdubio liturgiam sub omnium simul Patrum nomine, parum impudentia nobis obtrusam, qua nunc Basilii illae et Chrysostomi liturgiae aeditae habentur, si non ita carptim varieque ac sparsim argumentum hoc a Patribus ipsis tractatum fuisset. Et, si ipsa Patrum autoritas (ipsis alioqui reclamantibus) ita nihilominus urgetur, ut gravi servitute Ecclesiam premat progressumque verae religionis remoretur, — quid futurum erat, si unanimi primaevae post Apostolos Ecclesiae consensu, in qua tamen ceremonias iam non prorsus superstitione sua caruisse videmus, certa aliqua Ecclesiastici totius ministerii forma constituta fuisset? Certe futurum erat, ut, etsi doctrinae Apostolicae reclamasset, nulla tamen Apostolicae doctrinae autoritate, ut nunc sunt tempora atque

hominum ingenia, (α 5ᵃ) rescindi posset. Non est igitur nobis accusanda in hac parte orthodoxorum Patrum negligentia, sed agnoscendum potius, denique et commendandum, beneficium Dei, qui id cavere voluit, pro sua in nos misericordia, ne Patrum autoritas vere unquam ac merito praetexi posset ad avocandum nos ab ea aeternae atque immutabilis divinae suae voluntatis obedientia (quod ad cultus sui divini ritus attinet), quam nobis ipsemet et plurimis et luculentissimis minimeque mendacibus verbi sui divini testimoniis patefecit. Gratularique omnino debemus Ecclesiae eam libertatem, quod nulla legitima alioqui Patrum autoritate in forma ac ritibus sui ministerii premi possit, quodque Patres illi, quam sibi ipsimet libertatem hac in parte permittebant, eandem post se nobis etiam relinquere voluerunt. Si placet Patrum autoritas, cur non pro summis Patribus nostris agnoscimus inque doctrina illorum conquiescimus, quos Deus ipse omnis sanae doctrinae, toto orbe terrarum, principes summos constituit, doctrinamque illorum (α 5ᵇ) tot tantisque donis prodigiis et signis confirmavit? et quibus imprimis Christus Dominus hoc tribuit, ut pro illis tantum oret, qui per ipsos in se credituri essent? Si nos fides vetustatis movere debeat, an non priores Apostoli Patribus in universum omnibus, quorum hic quidem autoritatem requiri videmus? An non et istis rursum vetustius verbum Dei, cuius autor est, non homo ullus aut Angelus, sed existens Ille aeternus in coelo inque ipso Patris adeo sui sinu, unigenitus inquam Dei filius — quanquam et hominis filius — Dominus et servator noster Christus Iesus? Si unanimis multorum consensus requiritur, cur non illius institutio atque exemplum nobis satis est, cui et Prophetae et Apostoli omnes, denique et Angeli et ipsemet Pater Deus, unanime modis omnibus testimonium perhibuerunt? Hic scilicet plus valere debebunt Patrum concilia? At vero haec conciliari prius oporteret, ut ex illis statui aliquid possit. Esto autem statuerint consentienter certi aliquid de observando uno duntaxat (α 6ᵃ) aliquo ministerii Ecclesiastici ritu, sive Patres privatim ipsi sive concilia, — an, quod semel statuissent, vel recipi protinus sine examinatione ulla, vel, semel receptum, observari iam ita perpetuo oportebit? Equidem ut in omni doctrinae Ecclesiasticae genere inprimis esse necessariam constat fidei analogiam, ita, cum ritus omnes cultus divini in Ecclesia (quatenus sane sunt mystici externaque ac visibili ceremonia constant) pars sunt quaedam doctrinae atque hoc etiam nomine verbi appendices, ipsumque adeo visibile verbum ac visibilis quaedam καταγγελία esse censentur, — dubium sane esse non potest, tam esse semper necessario spectandam in recipiendis observandisque mysticis omnibus divini cultus in Ecclesia ritibus fidei analogiam, quam

illam in omni doctrinae Ecclesiasticae genere observari omnino oportere videmus. Ea vero cum non aliunde etiam colligi petique possit, quam unde fidem ipsam oriri hauririque oportere docemur — nempe ex verbi divini auditu, quemadmodum Paulus docet —; certe, si in restituendis recipiendisque ac observandis (a 6ᵇ) cultus divini ritibus fidei nobis analogiam ante omnia, perinde atque in doctrina omni, observandam spectandamque esse fatemur, eadem sane opera fateamur necesse est, illam non aliunde petendam colligendamque esse, quam unde fidem ipsam peti haberique posse divino beneficio ab eodem ipso Paulo Apostolo audimus, nempe non ex hominum placitis traditionibusve ullis, multo minus ex vetustatis ullius praescriptionibus locorumve praerogativis, sed ex verbi potissimum divini auditu atque observatione. Et proinde in restituendis quoque recipiendisve aut observandis ritibus fidei nobis fontes potissimum intuendos esse, hoc est, ipsum verbum Dei, ut ad illud nostra demum omnia probemus; non autem ritus veteris Ecclesiae ullos, extra verbum Dei receptos atque usurpatos, etiamsi unanimi et Patrum simul et Conciliorum omnium consensu instituti essent. Quae vero in priscis Ecclesiae ritibus verbo Dei consentanea habentur, in iis sane amplectendis, non tam ipsam Ecclesiae consuetudinem (quantumvis receptam ac speciosam) quam potius verbum (a 7ᵃ) Dei sequimur, cui ritus illos inniti videmus; et quidem hactenus, quatenus illos ad Ecclesiae aedificationem pro temporum ratione facere constet. Ut enim in luce doctrinae ipsa sunt gradus quidam, iuxta quos ad perfectiora semper est progrediendum, ne aut infantibus cibum silidiorem forte, quam, ut ei transmittendo pares esse queant, aut adultioribus rursum lactis duntaxat potionem perpetuo offeramus — tametsi hic per omnem vitam nostram nonnisi ex parte et cognoscere et prophetare possimus — ita etsi cultus divini in Ecclesia ritus nunquam sane, dum hic vivimus, puri usque adeo esse possunt, ut non semper humanum aliquid adiunctum habeant, non tamen est semper immorandum receptis semel humanis ritibus, quos divinis alioqui institutionibus adiunctos proque temporum ratione usurpatos esse novimus, etiamsi illos cum publico Ecclesiae fructu observatos aliquandiu esse non ignoremus. Sed est danda opera semper, ut, quo nobis clariorem divinae cognitionis lucem per doctrinam Euangelii Dei beneficio affulsisse videmus, hoc etiam propius in restituendis cultus divini riti-(a 7ᵇ)bus ad puritatem Apostolicam in dies, sine praeiudiciis interim et cum pace Ecclesiae, accedamus. Hoc sane ab Apostolis ita factum legimus in tolerandis aliquandiu, deinde vero abrogandis Iudaicis plerisque ritibus, ubi iam omnibus propemodum post patefactam Euangelii lucem palam constaret, umbras illas Iudaicas cum luce hac amplius consistere

non posse. Hoc ipsum et Patres demum orthodoxi, alii post alios, faciebant, pro eo ac lucem doctrinae Euangelii magis ac magis sese diffundere passim, omnemque sive Iudaicam sive Ethnicam superstitionem lucis illius fulgore coargui propellique cernebant, donec Antichristiana Papismi tyrannis cornu suum attollere universamque religionem proculcare et divina pariter atque humana omnia sursum ac deorsum pro sua libidine miscere coepisset. Porro, ad quem modum negocii plurimum fuit ét Apostolis ipsis ét primaevae post illos Ecclesiae Patribus in arcendis a vero cultu Dei abolendisque item, ubi semel receptae quoquomodo essent, tam Iudaicis quam Ethnicis superstitionibus (nimirum eius Iudaei quidem verbi divini umbram qualencunque, Gentes vero Philosophicas mundi huius rationes (α 8ᵃ) pertinaciter obtendebant), neque in plebe tantum Ecclesiae, sed inter ipsos quoque Apostolos nonnunquam gravis incidebat disceptatio de Iudaicorum inprimis rituum abrogatione — quonam videlicet modo tempore aut loco abrogandi essent — id quod alioqui in Petri illa, ut alia taceam, a Paulo facta reprehensione liquido apparet, — ita ne nunc quidem mirum videri debet, post tantam praesertim universae religionis sub Papistica tyrannide deformationem, cultus divini omnis profanationem et ministerii totius Ecclesiastici adulterationem, si non in plebe tantum Ecclesiarum, quae doctrinam Euangelii sunt iam ex professo amplexae, sed inter praestantissimos quoque earum ministros non per omnia prorsus convenire possit circa notarum ac reliquiarum Papisticarum abrogationem, cum nihilo equidem minore, ne dicam maiore multo impudentia fastu ac pertinacia obtendi Papisticae impietati videamus verbi divini fucum, vetustatis praerogativam Patrumque item ac Conciliorum, denique et Catholicae Ecclesiae autoritatem, quam olim unquam (α 8ᵇ) a Sacerdotum Principibus Scribis et Pharisaeis Moses ipse Prophetaeque omnes adversus Christum Dominum ac doctrinam illius obtendebantur. Quanquam autem neque sine gravissimis adversariorum clamoribus, neque item sine domesticorum offensione, cultus divini ritus facile unquam repurgari queant, non ideo tamen hic cessandum est, sed adnitendum nihilo minus, ut aliquem progressum semper, tam in doctrinae quam in cultus divini puritate promovenda, pro nostra virili faciamus, modo ut ab infirmiorum offendiculis (quod in nobis quidem est) caveamus. Ac fieri quidem non potest, ut nemo in nobis offendatur, etiamsi summam hic cautionem adhibeamus, cum ne Christus quidem ipse Dominus praestare id potuerit, quominus plurimi in ipso offenderentur, quem sane in mundo hoc semper ἀντιλεγόμενον ipsumque offendiculi lapidem et petram scandali esse oportet. Sed hoc nobis est cavendum ne temere nostraque ipsorum culpa infirmioribus offendiculum prae-

beamus. Qua sane in re praeclarum etiam in Christo Domino exemplum simul (β 1a) ac documentum habemus, nimirum ut, quatenus ipsum vitasse offendicula legimus, hactenus illa nobis etiam vitanda esse statuamus. Porro quemadmodum dici vere omnine non potest, per Christum Dominum ullum omnino offendiculum datum esse, nisi si vaeh quoque illud, quod offendiculis datis adiunctum audimus, ad ipsum pertinere fateamur, — ita sane neque per doctrinam ipsius eiusve ministros (dum illi inhaerent) ulla etiam offendicula vere, utcunque tandem praetendantur, venire proculdubio possunt; modo ut palam constet, nihil usquam agi, quod non Christum Dominum autorem suum in verbo suo habeat, in quo nemo alioqui merito offendi aet debeat aut etiam possit. Priusquam igitur quicquam usquam novemus circa cultus divini in Ecclesia aliqua restitutionem, hoc nobis ante omnia est praestandum, si nulla offendiculorum culpa teneri volumus: *Primum*, ut palam toti illi Ecclesiae ostendamus, ea, quae amoliri cupimus, nullos omnino fontes legitimos in Christi Domini doctrina habere, quae quidem nobis sit per Prophetas ac Apostolos tradita, et proinde, ut omnem plantationem non (β 1b) a Domino plantatam, eradicanda plane esse, utcunque tandem autorum suorum titulis vetustatisve aut consensus perpetui dignitate exornentur. *Deinde* ut claros ac perspicuos in Christi doctrina fontes eorum omnium publice commonstremus, quae, temporum iniuria abolita, veluti postliminio rursum restitui atque in usum denuo revocari optamus. Ita fiet enim, ut nemo omnino in tota illa Ecclesia aut ignorantiam aut infirmitatem, vere alioqui praetendere amplius possit. Frustra sane ignorantiam quis praetexat iis, quae publice docentur, et non est infirmitatis nolle, vel reiicere quae approbare non possis, vel amplecti, quae improbare non queas. Infirmitatis est, non posse, quod velis, bonum, quemadmodum Paulus docet. Caeterum nolle amplecti, quod negare non possis esse bonum, atque, eo reiecto, velle interim retinere, quod te a Domino plantatum non esse fateri oporteat, — id vero non tam est infirmitatis iam, quam contemptus potius, cui se alioqui Christus Dominus, non equidem medicando, sed plane excaecando atque ita demum perdendo etiam, venisse testatur; et adeo non moratur talium offen-(β 2a)dicula, ut studio plerunque occasiones quaesiisse videatur, eos potissimum offendendi, qui suo contemptui infirmitatis excusationem Pharisaica hypocrisi sua obtendebant. Ab illorum igitur offendiculis et nos cavendum esse nobis intelligemus, quibus medicandis Christum Dominum, prolata verbi divini sui luce, venisse audimus, hoc est, qui extra Christum Dominum doctrinaeque suae lucem nihil se omnino, quod ad divina attinet, videre ullo modo posse agnoscunt, atque, hac sola luce per Christum Dominum prolata,

oculos protinus ad illam intendere pro sua infirmitate conantur, hanc unam expetunt, in hac conquiescunt, ad hanc unam referunt omnia, quaecunque undecunque in causa religionis proferuntur. Caeterum qui, exorta in Christo Domino luce non contenti, alias illi nescio quas, sive Patrum, sive Conciliorum peculiares lucernulas adiungere volunt, aut qui illas luci Christi Domini antepoount, — his sane excaecandis cum Christum Dominum venisse non ignoremus, equidem illos tanti facere non debemus, ut propter eos Christi Domini lucem (β 2b) tam in doctrina, quam in publico cultu ipsius, proferre infirmioribus (qui illam expetunt) ullo modo cunctemur, ne dicam detrectemus.

Haec ergo nobis etiam consilii nostri ratio fuit in restituendis cultus divini ritibus totaque adeo ministerii instauratione, posteaquam divino beneficio Ecclesiam nobis per pientissimum Principem atque aeterna dignum memoria, Eduardum, eius nominis sextum, Angliae etc. Regem, concessam haberemus. Cupiebat Rex ille Sanctissimus ita restitutam, quoad eius fieri posset, in universo Regno suo omnem plane religionem, ut nulla fere alia de re pro aetate sua sollicitus magis esset. Adhibebat in eius rei consilium, quos pietate eruditione ac iudicio aliis antecellere intelligebat, inter quos praecipuum habebat Thomam Craumerum, Cantoariensem Archiepiscopum, virum praeter insignem eruditionem ac pietatem ea quoque ingenii dexteritate prudentia ac morum gravitate praeditum (quae interim summam comitatem ac modestiam coniunctam habebat), ut haec omnia simul in illo sine magna profecto (β 3a) admiratione nemo facile intueri posset. Huius igitur hortatu cum ego quoque per Regem illum vocatus essem et leges quaedam patriae obstarent, quominus publici potissimum cultus divini ritus, sub Papismo usurpati, pro eo ac Rex ipse cupiebat repurgari protinus possent — ego vero pro Peregrinorum Ecclesiis sedulo instarem — ita demum placuit, ut ritus publici in Anglicis Ecclesiis per gradus quosdam, quantum per leges patriae omnino liceret, repurgarentur: Peregrinis vero hominibus, qui patriis hac alioqui in parte legibus non usque adeo tenerentur, Ecclesiae concederentur, in quibus omnia libere et nulla rituum patriorum habita ratione, iuxta doctrinam duntaxat atque observationem Apostolicam instituerentur; ita enim fore, ut Anglicae quoque Ecclesiae ad puritatem Apostolicam amplectendam unanimi omnium regni ordinum consensu excitarentur. Eius vero consilii Rex ipsemet pro sua pietate praecipuus non autor tantum, sed etiam propugnator fuit. Etsi enim id in Senatu Regio omnibus propemodum placeret, ipseque Cantuariensis Archiepiscopus rem modis omnibus pro-(β 3b)moveret, non deerant tamen, qui id moleste ferrent adeoque et reluctaturi fuerint huic instituto Regio, nisi Rex ipse, non tantum autoritate

sua restitisset, sed productis etiam instituti huius rationibus conatus eorum repressisset.

Concessis itaque Peregrinorum Ecclesiis et quidem ea lege seu libertate potius, ut in illis omnia iuxta doctrinam atque observationem Apostolicam instituerentur, cura illarum mihi Regia et Senatus autoritate committebatur iubebarque mihi collegas asciscere, quos ei ministerio aptissimos esse iudicarem, ut illorum nomina Regio Diplomati insererentur. Quod ubi factum esset nosque iam diploma Regium haberemus, et videremus eandem plane conditionem Diplomati ipsi disertis verbis insertam esse: cognitam ita haberemus mentem hac in parte et Maiestatis Regiae et Senatus ipsius: praeterea sciremus magnam esse omnium piorum de nobis in novo hoc nostro ministerio expectationem: denique moneremur etiam, ut non tantum propter ministerii nostri fidem (quam tamen in prospectu nostro semper et ante omnia habere debemus), sed propter adversariorum quoque dolos (β 4[a]) diligenter caveremus, ne quid omnino in nostris institueremus Ecclesiis, quod doctrinae atque observationi Apostolicae non proxime responderet, nimirum si quid aliter instituerenus, excidisse iam a facta nobis Ecclesiarum concessione videri possemus, qui conditionem alioqui nobis praescriptam inobedientia nostra violassemus, — haec ita, inquam, cum se haberent omnia, nostri sane esse officii existimavimus, ut praescriptam nobis conditionem, per se alioqui iustissimam, modis omnibus pro nostra virili sequeremur. Ne quid autem praecipitanter in re tanta ageremus, initio nihil aliud studuimus, quam ut Ecclesiae per publicas, tum Germanicas tum Gallicas, conciones colligerentur inque catalogos referrentur nomina omnium, qui sub alteratra Ecclesia censeri vellent. Crescente autem indies magis ac magis utraque Ecclesia, utrobique etiam Seniores sive Presbyteri atque item Diaconi constituebantur, ut illi quidem gubernandae nobiscum et cum collegis nostris alterutrius Ecclesiae curam sustinerent: isti vero colligendis ac dispensandis Eleemosynis praeessent. Mox (β 4[b]) communi assensu omnium utriusque Ecclesiae ministrorum ac Seniorum aedita est fidei publica professio, cuius potissimum nomine Ecclesiae ipsae colligebantur, atque haec explicabatur in publicis concionibus, ut ab omnibus intelligi posset. De instituendis vero cultus divini ritibus suspensa aliquandiu deliberatio fuit, donec populus doceretur, rituum varietate non scindi Ecclesias; hos enim temporarios esse atque Ecclesiarum aedificationi pro locorum ac temporum ratione servire oportere. Non eandem ubique Ecclesiis omnibus esse libertatem repurgandi protinus omnia, atque alicubi sine magno turbarum metu vix quidquam mutari posse. Praestare autem, aliquam Ecclesiarum restitutionem haberi, quam nullam, etiamsi quaedam inviti ferre cogamur. Proinde gratulandam esse

libertatem iis, qui illam adepti essent, sed et illos in omni charitate ferendos iuvandosque esse, qui, quo vellent, per temporum iniquitatem eluctari adhuc non possent. Horum ita visum est pluries ac diligenter moneri Ecclesias, priusquam de ritibus ullis instituendis quidquam om-(β 5ª)nino statueretur, ut illorum diversitas neque Anglicas postea Ecclesias offenderet et nostras item in servandae cum illis societatis officiis nihilominus retineret. Postea rituum forma quaedam conscribebatur, et, priusquam institueretur, coram Ecclesia tota per partes suas explicabatur scripturarumque testimoniis confirmabatur, facta etiam potestate omnibus, ut nos amanter admonerent, si qua parte sibi quispiam satisfactum non esse existimaret. Ita vero iam edocta Ecclesia, ut neque scissionem aliquam fieri intelligeret propter rituum varietatem et certa esset etiam nihil sibi observandum esse, quod doctrinae atque observationi Apostolicae non proxime responderet, — ventum est tandem ad ritnum quoque nostris Ecclesiis peculiarium institutionem. In quibus interim aliquam etiam varietatem inter nostras ipsorum Ecslesias retinuimus, exiguam quidem illam, et quae non cuivis esset conspicua, sed quae indicium tamen faceret, suam cuique Ecclesiae libertatem hac in parte constare. Eam porro ita parvam varietatem prosequnti hic undequaque non sumus, nisi sicubi (β 5ᵇ) id res ipsa visa est postulare, sed Germanicae potissimum Ecclesiae ritibus conscribendis operam dedimus, quod et illa a me id peculiariter peteret, et ego familiarius in illa etiam propter maiorem linguae usum versarer. Quicquid autem huius est, humilius quidem esse agnosco, quam ut sub Tuae Maiestatis nomine in publicum exire debuerit: videbar mihi tamen haudquaquam temere facturus esse, si hoc ipsum, quale quale est, Tuae inprimis Maiestati, deinde Amplissimo Procerum Tuorum Senatui atque omnibus adeo Regni Tui Ordinibus dedicarem. Primum enim debiti ipsa mei erga Te patriamque meam ratio a me id iure quodam suo flagitare iampridem videtur, ut meum in Vos studium atque observantiam aliquo meo eiusmodi officio contester, quo palam fiat (etsi a nostris istic ventrispiritalibus indignissime sum tractatus perque illorum tyrannidem peregre vivere cogor), nihil me tamen ideo unquam de fide observantiaque in patriam meam remisisse, sed id semper in votis habuisse atque etiamnum habere, ut, si ullo modo queam, patriae meae obsequi prodesse et gratificari cupiam, qua-(β 6ª)tenus id quidem tuta mea conscientia iuxta Domini Dei nostri voluntatem mihi liceat, cumque eo nunc sint loco res meae, ut praeterquam scribendo patriam a me meam iuvari aliter non posse videam, pro officio meo me facere puto, si quod pro mea tenuitate possum, praestare id etiam coner. Deinde huc me invitavit Tuae Maiestatis praedicata multis, et mihi ex parte

cognita etiam clementia atque erga veram religionem propensio quaedam, quam equidem in viris praesertim Principibus non commendari modo, sed magis ac magis indies etiam ex verbo Dei excitari convenient. Ad haec mihi animum quoque addiderunt, quae istinc ét per literas multorum ét per nuncios etiam adferuntur, nempe omnium fere animos, Antichristianae iam tyrannidis alioqui pertaesos, tanto istic amplectendae doctrinae Christi studio in eius Euangelio accensos esse, ut Tuam Maiestatem in publicis regni Comitiis eo ipso nomine unanimiter ab universo Nobilium omnium virorum Ordine appellatam esse audiamus, eoque plane, quod felix faustumque sit! spectare om-(β 6ᵇ)nia, ut spes sit brevi et istic expectandam esse per Dei gratiam Ecclesiarum restitutionem.

Huc vero cum labor omnis noster in hoc libello nostro inprimis pertineat et alicui forte usui esse etiam possit, non abs re me facturum iudicavi, si illum toti meae Patriae sub Tui nominis patrocinio assignarem. Atque est res sane digna summa piorum omnium gratulatione, sicubi Regnum Christi Domini in doctrina sui Euangelii reflorescere audimus; sed summa tum demum etiam diligentia ac cirsumspectione opus est, ne sub praetextu ac fuco Euangelii, aut novum rursus aliquod tyrannidis genus invehatur, aut sectis alioqui omnibus, atque ita demum Atheismo etiam, fenestra aperiatur, ad quem nunc maxima fere hominum pars nescio quomodo inclinare videtur. Haec sunt namque Satanae artes, ut, qua parte se id, quod cupit leonina, quod dicitur, efficere non posse videt, vulpinam sibi protinus assumat, hoc est, si aperta vi Christo Domino repugnare non queat, sectator quoque et ipse Euangelii atque etiam praeco illius videri velit, quo tandem fraudulentius nego-(β 7ᵃ)tium suum agat. Ita equidem cum Papismi impietatem magis notam esse iam videt, quam ut vel excusari revera ullo modo vel etiam dissimulari possit, aegre quidem illam patitur aboleri, atque adeo non praetermittit quidquam, quod ad eam tuendam ullo prorsus modo pertineat, sed quia intelligit diuturnam esse non posse eius defensionem, incipit et ipse Papismum per suos quosdam accusare; sed huc spectat interim, ut vel tyrannidem tyrannide commutet proque uno illius capite multa obtrudat, vel, adducta in odium Papistica tyrannide universam simul etiam Ecclesiae gubernationem, inprimis vero legitimum in illa ex verbo Dei disciplinae usum, invisum modis omnibus reddere inque Papisticae tyrannidis parte statuere atque ita demum malorum omnium licentiam atque impunitatem inducere conetur. Vidimus sane iam minime obscura utriusque istius conatus initia, et quidem iis potissimum locis, quibus doctrina Euangelii iampridem insigniter praedicata fuit. Nimirum verissimum est, quod vulgo dici solet, Satanam nusquam alibi maiore

conatu sacella sua erigere, (β 7b) quam ubi Christo Domino templum instrui videt. Videmus multis iam decerni parem cum Apostolis ac Prophetis in doctrina religionis tradenda autoritatem, quae sola res omnibus omnino sectis ac dissidiis occasionem dedit omnemque adeo tyrannidem in Ecclesiam invexit. Videmus e regione rursum, multos sibi permittere quidquid omnino libet, atque adeo aversari omnes sive privatas sive publicas admonitiones omniaque Ecclesiarum iudicia, ut liberum plane atque impune esse velint, quidquid omnino doceant. Atque utrobique interim praetexitur Euangelium, cum non alia res magis Euangelio adversetur. Hic utrobique igitur magna opus est diligentia ac circumspectione, ut uterque hic Satanae conatus circa religionis instaurationem reprimatur. Cumque non alia ratione ulla aut melius aut etiam facilius reprimi possit, quam legitima Ecclesiarum gubernatione, quam autore spiritu sancto ab Apostolis institutam atque observatam legimus, per ministerii Ecclesiastici diligentem ac fidelem administrationem, nosque ad illam, quantum omnino potuimus, proxime in libello hoc accedere co-(β 8a)nati simus, — putavimus, operam qualemcunque hanc nostram patriae quoque nostrae non inutilem fore. Postremo, quoniam gravissimis, sed iisdem etiam iniquissimis quorundam calumniis ac praeiudiciis, doctrinam ministeriumque ac nomen nostrum gravari praeter meritum nostrum videmus, qui sibi veluti novi quidam Catones e coelo nescio quo delapsi esse videntur, ab istorum sane calumniis, doctrinae nobis ministeriique nostri fidem ac nominis item existimationem apud Tuam imprimis Maiestatem patriamque simul meam vindicandam esse putavi libelli huius nostri testimonio, qui doctrinae alioqui ministeriique nostri fidem, quam pro nostra tenuitate praestare potuimus, non obscure, uti spero, contestabitur, et Diploma Reginum, illi ad calcem adiunctum, tuebitur nominis nostri existimationem. Quanquam autem certo confidam fore, ut nostra hac in parte innocentia Catonum istorum omnium praeiudicia maledicendique impotentiam ad extremum pudefaciat atque infamet per gratiam Dei, visum est tamen hic obiter nostram innocentiam Tuae Ma-(β 8b)iestati et piis omnibus approbare.

Duo sunt, quorum nomine potissimum a *Farraginum* nescio quarum fartoribus (si Superis placet!) ét accusamur simul ét condemnamur. Alterum quod in Ecclesiastico ministerio Dei ipsius opus proprium in ministri opus non transferamus. Alterum, quod in coenae Dominicae elementis realem, ut vocant, corporis et sanguinis Christi delitescentiam iuxta naturalem ipsius subsistentiam non statuamus. Hic vero clamatur: o coelum! o terra! Alioqui si hic assentiremur, protinus sanctissimi ac terque quaterque Euangelici et orthodoxi haberemur. Nos porro nullius nos hic novi dogmatis vel autores vel sectatores

esse dicimus, sed tradita ab aliis nova quaedam dogmata immoderatamque illa tacendi pertinaciam, cum inquissimis praeiudiciis coniunctam, accusare nos profitemur, et quidem id facimus ea mansuetudine ac modestia, ut rem quidem non dissimulemus, quemadmodum sane non debemus, sed neminem proscindamus interim, nedum ut quenquam omnino controversiae huius nomine damnemus, imo vero hono-(γ 1ᵃ)rem etiam iis, qui a nobis dissentiunt, libenter deferimus, qui in Christi Ecclesia piis omnibus deferri consuevit; et de omnibus, quae nos offendunt, iamdudum expetimus pia modesta et Christiana, sive privata sive publica, colloquia, nostraque omnia legitimis ex verbo Dei Ecclesiarum iudiciis ultro subiicimus. Interim vero Catonum istorum censura a Christi Ecclesia (si furiis placet!), denique et a focis ipsorum excludimur ac diris omnibus devovemur, nisi quod efficere id non possunt, ut non alium adhuc iudicem habeamus, ante cuius tribunal olim, tam ipsos omnes quam nos, sisti ipsorumque omnia, quibuscunque tandem Syncretismis communita, perinde nihilominus atque nostra, oporteat approbari. Iam quominus in Ecclesiastico ministerio Dei solius proprium opus ministri operi ullo prorsus modo adscribamus, Pauli Apostoli doctrinam obstare dicimus, qui, etsi denuo se Galatas parturire, Corinthios item atque Onesimum genuisse testetur ad commendandam in suo ministerio divinae virtutis efficaciam, tamen, ne opus Dei in ministrum ullo modo transferat, (γ 1ᵇ) opus Dei a ministri opere discernit, et plantationem duntaxat atque rigationem ministris attribuit (externam videlicet plantularum culturam), ut ita demum Deum per ministros et plantare et rigare ad salutem fideles intelligamus, ministrosque Dei hac in parte συνεργοὺς agnoscamus. Caeterum dandi incrementi opus ita soli Deo proprium facit, ut ab illo ministros ipsos prorsus excludat. Neque enim omnes eos, qui et rigant et plantant, prae eo qui incrementum solus dat, nihil esse pronunciasset, si ulla omnino dandi incrementi pars in ipso ministri opere quoquomodo posita esset aut ab ipso ullo prorsus modo penderet. Rursum, quominus in coenae Dominicae elementis, Pane inquam et Vino, realem illam, ut vocant, corporis et sanguinis Christi delitescentiam iuxta naturalem eorum subsistentiam statuamus, eas adferimus causas, quod doctrina haec cum mente totius scripturae pugnet neque fidei analogiae respondeat, cum catholicae item Ecclesiae consensu non consistat et citra Christi Domini contumeliam retineri non possit. Quae quidem omnia bona iam ex parte (γ 2ᵃ) ita se habere ostendimus, et clarius adhuc, si Dominus volet, per eius gratiam ostendemus: aut, si id non possimus, cedere ultro volumus meliora docentibus ex verbo Dei, si modo ad legitimum aliquod colloquium admittamur. Hoc vero tantum est, ut Catones nostri aqua

nobis et igni interdicendum esse putent. Accusant nos in suis farraginum centonibus, quod Ecclesias perturbemus. Sed si accusasse nova suspectaque dogmata (et quidem sine conviciis aut praeiudiciis ullis) est perturbasse Ecclesiam, non immerito sane Papa utrosque nos turbarum accusabit. Si usque adeo illis intolerabile videtur, dogmata ipsorum accusari, ut nos ad nulla colloquia velint admittere, facile et nos in universum omnes ad eundem modum arcebit Papa ab omnibus colloquiis, dum recepta iampridem magno multorum consensu ipsius dogmata accusamus. Si vero id in parte tyrannidis Antichristinae ponimus, cur nobis id ipsum usurpamus, quod in Papa omnes unanimiter damnamus? Dicunt Catones nostri, se in Papistica tyrannide accusanda sequi doctrinam verbi Dei. Fate-(γ 2[b])mur id quidem esse verum, nam et nos eandem ob causam Papismum accusamus, sed et in accusandis ipsorum dogmatis id ipsum nos facere affirmamus. Negant illi verbum Dei a nobis stare, et proinde indignum esse, ut ad colloquium admittamur. At vero ad eum plane modum etiam Papa a nobis utrisque verbum Dei stare negat, atque ob hoc potissimum nos, ut seductores, a conciliis arcet. Quid vero! id sibi arrogabunt Catones nostri, quod ipsimet in Papa accusant? Queruntur se haereseos a Papa non auditos damnari, et interim ipsimet nos non auditos condemnant. Sed dicunt, doctrinam nostram iamdudum multorum Conciliorum calculis damnatam esse, et proinde nulla amplius egere examinatione. Itidem vero et adversus ipsorum doctrinam profert Papa, qui et Vercellensis et Turonensis et plurium Romanorum et ad extremum Constantiensis Conciliorum decretis transsubstantiationem suam comprobatam, et proinde Catonum quoque nostrorum doctrinam perinde atque nostram, damnatam esse ostendit. Caeterum Alexandrini contra nos Concilii autoritatem sub Cyrillo proferunt, Cyril-(γ 3[a])lumque doctrinae suae propugnatorem faciunt. Nos vero id vanissimum esse dicimus, et doctrinam ipsorum, cum ab eodem ipso Cyrillo infinitis locis, tum vero etiam ab omnibus orthodoxis primaevae post Apostolos Ecclesiae Patribus, continua successione unanimiter oppugnatam esse affirmamus, id quod brevi per Dei gratiam, non equidem nostris sed ipsorummet autorum verbis, neque verbis solum (ne detruncata videri possint), sed plenis illorum sententiis ac rationibus demonstrabimus, — unde demum facile apparebit, qua fide Catones isti farragines suas Patrum testimoniis infarciant. Agnoscunt quidem veteres, Panem coenae esse corpus Christi, quatenus alioqui corporis nomen in verbis Christi Domini de pane praedicari docent. Idem vero et nos libenter una cum illis agnoscimus, imo diserte profitemur, tam vere Panem coenae esse corpus Christi, quam vere Christus Dominus alibi carnem suam cibum nostrum esse testa-

tur, quae alioqui nostra doctrina ita olim primario Bremensium Pastori satisfecit, ut illius nomine suam mecum societatem Ecclesiasticam, (γ 8[b]) coenae Dominicae usu ipso, sit publice contestatus. Sed quid hoc interim ad eam, quam isti somniant, delitescentiam, de qua sane nullus veterum quidquam cogitavit. Agnoscunt item veteres corpora nostra, Christi Domini carne seu corpore, in spem resurrectionis et vitae aeternae ali, id quod nos quoque cum illis indubitato credimus, sed ita se hic Patres ipsimet explicant, ut perspicuum sit, nihilo sane magis corporum hanc nostrorum per Christi corpus alimoniam, ad hanc Catonum nostrorum delitescentiam pertinere, quam corporis de Pane in verbis Christi praedicationem pertinere constat. Si de Papae loquuntur conciliis, diximus in illis ipsorum perinde atque nostram doctrinam damnatam esse. Quodsi ipsi decorum sibi esse putant, se ab illis conciliis damnatos esse, cur non et nos eandem ipsam condemnationem in laude nostra poneremus? Si de suis inter sese Syncretismis loquuntur, facile illis est (nemine qui dissentiat admisso, ne dicam vocato atque audito) quidquid libet statuere, atque ita demum encomium canere. Certe (γ 4[a]) nullum unquam de Sacramentaria hac controversia iustum alioqui colloquium institutum esse constat, praeterquam Martburgi, Illustriss. Cattorum Principis auspiciis, anno post Christum 1529, in quo sane tantum abest ut sit damnata nostra doctrina, ut ab utraque parte sit consentienter recepta et approbata, cui et nos libenter assentimur. Quia vero Thrasones quidam in eo ipso colloquio palmarium se nescio quod adversum nos obtinuisse, nostramque doctrinam pudefactam esse iactant, caput ipsum conventionis Martburgensis de coena Domini addere hic libuit, ut vanitas atque impudentia Thrasonum istiusmodi omnibus conspicua esse possit. Est autem caput hoc numero quintumdecimum eius ipsius conventionis, quod et Germanica lingua (ut est aeditum) et latine deinde versum sic habet, cui equidem maior fides, quam privatis alioqui cuiusquam scriptis haberi debet.

Vom Sacrament des leibs und bluts Christi.	De Sacramento corporis et sanguinis Christi.
15. *Glauben und halten wir alle, vonn dem Nachtmal unsers Herrn Jesu Christi, dass man beyde gstalt (nach der innsatzung Christi) brauchen sol. Dass auch die Messe nicht ein werck ist, damit einer dem andern, todt oder lebendig, gnad erlange. Dass auch*	15. Credimus et (γ 4[b]) profitemur omnes, de coena Domini nostri Iesu Christi, usum illius sub utraque specie iuxta Christi institutionem observandum esse. Quodque Missa non sit ullum eiusmodi opus, quo alter alteri quisquam, sive mortuo sive vivo,

das Sacrament des Altars, sei ein Sacrament des Warenn leibs unnd bluts Jhesu Christi. Unnd die Geystliche niessung des selbigen leibs und bluts, einem jeden Christen fürnemlich von nöten. Dessgleichen der brauch des Sacraments (wie das wort) von Got den almechtigen gegeben und geordnent sei, damit die schwachen gewissen zu glauben zu bewegen, durch den heiligen geist. Und wiewol wir uns (ob das war leib unnd blut Christi leiblich im brot und wein sei) disser zeit nicht vergleichet haben, so soll doch ein teil gegen dem andern Christliche lieb (so ferr jedes gewissen immer leiden kan) erzeigen, und beide teyl Got den almechtigen fleissig bitten, dass er uns durch seinen Geist den rechtenn verstaud bestedigen wöll. Amen.

gratiam consequi possit. Quod iternm Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis et sanguinis Iesu Christi. Et quod esus spiritalis eius ipsius corporis et sanguinis sit unicuique Christiano homini inprimis necessarius. Ad haec quod usus huius Sacramenti (perinde atque ver-(γ 5a)bum ipsum) a Deo Optimo Maximo sit institutus atque ordinatus ad excitandas ad fidem infirmas hominum conscientias per spiritum sanctum. Quanquam autem inter nos hactenus non plane potuit convenire, num verum corpus et verus sanguis Christi pani et vino corporaliter insit, debebit nihilominus tamen utraque pars altera erga alteram declarare Christianam charitatem, quatenus id omnino cuiusque conscientia ferre potest. Et utraque pars Deum Optimum Maximum diligenter precabitur, ut is nobis per spiritum suum verum eius rei intellectum constabilire dignetur. Amen. (γ 5b)

Martinus Luther.
Iustus Ionas.
Phil. Melanhthon.
And. Oseander.
Steph. Agricola.

Ioan. Brentius.
Ioan. Oecolampadius.
Huldricus Zuinglius.
Martinus Bucerus.
Caspar Hedio.

Haec sane est Martburgensis conventio, sub illud ipsum tempus aedita, in qua ostendi aliquod vellemus, quo doctrinam nostram pudefactam esse Catones nostri iactant, quasi vero ipsa conventionis verba (nobis etiam tacentibus) non satis testentur, eos, qui a nostra tum doctrina abhorrebant, et nostrae doctrinae assensos esse, dum spiritualem corporis et sanguinis Christi esum, quem nos urgemus, inprimis commendant, et de sua dubitasse, dum non solum illam non approbarunt, sed Christianam utrinque charitatem inter sese pacti, preces etiam communes pro vero controversiae intellectu instituerunt.

Caeterum non est nunc instituti nostri ista persequi, tantum haec ita attingere paucis volui, ut omnes intelligant vanissimum esse, quod fartores isti suarum farraginum de convicta erroris adeoque et damnata nostra doctrina, et quidem legitimis Ecclesiarum iudiciis, nugantur. Iactant item et conventum Schmalcaldiensem, sed in quo tantundem habent, quod de doctrinae nostrae (γ 6[a]) condemnatione proferre possint. Conatus quidem est illic vir sanctae memoriae Martinus Bucerus, productis quibusdam dicendi formulis, conciliationem quaerere, sed, cum paucos nostrarum partium adesse videret, rem omnem in aliud tempus suspendi curavit, facta interim conciliationis spe, si praeter Augustanae confessionis capita nihil exigeretur. Quid vero et hic est, obsecro, quod doctrinam nostram ullo modo damnatam esse, videri possit? Et tamen istiusmodi fumis explent suas farragines Catones nostri, ne nihil videlicet habere videantur, quo causam suam, iam alioqni inclinantem, sustentent. Caeterum illis superest adhuc Sacra (quod dicitur) Anchora, Augustana confessio; ad hanc enim, ubi nihil aliud superest, recurrere solent et tanti illam faciunt, ut non desint inter ipsos, et quidem non postremi, qui dicant, se malle de Pauli ipsius Apostoli, quam vel de Lutheri, vel de confessionis Augustanae doctrina dubitare. Nos vero doctrinam Augustanae confessionis, ut debemus, plurimi facimus, sed cum doctrina Prophetica atque Apostolica non aequa-(γ 6[b])mus, neque ullo modo aequandam esse putamus. Interim tamen non videmus, quidnam in controversa hac delitescentia adversus nostram doctrinam ex ipsa Augustana confessione proferre possint. Verba confessionis Augustanae de coena Domini sic habent: „De coena Domini docent, quod „cum Pane et Vino vere exhibeantur corpus et sanguis Christi ve„scentibus in coena Domini." Hoc ipsum vero et nos agnoscimus, sed negamus id totum quidquam omnino ad Catonum nostrorum delitescentiam pertinere. Cum enim eadem ipsa confessio, ubi de Sacramentorum usu loquitur, disertis verbis testetur, nos eam gratiam, quam Sacramenta significant, fide ipsa percipere, eadem sane opera, fidei nostrae duntaxat illam offerri atque exhiberi fatetur. Porro fides eam delitescentiam, quam fartores isti propugnant, adeo non requirit, ut ne admittere quidem possit, quemadmodum Paulus docet. Tantum abest igitur, ut nobis Augustana confessio opponi quoquomodo possit, ut illam pro nobis etiam, contra Catones nostros, facere con-(γ 7[a]) stet. Nos enim id semper professi sumus atque etiamnum profitemur, fideles omnes, dum coenae elementis participant iuxta Christi institutionem, simul quoque vere ad salutem aeternam communicare vero etiam corpori et sanguini Christi. Quare ne in Augustana quidem confessione habent quidquam Catones nostri, quod doctrinae nostrae

merito opponant. Neque dubium esset, facile induci posse doctrinae consensionem (quemadmodum eius rei spem Bucerus olim in conventu Schmalcaldiensi faciebat), si praeter Augustanam confessionem nihil exigeretur. At vero Catones nostri rem suis farraginibus indignam plane esse putant, si vel pilum unum ab eo discedant, quod facta inter sese conspiratione tuendum sibi semel quo iure quaque iniuria sumpserunt, destitutique scripturae praesidiis causam suam calumniis et maledictis fulciunt. Venantur omnes nostra depravandi occasiones, ut populo suo (cui nostrorum omnium lectionem interdicunt) fucum faciant, nos inter nos non consentire, eo quod unam atque eandem rem varie explicemus, quasi vero non inde potissimum constet, firmissimam (γ 7ᵇ) consensionem esse, ubi, re varie exposita, eadem nihilominus sententia, et quidem iuxta usum ac mentem scripturae, unanimiter retinetur et comprobatur: nimirum hoc artificiose faciunt, ut, dum sua se probare non posse vident, nos nescio cuius discordiae insimulent, ne suam nobis causam approbare cogantur. Ad eundem vero modum etiam culpam, in qua ipsimet haerent, reiicere in nos conantur. Dicunt per nos violari fidem verborum Christi, quae passim solemnia coenae seu consecrationis verba vocantur, eo quod tropum in illis statuamus, veterum hac in parte orthodoxorum Patrum omnium doctrinam ipsamque adeo scripturae phrasim secuti. Ipsi vero, cum verba illa clarissima et proinde nude ac simpliciter exponanda esse, ut sonant, neque ullius tropi remedio egere perpetuo clament, aut nullam interim omnino adferunt interpretationem, aut, si quam adferunt, huic talem sane tropum adhibere coguntur, qui et in scripturis pugnas serat et fidei Analogiae repugnet et in universa scriptura, in simili (γ 8ᵃ) potissimum argumento, commonstrari nusquam possit. Quod si ita sunt clara ac perspicua, denique et facilia verba Christi Domini, ut ea nude ac simpliciter, ut sonant, et citra ullius tropi remedium exponi oporteat, quemadmodum id plenis buccis iactant, cur non unam saltem aliquam illorum interpretationem ordine suo iuxta singulas eorum particulas proferunt, quae et tropum nullum admittat et unanimem totius scripturae consensum retineat et delitescentiam ipsorum simul etiam statuat aut confirmet? quemadmodum a nobis ad approbandam nostram doctrinam pluries factum esse (et quidem facta omnium simul Sacramentorum collatione) negare equidem non possunt. Iamdudum sane ab illis hoc in omni charitate ac modestia Christiana petiimus, atque adeo ab eo ipso fartore peculiariter collegisque ipsius omnibus, data ad omnes simul illos ea potissimum de re nostra epistola, qui se nunc (prorsus Euangelice scilicet) Martinianae nescio cuius Ecclesiae Pastorem esse profitetur. Sed ei religio fuit nostra vel semel inspicere, cui in-

terim insolens non est, inter (γ 8^b) pocula quandoque ad temulentiam usque versari, quo facilius ita demum suas explere farragines, inque omnes omnia expuere possit, quae illi Bacchus suggessit. Ita videlicet facile vicerint, si ne legant quidem nostra, nedum ut ad illa respondeant, sed suas tantum (ne dicam alienas) farragines nobis obtrudant. Alioqui plus negotii fore intelligunt, si suo ordine vel nostram interpretationem ex scripturis sibi impugnandam, vel suam approbandam sumant. Atque ut de nostrae interpretationis impugnatione taceam, quae alioqui et familiari usu in scripturis et veterum Ecclesiae Patrum consensu communita est, in sua sane ipsorum nuda illa ac simplici verborum, ut sonant, interpretatione propugnanda, rimam se habere non posse vident, qua se ullo modo ab ea Artolatria liberent, cuius nomine Papismum refutata transsubstantiatione potissimum accusant. Satis est illis igitur, si verba Christi clara perspicuaque ac intellectu facillima esse dicant, nudam tamen illam, quam iactant, ac simplicem eorum interpretationem nusquam proferant, sed tantum argumen-(δ 1^a)tatione quadam suam se delitescentiam comprobasse somniant, nempe quod, cum de pane corpus praedicetur, iam eadem opera etiam corpus ipsum in pane aut sub pane delitescere oporteat, ut corporaliter seu ore carnali (ita enim loquuntur) edi possit. Hoc sane summum doctrinae ipsorum robur, quod alioqui quantum firmitudinis habeat, si res propius paulo introspiciatur, prudens quisque facile iudicare potest, perinde atque idem sit dixisse: Panem ipsum esse corpus, aut in pane seu sub pane illo esse ac delitescere ipsum corpus.

Longius me quam volebam progressum esse video, Rex clementissime! in depellendis adversus nostram doctrinam fartorum istorum calumniis, sed me eorum huc improbitas plane adegit, qui eo alioqui loco haberi volunt (utar enim hic Pauli verbis), a quibus solis videlicet prodierit et in quos item solos reciderit doctrina Euangelii Christi. Haereticum protinus esse oportet, qui non supplex omnia, quae ob ipsis veniunt, amplectitur neque est alibi usquam praeterquam inter ipsos quaerenda, si illis credimus, spirituum ulla dogmatumve diiudicatio. Christus Dominus Syn-(δ 1^b)cretismis ipsorum ita sit astrictus necesse est, ut nusquam porro se exerere possit, nisi continuo et ipse ab istis fartoribus haereseos damnari velit. Et quanquam spiritus sanctus quacunque vult spirare donaque sua, pro eo ac vult et quibus vult, iuxta mensuram largiri dicatur, neque dubium sit, illum omnia veritatis in omnibus ubilibet donis suis doctorem esse, istorum tamen Syncretismos praetervolare illi non licebit scilicet, quin ab illis et ipse mendacii condemnetur. Clamabunt hic rursum: blasphemia, blasphemia! Ego vero ét Christo Domino filio Dei vivi ét spi-

ritui sancto in henadis divinae triada genua mea supplex flecto, perinde atque ipsi, ne quid aliud dicam, sad eorum superbam arrogantiam et arrogantam superbiam, cum Christi Domini et spiritus sancti contumelia coninnctam, insector. Hoc nimirum est sustulisse ac non potius ad se pertraxisse Papae tyrannidem, et quidem sub plausibili (si superis placet) Euangelii titulo, ut mirum non sit, si a quibusdam Lutheropapistae vocentur, quanquam id ego in nomen Lutheri, cuius memoriam sancte, ut debeo, veneror, redundare nolim. Iam vero, praeterqnam quod doctrinam nostram ita conspn-(ꝫ 2[a])unt, nomini etiam nostro peculiares calumnias intendunt. Producuntur in farragine (ut mutnum muli scabant) qui, ma cnm meis, quos ex Anglia mecum eduxi, Ecclesiarum suarum perturbatores esse contendant: qui iidem alioqui eiusmodi nos alibi blasphemiae accusant, ut eam Magistratus sceptro potiûs quam stylo suo refutandam esse clament. Producnntur item, qui me per contumeliam Erronem faciant, et nescio quam Ecclesiam, quae non sit Christi, quaerere dicant. Nec dubito plura illio infarta adhuc esse, quae mihi videre non licuit, nequo non visa refutare possum. Haec tamen, quae recensui, paucis mihi refellenda esse puto. Et quamvis bonae meae hac in parte conscientiae testimonio proba fultus (sit Deo gratia), adeo nihil moveor istorum calnmniis, ut illas, coram oculis Dei, in laude mea ponam, meque illis consoler etiam, eo qnod certus sim, omnes vanissimas esse, — tamen, ut mea innocentia atque istorum quoque impudentia piis omnibus, inprimis vero Tuae Maiestati Patriaeque meae perspecta esse possit, haudquaquam mihi hic praetereunda esse iudicavi. Qui me turbarum et blasphemiae accusat, ante (ꝫ 2[b]) annos aliquot, cum ad urbem ipsius aliquoties venissem, atque illic aliquandiu etiam ante postremum in Angliam iter meum mansissem, plurics mihi adfuit atque societatis Christianae et amicitiae praeterea officia mihi familiariter deferebat, etiamsi me eandem plane, quam et nnno profiteor doctrinam, in Frisia per decennium fere tradidisse non ignorabat ac, de aliis controversis etiam dogmatibns mecum privatim colloquutus, causam interim Sacramentariam nunquam omnino attigit, cuius ego tamen brevem quandam descriptionem summo et ipsins et meo etiam amico cuidam tradideram, atque illi ostensam fuisse puto. Quodsi doctrina tum mea illi vel turbulenta vel blasphema esse videbatur, aut me ipsum alioqui pro Ecclesiae suae perturbatore habebat, cur vel ita familiariter mecnm versabatur, ut una cum praecipuis aliis urbis suae ministris convivam se nostrum exhiberet? et rursus cum ego a primario urbis suae Pastore, viro sanctae memoriae, Ioanne Epino, celebri convivio exciperer, adesse non recusaret mihique amicitiae suae officia insuper familiariter offerret? vel, posteaquam sibi

omnia haec permittere (§ 3[a]) volebat, cur me saltem neque turbarum neque blasphemiarum ullarum, sive solum privatim, sive per suos tum collegas admonuit? cum alioqui de controversis aliis dogmatibus mecum, solus cum solo, et suo ipsius et aliorum etiam nomine semel atque iterum tractaret? Erant illi dissimulandae scilicet execrandae illae et ne a Magistratu quidem ferendae blasphemiae, ét deferenda erant amicitiae officia Ecclesiae perturbatori? Certe adeo mihi non dedit ullam omnino tum ullius plane offensionis significationem, ut mihi faustum ac felix in Angliam iter meum precatus sit cum magna amicitiae testificatione, quam si simulabat, me quidem facile potuit fallere, qui de talis Pastoris hypocrisi nihil volebam suspicari. Dicet se expectasse, ut ego initium aliquod disputationis de re Sacramentaria fecissem. Ego vero id cavebam, ne dici possem voluisse turbas aliquas excitare, si quam ea de re disputationem exorsus fuissem, et ipsorum partes esse potius iudicabam, indicare, si quid eiusmodi in doctrina mea deprehendissent, quod Magistratus sceptro refutandum esse censerent. Rogatus tamen ab eo amico, cuius antea paulo memini, meam sententiam (§ 3[b]) in scripto illi tradidi, facta ei potestate iam exhibendi scripti, quibus illi vellet, etiam ministris ipsis, modo ne postea eo nomine turbarum accusarer. Si tamen ipse putaret non ingratum id ministris fore, ut aliquam mecum amice et sine turbis colloquendi occasionem habere possent, arbitrio ipsius permisi, ut scriptum illud meum ministris simul omnibus exhiberet.

Atque affirmare quidem nolo (non enim satis memini), sed mihi tamen ex amico illo audisse videor, scriptum illud meum quibusdam saltem ministris exhibitum fuisse, alioqui de fide amici illius nihil dubito, etiamsi a nostra doctrina dissentiat, quin rem omnem, ut se habuit, sit non gravatim pro suo candore (si res ita postulet) attestaturus. Porro si tum neque turbarum, neque eiusmodi ullius etiam blasphemiae reus videbar, unde iam, quaeso, et turbarum et execrandae blasphemiae accusor? Sed ait, nos in nostro ex Anglia pridem abitu voluisse Saxonicas Ecclesias perturbare, et in meo de Sacramentis libello eiusmodi blasphemias requirit, quae haudquaquam ferri debeant a Christiano Magistratu. Ego vero in Catone isto ét fidem boni viri requi-(§ 4[a])rere ét indignam homine Christiano, ne dicam Pastore Ecclesiastico, calumniam accusare cogor. Quodque ad Saxonicas primum Ecclesias attinet, tantum sane abest, ut illas in nostro hoc ex Anglia abitu perturbare voluerimus quoquomodo, ut ne de visendis quidem illis quidquam cogitaremus omnino; sed, de Serenissimi Daniae Regis pietate confisi, sedes apud illum pro nostris Ecclesiis ob mutatam in Anglia religionem quaerebamus, nunquam alioqui ad Saxonicas venturi Ecclesias, si, quae petebamus, impetrare a Rege illo

potuissemus. Ac de rege quidem illo nihil nunc attinet dicere, nisi quod optimum Principem ab impudentissimis Sycophantis praeoccupatum esse dolemus. Illud sane notius est, quam ut negari a quoquam possit, nos nostrosque omnes, non tam equidem nostra voluntate, quam iussu Regio potius ad Saxonicas, ut nunc vocantur, Ecclesias delatos esse, nedum ut illas unquam in nostro ex Anglia abitu voluerimus perturbare. Ego certe toto meo ex Dania in Frisiam itinere, quantum potui, vitavi, ne ullarum omnino turbarum usquam autor, non essem modo, sed ne videri quidem ullo modo possem, neque quemquam (ℨ 4[b]) quam toto illo itinere meo controversiae ullius nomine compellavi, praeterquam Bremae, posteaquam Pastor illic Primarius, qui mecum alias (ut antea dictum est) coenae Dominicae participaverat, ad me pro vetere nostra amicitia venisset mensaque nostra familiariter una cum uno e civitatis illius consulibus adesset. Sed ita interim colloquuti inter nos sumus, ut omnes amanter ab invicem digrederemur sine ulla omnino utrinsque nostrum offensione veteremque adeo nostram inter nos ámicitiam novis invicem gratulationibus ac mutuis comprecationibus, non sine lachrymis, contestati simus. Ita videlicet perturbare conati sumus Saxonicas Ecclesias, nisi quod novus Cato iste, posteaquam semel pudere desiit, omnem sibi quidvis mentiendi ac calumniandi licentiam permittit, et si quis calumnias illius suique similium pacis studio declinet, delitescere illum velle fingat, qui vero colloquium expetat, turbarum protinus accuset: interim tamen mendacii omnes prae se suisque insimulet, ex sese alioqui omnes metiens, quemadmodum potores ebrietatis omnes quoscunque viderint, prae se, accusant, cumque mendaciis ipsemet (ℨ 5[a]) ac calumniis totus madeat sibique in hoc mire placeat, ad eundem quoque modum alios omnes affectos esse putat. Tantundem autem frontis habet in praetexenda blasphemiarum, quas in me accusat, calumnia, primumque affirmat, nos ex mendaciis corruptaeque rationis nostrae vanitate et mali cordis promptuario depromere ea, quae ipse execrandas blasphemias esse vociferatur. Deinde vero secum ipse mox pugnans araneis nos similes facit, qui ex optimis videlicet floribus pessima venena colligamus. Hic namque aut mendacia corruptaeque rationis nostrae vanitatem et malum cor inter optimos flores numerat, ut se non temere sibi in ullis placere ostendat, aut suam ipse impudentiam prodit, dum nos araneis similes facit. Quodsi optimorum florum nomine suam designat delitescentiam et proinde corporalem quoque ore carnali corporis Christi manducationem, id quidem facit suo more, ut controversa pro concessis sumat. Sed nos hosce ipsius flores a fructibus ipsorum, quos nobis protulerunt proferreque adhuc non cessant, aestimamus, nempe idololatria et tyran-

nica Ecclesiarum scissione. Atque eandem plane sanctitatem (ℨ 5b) hisce ipsorum floribus tribuimus, quam in illorum fructibus, iusto alioqui Dei iudicio, videmus, nedum ut, quae recensuimus absurda omnia multoque plura adhuc per Dei gratiam proferemus, ad hosce Catonum nostrorum flores proprie pertinere dubitemus. Si vero sub optimorum florum nomine scripturarum testimonia intelligit, quae nos videlicet illius iudicio depravare ac demum ad causae nostrae commodum detorquere videmur, id sane ab omnibus in universum Catonibus istis immensis iactari clamoribus audimus, sed tam vere quam reliqua fere omnia, hoc est, ut nunquam doceri possint. Faciunt autem hoc artificiose, quemadmodum antea quoque diximus, ut quorum culpa se ipsimet teneri negare haudquaquam possunt, ea in nos retorquere homines ingeniosi conentur, quominus sua nobis approbare cogantur. Equidem in omnibus dogmatibus ordine suo propugnandis, id inprimis observari solet, ut, quae affirmanda suscipimus, ante omnia comprobemus, priusquam ad aliorum obiectiones refutandas veniamus. Cum igitur Catones nostri propugnandam sibi sumant confictam sub papatu corporalem (ℨ 6a) in pane coenae naturalis Christi corporis praesentiam et manducationem — nisi quod eam Papa per suam transsubstantiationem, isti vero per novum nescio quod delitescentiae genus tueri volunt — haec sane illis evidenter probanda esset, priusquam descendant ad nostras (qui illam impugnamus) obiectiones. Cumque fontes eius suae praesentiae in verbis Coenae, quemadmodum et papistae, commonstrare conentur, illa nobis sane ante omnia unde ac simpliciter exponere debebant, posteaquam clarissima esse iactant, et quidem iuxta omnium particularum ordinem, ostendereque ad quem modum iuxta usum familiarem atque unanimem scripturae consensum pro ipsis faciant. Nos enim constantissime negamus ullos omnino fontes corporalis ullius praesentiae in verbis illis extare, nedum ut ex illis vel papistica transsubstantiatio vel Catonum istorum delitescentia cum corporali, quam statuunt, manducatione colligi ullo modo possit. Atque proferunt quidem aliquas verborum illorum coenae interpretationes, sed quae neque sunt nudae ac simplices, quales alioqui haberi oportere cla-(ℨ 6b)mant, et sunt praeterea scripturis insuetae planeque coactae, pugnantes praeterea cum fidei analogia, et quae unanimi scripturae consensu approbari non possunt.

Hic igitur sistant paulisper gradum Catones nostri et hinc se explicent, priusquam alia attingant. Nam etsi per nos nihil obiiceretur, aut etiam nostrae obiectiones omnes refutarentur (quod tamen nusquam videmus), nondum interim doctrina ipsorum subsistet, nisi illius fontes perspicui in verbo Dei commonstrentur. Sed hic sibi probe Catones nostri cavent et coacervatis undecunque farraginibus aliena calumniari, quam sua probare, malunt.

Ita sane ex illis unus nostra quoque execrandas blasphemias esse clamat. Duo autem ex libello meo profert. Alterum, quod gloriam corporis Christi, iam illi alioqui inseparabilem, ad impios etiam pertinere oportere dicamus, quatenus equidem vera veri etiam corporis Christi communio, quam Paulus in coena Domini constituit, ad impios debeat ullo plane modo pertinere. Alterum in quaestionem voco, num, sumpta semel ore carnali ipsa corpo-(Ꝫ 7ª)ris Christi naturalis substantia in pane coenae, perpetuo iam deinceps in homine maneat, nec ne, ex Christi Domini institutione. Utrumlibet enim concederetur, utrobique absurda consequi, quae satis testarentur, hanc, quam illi statuunt, delitescentiam, longe esse a mente Christi Domini alienam, quem alioqui credendum non sit aliquid instituisse, quod ullo modo aut secum pugnans aut inutile aut absurdum esset. En! quanta hic blasphemia? ac non potius quanta hominis furiosi calumniandi impotentia? blasphemia est scilicet, amovisse a Christo Domino pugnas et absurda ex scripturis ipsis collecta? et est pietas, si Catonibus istis credimus, haec omnia illi tribuisse, ne de eo, quod semel tuendum suscepimus, quidquam omnino remittamus? Sed hic similes araneis sumus scilicet, qui ex detortis scripturae locis blasphemias contexamus? fontes igitur utriusque istius nostrae (si Deo placet) blasphemiae intueamur. Quodque ad priorem meam de inseparabili iam a Christi corpore gloria obiectionem attinet. Produximus locum Pauli, quo illo Christum Dominum, carne proculdubio sua in glo-(Ꝫ 7ᵇ)ria assumptum, Deo iam deinceps in aeternum vivere docet, ne e mendaciis rationisve nostrae vanitate obiectio nostra collecta videri posset. Deinde statuimus, Christum Dominum ita iam in gloriam carne sua assumptum esse, ut illam nunquam deponat, nedum ut illa spoliari possit: ita item Deo iam vivere, ut vitae illius conditionibus aeternis in aeternum etiam sine interruptione ulla fruatur. Quid vero? hicne araneis similes sumus? At vero id nos docet receptus secundum scripturas a catholica Christi Ecclesia symboli articulus, quo illum in coelesti gloria sedere docemur, donec in eadem ipsa gloria Maiestatis suae, ad iudicium veniat. Et sedere in gloria, perpetuum sane neque amplius interrumpendum, ne dicam, separandum quoquomodo gloriae splendorem nobis designat. Hec si mendacium est Catoni nostro, equidem mihi id cum Paulo et Petro Apostolis commune erit, cum quibus ego alioqui (in Catonum istorum obsequium) mentiri malim, quam inter fartores nostros pro Propheta haberi. Paulus enim, ut iam (Ꝫ 8ª) dixi, filium Dei in carne manifestatum, in eadem ipsa etiam carne assumptum in gloria esse atque in ea ipsa gloria ac magnificentia coelesti perpetuo iam sedere testatur, sine ulla illius deinceps vel desertione vel interruptione: hoc enim

in se verba illa εἰς τὸ διηνεκές complectuntur, quibus Apostolum non frustra usum esse videmus. Neque vero hic nunc aut de loco in coelis ullo, aut de Dextrae Divinae circumscriptione loquimur, sed de gloriae duntaxat coelestis magnificentia ac splendore, — quo sane iam amplius Christi Domini corpus in sua subsistentia carere non potest, quocunque loco tempore ac modo adesse revera et corporaliter statuatur. Quod si hic Catones nostri Paulo reclamant, Petrum Apostolum audiant, qui Christo Domino, a mortuis excitato, gloriam a Patre suo coelesti datam esse docet, in qua illum coelo contineri, adusque tempus restitutionis omnium oporteat, ut tum demum in eadem ipsa gloria ac Maiestate ad iudicium, iuxta Matthaei testimonium, veniat. An vero hic etiam Paulum, Petrum ac Matthaeum,(§ 8b) mendacii, odio nostri, accusabunt? Sin minus, desinant tandem calumniari, quae impugnare non possunt. Cum igitur certum sit, Christum Dominum iam in coelestem suam gloriam assumptum esse, et gloriae coelestis splendor neque in Papistica transsubstantiatione, neque in ista Catonum nostrorum delitescentia commonstrari queat, — perspicuum est, aut spoliari per Catones istos Christum Dominum in suo corpore coelestis gloriae suae splendore, aut aeque vanum esse commentum istius, quam propugnant, delitescentiae, atque est figmentum Papisticae transsubstantiationis. Quod vero ad alteram nostram obiectionem attinet, illa sane petitur e Christi ipsiusmet Domini verbis. Is enim cum novum quoddam cibationis suae genus instituere vellet, ut illud longe diversum esse ostenderet ab omni cibationum genere et supra sensus nostri captum omnem positum, — primum omnium cibum ipsum, quo cibandi essemus, deinde modum etiam ipsius cibationis, postremo vim quoque et efficaciam illius, nobis edisserit et commendat. Cibumque ipsum dicit esse carnem suam (§ 1a), seu corpus suum et sanguinem, sive se ipsum. Modum item eius cibationis docet esse metaphoricum, dum initio cibum hunc non tam edendum (ore videlicet), quam operandum esse ait, atque eam ipsam operationem fidei opus esse interpraetatur, moxque seipsum explicat, dum omnem mortiferam alioqui omnium famem ac sitim, qui ad ipsum venirent vel in ipsum crederent, explendam esse testatur, ut idem esse videamus in hisce omnibus Christi Domini verbis, sive cibum hunc fide operari, sive ad Christum Dominum credere, sive carnem corpusve ac sanguinem Christi ipsumque adeo Christum totum edere dicamur, nedum ut oris carnalis ministerio aut etiam corporali Christi Domini per manus ministri distributione in hac tali cibatione egeamus. Vim vero atque efficaciam huius sane cibationis eam esse affirmat, ut omnem mortiferam alioqui famem ac sitim repellat, eo quod quisquis ad hunc modum cibum hunc vel in corde suo per

fidem spiritu sancto autore operetur, vel adventu ad illum suo per fidem apprehendat, vel in (ε 1b) Christum fide non ficta credat, vel carnem corpusve Christi ac sanguinem ipsumque adeo Christum totum edat ac bibat, is sane in Christo et ipse maneat et Christum vicissim in se quoque ism manentem habeat. Hic igitur ego, omissa et de cibo ipso et de cibationis modo Christi Domini doctrina, a vi duntaxat atque efficacia illius, per Christum Dominum nobis commendata, colligo meam obiectionem. Et ut ostendam, a Christo Domino alienum adeoque et prorsus ipso indignum esse, momentaneum hoc et ad repellendam mortiferam illam famem ac sitim plane inefficax cibationis genus, quod Catones nostri per suam corporalem delitescentiam statuere conantur, in quaestionem voco, num corpus Christi Domini, eo ut illi fingunt modo sumptum, in nobis maneat, aut non maneat. Utrumlibet enim concedant, vitare utrobique absurda, Christo Domino plane indigna, non possunt, quae quidem illic recenseo. Atque haec est scilicet execranda illa blasphemia, quam Aristarchus meus Magistratus sceptro potius, quam stylo, refutandam clamat, (ε 2a) quasi non haec sit maior multo blasphemia in filium Dei, cuius opera non possunt nisi perfectissima esse, facere illum autorem rei, aut non necessariae prorsusque ociosae, aut momentaneae et inefficacis ad salutem, et quidem praeter mentem ac consensum totius scripturae, nec nisi uno illius loco producto, qui tamen ad causam illorum approbandam legitime exponi atque induci non possit. Interim Cato noster facit, quod solet, hoc est, ad nostra quidem non respondet, sed nova calumnia omnia eludit atque nos Capernaismi (in quo ipsemet cum suis omnibus immersus haeret) accusat. Ac primum fingit, Christum Dominum, non alium errorem apud Capernaitas reprehendere voluisse, quam, si quis carnem ipsius, membratim dissectam, ad ventris alimoniam edendam esse putaret, cum Christus Dominus omnem omnino imaginationem corporalis illic carnis suae esus manifeste reprehendat, ad quencunque tandem modum statueretur, eo quod cum gloria sui corporis, in ascensione sua declaranda, consistere non posset. Et proinde omni cuilibet imaginationi de corporali car-(ε 2b)nis suae esu gloriam suae ascensionis opponit, sive is per crassam illam corporis in membra dissectionem, sive per papisticam transsubstantiationem, sive per Catonum nunc nostrorum delitescentiam statuatur. Nos igitur tantum abest ut culpa ulla Capernaismi teneamur, ut non crassam modo illam dissecandae in membra carnis Christi in edendo ipsius corpore imaginationem detestemur, sed omnem plane corporalem ore carnali illius esum Capernaismi accusemus, eo quod cum gloria ascensionis Christi consistere non possit, quem Capernaitarum imaginationi per Christum Dominum

opponi videmus. Aut igitur nobis commonstrent fartores isti coelestis gloriae splendorem in delitescente sub pane vel in pane Christi corpore, si Capernaismi suspicione liberari volunt, — aut desinant ita pertinaciter et cum scissione Ecclesiarum docere, quod negare non possunt, repugnare omnino gloriaa Dominicae ascensionis, ne inter Capernaitas numerentur, quibus ipsemet Christus Dominus suam ascensionem opponit. At vero Cato ille noster quis-(ꝭ 3ª)quis est, reiecta in nos erroris sui culpa, ad scholasticas nos argutias remittit, illasque (prae nobis ebriis) sobrias esse ait. Denique ita eas commendat, ut ipsius praeiudicio facilius esse censeat, illas contemnere et ridere, quam solidis rationibus reprehensas reiicere. Ego vero de scholis hic nihil agam, neque excutiam, qua fide, quae sub scholarum nomine a Catone nostro citantur, contra nos proferantur, hoc enim alias fiet, si Dominus volet: et qui autores ipsos, e quorum monumentis ea potissimum desumpta sunt, legerunt, facile videbunt, quam ista fideliter a Catone nostro eiusque Allantopoeo tractentur. Nobis sane nihil est nunc cum scholis negocii, a quibus non minus alioqui Catonum hanc nostrorum delitescentiam improbari scimus, sed, quoniam Censor noster scholas quoque ad causae suae patrocinium pertrahere conatur, et, quae ex illis se proferre dicit, ita praeterea etiam nostri odio commendat, ut ea non ita facile refutari posse asseveret, hoc tantum ab eo scire velim, num in recta illa, ne dicam contorta, fide sua iis, quae sub scholarum profert nomine, ad (ꝭ 3ᵇ) nostra iam plane responsum per se esse putet. Si enim id putat, cur apud suum nunc Allantopoeum, nihil eorum nuquam vel sensisse se vel sibi in mentem etiam venisse scribit, quae sub scholarum nomine responsionis suae loco producit? Profert adversum nos scilicet Propheta iste Syncreticus ad causae suae patrocinium, denique et irrefutabilia esse pronuntiat, quae neque sensit nnquam, neque sibi in mentem unquam venisse dicit? Si vero non putat, cur in re tam seria, quamque ipsemet sacrosanctam vult esse, ita interim scurriliter ludit, ut ea nobis obtrudat, quo suis applaudat Coryphaeis atque in aliquo apud illos praetio esse possit, quibus ipsemet intelligit ad nostra haudquaquam responsum esse? ut interim de illorum ita magnifica prae nobis commendatione taceam. Deligat sibi igitur Cato hic noster, pro scurra ne an vero pro mendaci homine haberi malit, nisi utrumque forte depellere a se non possit, qui interim alios mendacii, si diis placet, accusat. Quod autem sub scholarum nomine adfert, eiusmodi est, ut corporalem intra nos (ꝭ 4ª) corporis Christi naturalem praesentiam, posteaquam illud in pane coenae ore carnali edimus, non magis diuturnam statuat, quam tantisper dum sensum erga illam nostrum corporaliter etiam affici constet. Praeclara profecto tant Prophetae Syncretici

ad nostra responsio, et egregium fulcrum planeque accommodum isti ipsorum delitescentiae, quam pro suae fidei articulo haberi volunt.

Venio iam ad alium, qui me Erronem vocat, atque nescio quam Ecclesiam, quae non sit Christi scilicet, quaerere dicit, et blasphemiae quoque in Christi Domini institutionem pro Syncretismi sui more accusat. Atque sane invitus facio quod cum viro hoc in certamen prodeo (semper enim illum, ut debui, veneratus sum pro ratione aetatis et ministerii sui), sed pro mei rursum ministerii fida ac dignitate, facere non possum, quin a me depellam ipsius falsas et minime dissimulandas criminationes. Putabam in homine iam cano totque praeterea annorum ministro, plus esse et mentis et frontis. Sed ita nescio quomodo correptos esse video oestro quodam Patronos propemodum omnes (f 4b) novae istius delitescentiae, ut neque honesti neque veri etiam, nedum Christianae modestiae dignam se rationem retinere possint, atque, laxatis omnibus maledicentiae frenis, licere sibi putent, omni conviciorum genere eos conspuere, qui modo ab ipsis hac in parte dissentiunt, quodcunque illis aut in mentem, aut in buccam venire quoquomodo potest, atque ita demum nos quoque cogant velimus nolimus ad maledictorum suorum depulsionem, nisi fidem et ipsi ac dignitatem nostri ministerii silentio nostro prodere velimus. Ita plane ego nunc cogor, quanquam invitus, ad depellendas viri huius calumnias, cui equidem omnia observantiae meae officia multo libentissime deferre pro mea virili maluissem, sinon ita praeter meritum omne meum et fidem mei ministerii et nominis item existimationem impetiisset. Dum igitur me Erronem vocat, nescio quo nomine id mihi exprobret. Si me Erronem vocat, quod, velut ex Patria mea profugus, peregre maneam, me quidem nihil pudet meae peregrinationis, sed me vel profugum ex mea patria abiisse, vel ullo modo proscrip-(f 5a)tum esse nego. Abii enim ex mea patria et sciente et clementer id mihi permittente Divo olim Maiestatis Tuae Patre, id quod tuae etiam maiestati incognitum non esse puto, qui me, ubi iam in Frisia consedissem, honorifice etiam, pro Regia sua in me clementia, in patriam rursus literis suis revocabat, egoque Illius Maiestati pariturus eram, si id fidei meae professio ministeriique mei in Frisia suscepti ratio passa fuisset. Quod si solo peregrinationis meae nomine, illi Erro esse videor, eadem sane opera ipsemet quoque erro est, perinde atque ego, cum et ipse extra suam patriam, perinde atque ego vivat? Si vero me Erronem vocat, quod non perpetuo uno eodemque loco resederim in mea peregrinatione, equidem post relictum Divino beneficio Papismum uno semper eodemque loco in Frisia resedi, praeterquam quod semel tantum, ad visendum in morbo ipsius fratrem natu miniorem meum, ipso id a me petente, in Patriam meam

concesseram. Alioqui nisi a viris Principibus, vel vocatus, vel missus, nusquam omnino e Frisia per totum (ℓ 5b) decennium aut eo amplius, pedem meum movi, donec per Serenissimum Angliae Regem Eduardum, sanctae memoriae, vocarer. Cui quidem me addicere nolebam, nisi id et mea tum Ecclesia mihi, cuius curam concreditam habebam, et Divus item Tuae Maiestatis Pater ipsaque adeo Tua iam Maiestas, quae tum plane regni gubernacula susceperat, permisisset, quam etiam unam fuisse causam non ignorat Maiestas Tua suscepti in Prussiam ante annos aliquot iteneris mei. Postea vero, data mihi ab Ecclesiis meis in Frisia omnibus (sub revertendi, si revocarer, conditione) venia cumque Tua Maiestas etiam nullum mihi tunc indicium faceret, quod meo ministerio uti vellet, in Angliam sum reversus, ut meam illic sequerer vocationem ibique in mea perstiti vocatione ex Regis ipsius autoritate, donec illum Deus Optimus Maximus e vita hac ad se evocasset. Mortuo vero sanctissimo Rege illo, qualem haud scio an unquam orbis Christianus habuerit pro aetate illius, cum religionem quoque ipsam una (ℓ 6a) cum Regni administratione mutatam iri viderem, accepta a Regina venia, non equidem meo ipsius, sed totius Ecclesiae illic meae consilio, neque sane clam, sed palam cum bona utriusque Ecclesiae meae parte, duabus Regiis navibus in Daniam, Regis illius pietate fretus, contendi, si quomodo sedem illic dissipatis meis Ecclesiis impetrare possem. Illic autem, cum Syncretistae cuiusdam aut potius Syncretistarum Parasitomimi perfidia causa nostra in odium ac suspiciones nescio quas rapta ita fuisset, ut nostra omnino expectatione frustraremur, in Frisiam ad meas Ecclesias rursum redii, ut illic dissipatis in Anglia Ecclesiis hospitium procurarem, atque etiam sciscitarer, num meo deinceps ministerio opus haberent. Ibi vero adeo perstringebam Catonum istorum oculos, ne videlicet eam ipsorum delitescentiam e propinquo impugnarem, ut non prius conquiescerent, quam per se dignos plane Mecaenates suos hoc efficerent, ut sub periculorum nescio quorum praetextu Frisiam relinquere cogerer, periclitaturam scilicet, si tanto huius de-(ℓ 6b)litescentiae suae antagonistae hospitium praeberet. Horum igitur itinerum meorum nomine, si me bonus ille vir Erronem vocat, Dominus illi ignoscat. Ego sane longam uno atque eodem loco illius moram ac residentiam, ut vocant, insectari nolo. Sed non video, cur mea mihi et ipse itinera prae sua residentia debeat exprobrare. Quin potius tam mihi ego de meis itineribus in Christo Domino meo gloriari posse videor, ne quid amplius dicam, quam ipse suam sibi residentiam honorificam esse putat, neque hic plura dicam, ne nullam videar senii ministeriique sui rationem habere voluisse. Quod vero a me Ecclesiam, quae non sit Christi, quaeri dicit, est sane gravius, quam ut dissimulari

debeat? Sed est rursum futilius, quam ut multam refutationem requirat planeque miror, imo vero etiam doleo, non equidem meo, sed ipsius nomine potius, quod, cum sit eo loco, in quo sopiendis alioqui, non autem exagitandis dissidiorum flammis dare operam debebat, haec ita sibi interim in turbulentorum hominum gratia passus sit excidere. Enim-(s 7[a]) vero si ipse Christi Domini Ecclesiam controversae suae huius delitescentiae finibus ita circumscribit, ut extra illam nullam plane Christi Ecclesiam agnoscere velit, equidem multo verius ego affirmare possum, fingi ab ipso et suis novam quandam Ecclesiam, non tam sane super Prophetarum atque Apostolorum, quam potius super natae vixdum ante annos quadraginta controversae huius delitescentiae fundamento collocatam — de qua alioqui neque Christus Dominus neque eius Apostoli ac ne primaevae quidem post Apostolos Ecclesiae Patres quidquam omnino cogitarunt — quam quod ille a me Ecclesiam, quae non sit Christi, quaeri dicat. Nos enim ut verae Christi Domini Ecclesiae fundamentum, ore Petri Apostoli proditum, reverenter amplectimur (id quod aedita alioqui ante quinquennium fere Ecclesiae nostrae confessio luculentissime testatur), ita nullam praeterea aliam doctrinam atteximus, cuius praesertim finibus Ecclesiam circumscribere velimus, sed temere ab aliis attextam publice accusamus, tum quod legitimi ipsius fontes in scripturis commonstrari non possint, tum quod multo-(s 7[b])rum etiam locorum fidem violet in scripturis. In nostra porro delitescentiae istius accusatione, non equidem sequimur ullum rationis nostrae iudicium ullasve humanas argutias, quemadmodum Catones nostri calumniantur, sed ipsam Apostolicam de Christi Domini ascensione, ut alia nunc omittamus, doctrinam unanimem et confessionem, iuxta quam autore spiritu sancto et sine ulla scripturae repugnantia palam profitemur et indubitato credimus, Christum Dominum in sua iam alioqui glorioso corpore, non modo non delitescere in pane hic ullo, qui manibus humanis fiat, sed ne in terris quidem amplius esse, quatenus ipsum quidem verum illum atque aeternum Pontificem nostrum esse non dubitamus, Heb. 8. 9. quin potius illum recessisse, Luc. 24. abiisse, Io. 14. profectum esse, 1 Pet. 3. mundum hunc reliquisse, Io. 16. sublatum, Act. 1. a nobis, Luc. 24, Act. 1. in sancta ἀχειροποίητα, Heb. 9. assumptum, Marc. 16. Act. 1. in ipsum coelum, Heb. 9. Marc. 16. Luc. 24. Act. 1. supra omnes coelos, Eph. 4. atque ibi consedisse, Heb. 8. esse, Eph. 6. perpetuo et sine interruptione ulla, Heb. 10. in gloria coelesti, (s 8[a]) 1 Tim. 3. teneri coelo ad tempus usque restitutionis omnium, Act. 3. non equidem ut inconspicuus hic in terris usquam (nedum in pane ullo) lateat, sed ut iam deinceps semper, coram facie Dei illic appareat, Heb. 9. illincque eum adhuc expectari,

non autem hic invisibilem esse, 1 Cor. 11, Phil. 3, Thess. 3, ut, quemadmodum corpore suo glorioso, visibili interim ac palpabili, assumptus est, Act. 1, ita eodem ipso etiam glorioso suo corpore, Matth. 16, 24, descendat de coelo, 1 Thess. 4, veniat, Act. 1, ac toti mundo conspicuus appareat, Matth. 16, 24, Apoc. 1, index vivorum et mortuorum, Act. 17, Rom. 2, 2 Timo. 4. Hanc, inquam, confessionem nos per Dei gratiam iuxta unanimem totius scripturae consensum retinemus, dumque illam praeter alia multa nuperae illi Catonum nostrorum delitescentiae Christi ipsius exemplo opponimus, nihil metuimus, ne eorum praeiudiciis fores Ecclesiae Christi praecludantur. Nos adversus ipsorum censuram Christi Domini praecatione extrema illa communimus, qua ipse ante mortem suam a Patre suo coelesti precatur, ut eos gratia sua com-(ε 8ᵇ)plectatur, qui non equidem per delitescentiae huius doctores, sed per Apostolos ipsorumque doctrinam, quae delitescentiam alioqui hanc non novit, in ipsum credituri essent. Negent igitur ut volent Catones nostri, nos ad Christi Ecclesiam pertinere. Nos Christum ipsummet Dominum habemus, omnibus Catonibus maiorem, qui se promittit nos agniturum esse, si ipsum iuxta doctrinam atque confessionem Apostolicam coram hominibus agnoscamus. Quod equidem cum nos in accusanda hac Catonum nostrorum delitescentia facere certi simus, tum sane et precationi et promissioni ipsius confisi, primum oramus, ut ne ab Apostolica ipsius confessione usquam nos deflectere patiatur; deinde vero, dum illam sequimur, non dubitamus, illum, qui fidelis et verax est, benedicturum nobis esse adversus omnes Catonum nostrorum omnium criminationes calumnias et execrationes. Videant autem Catones nostri, ne dum nos ad Christi Ecclesiam delitescentiae istius nomine pertinere negant, ipsimet ab illa inopinato excludantur, non equidem per nos, qui ni-(ζ 1ᵃ)hil hic nobis sumimus, imo vero pro eis etiam, quanquam reclamantibus, oramus, sed per eum, quo aperiente nemo claudit et claudente nemo etiam aperire potest. Durat enim etiamnum illa sententia, ut qui se Regni filios iactant, ad extremum tandem abiici possint. Atque de Christi Ecclesia tantum.

Quod porro me blasphemum in Christi Domini institutionem vocat, eiusdem fere generis est, hoc est, grave sane si verum esset, sed iam leve quia vanum est. Scripta porro mea testantur atque hic libellus imprimis testabitur, quam reverenter dé Coenae Dominicae institutione et sentiamus et doceamus. Sed ipse, quae de delitescentia hac sua loquimur, ad Christi institutionem detorquere conatur, quae interim nihilo magis pertinet ad Christi institutionem, quam Papistica transsubstantiatio. Ut si nos blasphemiae merito ab ipsis accusamur adversus Christi Domini institutionem propter impugnatam illo-

rum delitescentiam, eadem opera ipsimet eiusdem blasphemiae culpa teneantur propter impugnatam transsubstantiationem.

Habet iam (ζ 1[b]) ecce Maiestas Tua, piique istic omnes sub Tuae Maiestatis nomine, praecipuas Catonum nostrorum criminationes, quibus illi et fidem mei ministerii et nominis item mei existimationem non elevare modo, sed invisam plane atque etiam infamem reddere voluerunt. Habet rursus brevem quoque innocentiae nostrae approbationem, quam a me necessitas ipsa, ita praesertim abrupto tempore, extorsit, quamque ego alioqui non dubito, eo loco fore apud Tuam Maiestatem et pios istic omnes, ut me eorum omnium culpa liberet, quorum nomine me Catones isti traducere malitiose conantur. Iam vero superest, Rex clementissime! ut meum hoc consilium aediti sub Tuo nomine libelli huius nostri boni consulere velit. Videbar mihi hoc debere Tuae Maiestati et toti patriae ob eas, quas recensui, causas. Et exemplum hoc puri cultus Divini, per Regem sanctissimum in regno suo restituti, dignum esse indicavi, quod Tuae Maiestati in renascentis potissimum et istic iam Euangelii primordiis proponerem et commendarem. Atque scio quidem non omnibus meum hoc officium (ζ 2[a]) istio gratum fore, neque defuturos, qui ét me aliquid forte venari ét a Tua etiam Maiestate alienum id esse dicant, ut causam restituendae religionis ad Te existimes pertinere. Sed, quod ad me quidem attinet, fatebor ingenue quod verum est, me istic venari aliquid, atque utinam capere possim, quod capto: neque id sane exiguum esse, sed maximi prorsus et pretii et negotii. Imo vero duo sunt quae istic venor. Primum Regni Christi in doctrina sua istic, abolita Antichristiana tyrannide, instaurationem. Deinde ut ego etiam, quantumvis absens, meo interim qualicunque labore Patriae meae pro mea virili commodare possim. Ad eam porro rem cum plurimum adiumenti positum esse videam in Tuae Maiestatis Procerumque atque aliorum Regni Ordinum favore et patrocinio, optarim vobis probari meum hoc studium, ut vestris auspiciis Patria tota ex meo labore fructum aliquem, quoad eius fieri potest, habere possit. Haec, inquam, toto pectore venor vanaque non esse opto. Et si quid huius videam, abunde mihi relatam gratiam et a Tua Maiestate et a Regni (ζ 2[b]) Ordinibus putabo. Quod vero ad Te potissimum attinet Rex Serenissime! non dubito, Te et scire et subinde tecum etiam reputare, quid Domino Deo Tuo eiusque Ecclesiae in praecellenti hac Regia vocatione Tua debeas, quidque ille sit abs Te olim in suo iudicio requisiturus, quatenus Te quidem per illum regnare credis. Sed quoniam me ea de re prolixe satis ad Te alias scripsisse memini, non puto hic mihi multis immorandum esse. Tantum hoc addam. Verba illa ad Principes Sacerdotum: Accipite eum vos et secundum legem

vestram iudicate, esse verba Pilati, hoc est, Ethnici adeoque et Athei, non autem Christiani magistratus, perinde atque si legis Divinae ac religionis cura nihil ad illum omnino debeat pertinere; — ac rursum verba illa: Nos legem habemus, esse verba Pharisaicorum et Christo adversariorum sacerdotum, neque nisi ad Pilatos aut Herodes dici posse: ut, qui nunc iisdem verbis apud Christianos Principes utuntur, reipsa testentur se illorum, quorum verba repetunt, successores esse, et Principes omnes non alio a se quam Pilatorum aut Herodum loco haberi. Qua sane re sa-(ζ 3a)tis declarant, quam sint studiosi promovendae ac tuendae autoritatis et dignitatis Principum, quibus interim prae aliis omnibus proximi semper esse volunt. Sed spero non defuturos Tibi esse hac in parte proceres tuos, qui tuam autoritatem adversus Pharisaicas istiusmodi praestigias pro fide in Te sua libenter asserant. Et vox ipsa infantium atque sugentium omnes Pharisaicos clamores facile obmutescere faciet, ut Christus Dominus istuc quoque veniat in doctrina sui Euangelii templumque suum ab omnibus Papisticis nundinationibus cultusque divini profanationibus repurget.

Cumque eius rei initia iam apparere quaedam videantur, in magna id felicitatis meae parte ponerem, si meus hic libellus piorum istic conatus ac studium adiuvaret. In quo mihi interim etiam excusanda quaedam erunt. Adumbratus sane erat cum adhuc in Anglia ministerio nostro fungeremur atque adeo etiam a collega nostro, D. Martino Micronio, compendio quodam Flandrice redditus, et proinde tanquam de re praesenti loquitur. Sed in itineribus demum meis, ubi Angliam reliquissemus, multis locis recognitus est atque in concionum praeterea argumentis ad-(ζ 3b)monitionibusque Ecclesiasticis magna ex parte auctus, quae res paginarum quoque ordinem in ipsa libri aeditione nonnihil interturbavit. Deinde ipsam quoque libelli aeditionem perturbavit inexpectata mea e Frisia migratio. Illic enim coeptus excudi, hic nunc primum est absolutus. Unde nemini mirum videri debet, si vel perturbate aliquid scriptum (ut fit in itineribus), vel semel atque iterum repetitum, vel alicubi etiam in observando paginarum ordine aberratum occurrat. Equidem multum interest, in ocio ne, an vero magnis et arduis itineribus impliciti aliquid agamus: et typographicae mutatio facile secum errata trahit. Sed ea hic tamen tanta non sunt, ut fructum lectionis intercipere possint, etiamsi non nihil forte molestiae adferant, praesertim cum in doctrina nihil sit, ut spero, quod merito quenquam usque adeo offendere possit.

Haec dissimulare nolui, ne quis nostrum hic etiam candorem in nobis desideret. Quodque solum iam restat, Tuam Maiestatem Regiam summa cum observantia oro, Rex clementissime! ut meam hanc in Te patriamque meam observantiae publicam contestationem benigno atque

clementi animo acci-(ζ 4a)pere pro virtute Tua Regia, nomenque istic nostrum a malevolorum calumniis vindicare Regia Tua autoritate, et, quod omnium summum est, veram istic religionem pro ratione praecellentis Tuae vocationis Regiae serio promovere digneris, — ut, quemadmodum iuxta exemplum Solomonis primus omnium istic cum publico regni totius applausu, vidente et volente sanctissimo olim Patre Tuo, in solio ipsius collocatus, regni Diadema accepisti, ita nostrum nobis etiam Solomonem praestare possis in fabricando istic templo Domini, non equidem ex mortuis sensuque omni carentibus, sed e vivis lapidibus, per Euangelium filii Dei autore spiritu sancto excitatis: id quod Tibi a Domino Deo nostro supplices cum rerum Tuarum omnium Patriaeque totius optimis successibus precamur.

Francoforti sexta die Septembris, Anno 1555.

Tuae Maiestati addictissimus

Ioannes à Lasco. (ζ 4b)

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

Primus numerus paginam, secundus vero lineam indicat.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Indicis finis.

FORMA AC RATIO TOTA ECCLESIAstici ministerii,

stici ministerii, in Peregrinorum, potissimum vero Germanorum Ecclesia observati, instituta Londini in Anglia per pientissimum Principem Angliae, etc., Regem Eduardum, eius nominis sextus, Anno 1550.

PRAEFATIO.

QUEMADMODUM neque domus ulla sine oeconomia, neque navis item sine navicularia, ac ne civitas quidem resve publica ulla sine legitima gubernatione, aut bene regi, aut diu etiam consistere potest, ita sane certum est, Christi quoque Domini Ecclesiam inter tot praesertim ét hostium agmina ét periculorum genera, neque recte gubernari, neque diu etiam (uno alioqui eodemque loco) retineri posse sine legitimo, ut est a Christo Domino institutum, ministerio illius. Ad legitimam porro Ecclesiastici ministerii observationem duo imprimis necessaria esse videntur. Al-(B 1a)terum, ut universum ministerium in praecipuas saltem partes quasdam suas recte ac legitime disponatur partesque illae omnes certis ab invicem suis functionibus discernantur. Alterum, ut, qua in parte ministerii est quisque constitutus, eius se muneri atque functioni totum dedat omnino summaque illi fide cura ac diligentia incumbat. Atque posterius quidem hoc a priore illo magna sane ex parte dependet, quandoquidem, dispositis recte ministerii partibus constitutaque legitima partis cuiusque functione, facilius hauddubie suum ministerii quisque officium facere adeoque et contineri in illo potest. Caeterum in disponendis ministerii partibus aliquanto plus est negocii, quod varie nonnihil in scripturis ipsis positae videri possint. Neque vero omnes ita sunt vel perpetuae vel eiusdem momenti etiam, ut eas pariter omnes, aut extare semper, aut uno eodemque gradu censeri ex aequo oporteat. Sunt enim quae, suo iam defunctae officio, plane cessarunt. Sunt rursum, quae nonnunquam, dum ita vult Dominus, vel adimuntur vel restituuntur Ecclesiae. Sunt denique et inter eas ipsas (B 1b) ministerii partes, quae

perpetuae in Ecclesia esse deberent, aliae sane eiusmodi, ut pro locorum ac temporum conditione vel omitti interdum, pro eo atque ratio ipsa Ecclesiae id postulare videtur, vel etiam urgeri debeant: aliae vero ita prorsus necessariae, ut sine illis nulla omnino legitima ecclesiae gubernatio, neque iustitui neque etiam retiueri possit. Nimirum ad quem modum in instituendo uno aliquo aedificio varia sunt opera, quae et ministros suos peculiares et vices item suas habeant, ut alii aliis succedant, neque eodem alioqui gradu omnes censeantur, ita et mystico Ecclesiae Christi aedificio, quod ad seculi usque consummationem perfici semper absolvique oporteat, aliud sane opus est ponendi fundamentum, quod peculiares suos artifices et primas item vices suas requirit omniumque maxime necessarium esse censetur, eo quod omnem alioqui totius aedificii molem debeat sustinere. Aliud vero est, quod huic succedit, nempe superstruendi posito semel fundamento aedificium reliquum usque ad eius consummationem. Et aliud rursum (B 2a) opus est cura gubernandi in ipso opere conservandique aedificii ipsius. Atque iaciendis primum omnium aedificii huius fundamentis peculiares Dominus ministros suos destinavit, Apostolos inquam et Prophetas[1]), atque eam ipsorum ministerii partem ita etiam varia donorum Spiritus sancti opulentia exornavit, miraculorum multitudine simul ac magnitudine confirmavit et tot iam seculorum assensu unanimi constabilivit, ut de fide ministerii illorum iactoque per eos Ecclesiae fundamento nullo unquam plane modo cuiquam omnino liceat dubitare, imo vero sine nefario scelere committi haudquaquam possit, ut quis posito iam semel per eos huic fundamento addere se adimereve aliquid posse contendat, nedum ut quisquam omnino arrogare sibi iam deinceps possit ullam prorsus aut mutandi ulla ex parte fundamenti huius aut ponendi ullius alterius potestatem atque autoritatem. Postea vero quam suo isti primi munere iam in ponendo fundamento defuncti essent, substituit illis et alios Dominus, qui positum semel hoc ipsum fundamentum in suo semper prospectu(B 2b)tu haberent illudque perpetuo observarent, illius dignitatem semper assererent, illi sua omnia superstruerent[2]), sed omnem suam structuram intra fundamenti ipsius terminos componerent et continerent neque parem alioqui sibi cum prioribus illis (Apostolis inquam et Prophetis) autoritatem in ipso superstruendi opere suo arrogarent. Denique eos se esse intelligerent, qui eum in sua structura et ligna interdum et foenum et inanes etiam stipulas auro argentoque ac gemmis suis permiscere possint[3]), opus equidem omne ipsumque adeo spiritum illorum probari omnino[4]) atque legitimis in Ecclesia ex verbo Dei iudi-

---

[1]) Ioan. 17. Ephes. 2. [2]) 1 Cor. 3. [3]) 1 Cor. 3. [4]) 1 Cor. 14.

ciis examinari oportere. Et constituit praeterea alios quoque Dominus, qui totius sui istius aedificii curam pariter ac custodiam iuxta singulas illius partes haberent, hoc est, susceptum cuiusque opus in superstruendo observarent, caverent ne termini usquam positi semel fundamenti transcendantur, darent operam ut in concredita custodiae ipsorum parte qualibet huius aedificii ordine omnia ac decenter fiant et curarent ne quid omnino desit ad structuram illius (B 3a) perpetuumque eius progressum quoquomodo impediat aut remoretur. Ad hunc, inquam, modum partitus est Dominus Ecclesiae suae ministerium, adiunctis etiam iis qui egenorum inopiae curam in Ecclesia haberent. Quoniam vero eiusmodi esse voluit aedificii huius fundamentum, ut ei neque addi neque adimi quidquam possit unquam [1]), nedum ut ullam omnino vel mutationem admittat vel instaurationem requirat — est enim positum supra petram longe firmissimam neque ullis temporum tempestatumve iniuriis obnoxiam et tali praeterea angulari lapide obfirmatum, ut quisquis ad illum quoquomodo impingat, comminuatur omnino [2]) — nullis profecto amplius iaciendi ullius etiam fundamenti ministris in Christi Ecclesia opus habemus. Imo vero docemur, cum dignitate id Prophetici atque Apostolici ministerii, cum positi item per illos fundamenti autoritate, denique et cum Ecclesiae totius unitate pugnare, adhaec et pro anathemate ipso habendum esse, si quis sibi post Apostolos parem cum illis tradendae ullius doctrinae potestatem atque autoritatem arrogare aliisve decernere conetur. Deinde (B 3b) posteaquam Prophetici iam atque Apostolici ministerii functionem in ponendo omnis sanae doctrinae fundamento completam plane esse neque amplius requiri in Ecclesia posse videmus, frustra sane miraculosa etiam illa spiritus sancti dona, quae ad approbandam potissimum initio Apostolici illius ministerii fidem vim ac dignitatem pertinebant, amplius in Ecclesia expectemus, cuius generis olim fuerunt repentina linguarum dona, peculiares in visionibus revelationes, sanationes item repentinae ac daemonum expulsiones et mortuorum suscitationes, quae Paulus uno verbo δυνάμεις vocat. Quatenus enim non modo non eget amplius Christi Domini Ecclesia Apostolici ministerii functione in ponendo ullius omnino doctrinae fundamento (cum id alioqui in scripturis sanctis absolutissime praestitum habeamus), sed modis etiam omnibus eos aversetur, qui illam denuo revocare ullo modo velint, — hactenus sane etiam non modo non requirit amplius ulla eiusmodi miraculosa dona in suo ministerio, quae ad comprobandam potissimum (B 4a) Apostolici illius ministerii functionem pertinuisse novit, sed suspecta habet iam insuper eius-

[1]) Matth. 16. [2]) Ephes. 2. Matth. 21. Luc. 20. Rom. 9. 1 Cor. 3,

modi aliaque adeo omnia miraculorum genera, eo quod (post absolutum alioqui Ecclesiae fundamentum) haud aliter iam faciant ad convellendam Apostolicae functionis fidem omnem atque autoritatem commendandasque novas omnes daemoniorum doctrinas, a posito semel fundamento Apostolico alienas, quam olim ad approbandam Apostolici ministerii functionem Divino beneficio pertinebant. Nimirum ea sunt tempora, ut, qui Apostolici fundamenti veritati credere inque ille conquiescere nolunt, miraculorum praestigiis dementati, mendacio iam demum credant, quemadmodum Paulus docet [1]). Non est igitur quod miraculosa amplius dona operave ulla in Ecclesiastico iam deinceps ministerio requiramus, sed eas duntaxat ministerii partes observemus, quas ad superstruendum posito iam fundamento aedificium Ecclesiae eiusque custodiam ac conservationem a Domino constitutas esse scimus. Atque eos quidem, qui structuram Ecclesiae prosequi in posito iam fundamento debeant, (B 4b) *verbi ministros* in genere vocamus. Qua sane in parte ministerii multa a Paulo dona poni videmus [2]): προφητείαν, quae in eruendis scripturae mysteriis colligendoque legitimo sensu illius versatur: διδασκαλίαν, quae in tradendae populo omnis sanae doctrinae facilitate perspicuitate gratia ac methodo quadam est posita: ἐλεγχείαν, quae in dexteritate atque pondere reprehensionum consistit: παράκλησιν, quae est vis quaedam permovendi animos hominum per exhortationes: παραμυθίαν, qua dolor ac molestia afflictionum omnium levatur, animi graviter affecti deliniuntur eriguntur et corroborantur per promissionum divinarum consolationem gratuitaeque bonitatis ac misericordiae divinae commendationem: et donum linguarum, non equidem repentinum illud ac miraculosum, sed quod Dei quidem et ipsum beneficio, non tamen sine nostro studio interim nostraque opera ac diligentia, Deo ita volente, obtingit. Hisce nimirum donis suis exornat etiamnum Dominus in sua Ecclesia verbi sui divini ministerium, pro eo ac illi libitum est, ad eius aedificationem, (B 5a) ministrosque ipsos *pastorum* ac *doctorum* nomine dignatur. Quanquam autem apud istos quoque curam ac custodiam gubernandae et conservandae Ecclesiae suae praecipuam esse voluit, duo tamen adhuc custodum praeterea genera illis in sua Ecclesia adiunxit peculiaremque eis ipsorum functionem consignavit. Atque alii quidem in scripturis vocantur *Presbyteri* sive Seniores, item Episcopi, Praepositi et gubernationes: alii vero Potestates, praecellentes ministri et Altores Ecclesiae Christi, quos nos *Magistratum* vocamus. Porro ad hunc Presbyterorum ordinem ipsi quoque Pastores ac Doctores omnes pertinent, sed curam sibi gubernandae conservandaeque Ecclesiae non

[1]) 2 Thess. 2. [2]) Rom. 12. 1 Cor. 12.

sumunt soli, nisi in reliquorum Presbyterorum coetu, quem ut sibi adiunctum habeant, omni studio ac sollicitudine adniti debent. Neque est aliud inter Pastores ipsos Doctoresque ac reliquos Presbyteros discrimen, quod ad functionem ipsorum in gubernanda conservandaque Ecclesia attinet, nisi quod illi in Verbi ac Doctrinae ministerio praeter alios istos laborant: isti vero citra Verbi ac Doctrinae publicum (B 5b) ministerium in eadem ipsa gubernandae et conservandae Ecclesiae cura ac custodia velut socii subsidiarii constituti habentur. Ita videmus Presbyterorum nomen tribui Pastoribus ac Doctoribus ipsis, atque adeo ipsis etiam Apostolis, dum Petrus ad Presbyteros loquens, se illorum συμπρεσβύτερον profitetur. Eius vero Presbyterorum simul omnium [coetus] in unaquaque Ecclesia partes erant, ut legitimum disciplinae Ecclesiasticae usum ét ipsimet inter sese inprimis ét in tota demum sua Ecclesia observarent, atque ad eum modum ét ipsimet suum facerent officium ét alios demum omnes etiam in suis officiis continerent: probarent item doctrinas et spiritus omnium in Ecclesia contemptumque disciplinae Ecclesiasticae, iuxta praescriptos Verbo divino admonitionum ac reprehensionum gradus, nomine et assensu totius Ecclesiae punirent. Adqua id etiam operam darent, ut, constitutis in Ecclesia Diaconis, egenorum inopiae succurreretur. Atque isti quidem in universa ministerii sui func-(B 6a)tione ad curam custodiamque suam nihil adhibent aliud quam gladium spiritus, hoc est, Verbi divini autoritatem, per admonitionum et reprehensionum gradus usque ad excommunicationem et anathematismum, quibus solis omnem Ecclesiae eiusque disciplinae contemptum ad extremum puniunt. Caeterum Magistratus iuxta politicam suam a Deo ordinatam praeeminentiam politicum quoque gladium suum adiungit in sua functione ad conservandum in Ecclesia legitimum disciplinae usum puniendumque contemptum illius: nempe ut quisque in utriusque tabulae obedientia suaeque vocationis officiis contineatur, et ne progressus structurae perpetuus in complendo Ecclesiae sibi concreditae aedificio quoquomodo impediatur. Atque publica quidem flagitia omnia publicamque et pietatis et tranquillitatis in Ecclesia violationem coercet gladio suo Magistratus pro functione sui ministerii, sed in dogmatum controversiis non prius sibi quidquam sumit, quam de illis per legitima Ecclesiae iudicia iuxta gradus disciplinae ecclesiasticae ex verbo Dei statuatur. Quorum sane (B 6b) contemptum Magistratus impunem ferre non debet pro functione sui ministerii, pro eo atque id ipsa Ecclesiae aedificatio postulare videtur. At vero, quoniam cura ac custodia haec istius aedificii non tam sane dependet ab humana cura operave aut potentia — in quibus alioqui politica Magistratus cuiusque vis existimatio atque autoritas maxima fere

ex parte consistit, — quam potius a divina providentia et voluntate, servat non raro Deus suam Ecclesiam divina sua virtute ac potentia, progressumque structurae illius evidentissime promovet, non tantum sine ullo Magistratus praesidio, sed in summa etiam Magistratuum tyrannide et persecutione: id quod alioqui nostro hoc seculo factum esse divino beneficio atque etiamnum fieri luculentissime videmus. Sed tamen utitur saepenumero etiam Magistratuum ministerio ad conservandam tuendamque publicam Ecclesiae pietatem pariter ac tranquillitatem, ut se illorum quoque Dominum esse declaret et eorum praeterea officium ipsis in praecellenti illorum vocatione commonstret. Presbyterorum aut-(B 7ᵃ)em ministerium vult omnino esse perpetuum in quavis recte instituta Ecclesia, ut per illius functionem legitimam verbi sui Divini sceptro regatur et conservetur. Ut enim sine verbi Divini doctrina consistere Ecclesia, haud aliter quam corpus sine anima, non potest, ita doctrinae rursum probatio legitima sine Presbyterorum ministerio haberi non potest. Quod equidem si nostro hoc tempore, initio renascentis Euangelii, restitutum utcunque fuisset, non tot proculdubio nunc doctrinae dissidia inter nos, qui Antichristianam Papae Romani tyrannidem unanimiter accusamus, haberemus. Sed momento omnia restitui non potuerunt. Atque utinam nunc demum, qui in Ecclesiarum ministerio versantur, hac animum adiiciant, ut, restitutis Ecclesiae cuique suis presbyteris, usum tandem legitimum disciplinae Ecclesiasticae legitimaque ex verbo Dei Ecclesiarum iudicia instaurent.

Nos id quidem in nostris Ecclesiis pro nostra virili conati sumus, sumpto exemplo a Genevensi et Argentinensi peregrinorum Ecclesia. Et, quantum fructum ea res attu-(B 7ᵇ)lerit in nostris Ecclesiis, id equidem a me non facile verbis explicari queat, et praestat haec ab aliis, quam a nobis ipsis, commemorari. Hoc unum addam. Nullum eiusmodi sive doctrinae sive animorum dissidium in nostris Ecclesiis exortum esse, quin protinus, adhibito disciplinae usu, (sit Deo gratia!) sisteretur adeoque et tolleretur. Iam vero exponemus, quosnam ministrorum ordines, quasque singulorum functiones: quos item cultus Divini ac fidei nostrae exercendae ritus, et qualem disciplinae Ecclesiasticae usum in nostris Ecclesiis, potissimum autem in Germanorum Ecclesia, habeamus (B 8ᵃ).

DE MINISTRIS ECCLESIAE *PEREGRINORUM LONDINI.*

PRIMUM omnium agnoscimus, Maiestatem Regiam esse in nostra quoque Ecclesia, quemadmodum et in aliis omnibus Regnorum suorum Ecclesiis, summum omnino in terris ac modis omnibus praecellentem Dei Ministrum, quod ad usum gladii attinet, cui nos omnem nostram in Domino fidem subiectionem atque obedientiam debere omnino profitemur. Deinde vero habemus duos praecipuos in nostra Ecclesia peculiarium Ministrorum ordines, alterum Seniorum, qui et Presbyteri iam olim Graeca voce ita usurpata vocantur, alterum autem Diaconorum, qui egenorum inopiae curam habent. In priore porro Seniorum ordine, *alii* sunt rursus, qui in verbo et doctrina laborant inque publico verbi et Saeramentorum ministerio versantur — (C 1a) atque hi in scripturis Episcopi Pastores et Doctores vocantur [1]) —, *alii* vero, etsi ipsi non funguntur publico verbi ac Sacramentorum ministerio, verbi tamen Ministris perpetuo interim adsunt omni opera studio concilio atque auxilio suo, et curam sustinent totius Ecclesiae una cum verbi Ministris, ut in omni pietate sanctimonia pace ordine atque houestate iuxta verbum Dei gubernetur et conservetur, quo etiam nomine a Paulo Gubernationes vocantur [2]). Universo autem huic Seniorum ordini praeest unus, ex illorum numero ad id electus, ut eius autoritate unanimis simul omnium consensus in rebus omnibus retineatur, isque per Maiestatem Regiam Superintendens in Diplomate Regio vocatur. Est autem hoc duntaxat nomine aliis superior, quod plus laboris ac curae sustineat aliis omnibus, non tantum in gubernanda Ecclesia tota, sed in defendenda illa etiam adversus conatus omnes omnium adversariorum et unanimi omnium consensu in doctrinae controversiis retinendo. Caeterum in

[1]) Act. 20. Philip. 1. Tit. 1. 1 Tim. 5. [2]) 1 Cor. 12.

verbi et Sacramentorum ministerio inque disciplinae item Eccle-(C 1b) siasticae usu nihilo, quam reliqui Seniores, maiorem obtinet autoritatem, sed ei perinde atque alii omnes subiectus est. Et, quemadmodum ipse pro ministerii sui ratione aliorum curam gerit, ita se vicissim etiam aliorum curae in verbi Divini obedientia et disciplinae observatione submittit. Praeterea vero in eo ipso priore Seniorum simul omnium ordine Superintendens ipse, ac verbi Ministri omnes, postea quam a reliquis Senioribus totiusque Ecclesiae assensu electi fuerint, Maiestati Regiae — iuxta Privilegii dispositionem — per Ministros Ecclesiae offeruntur, ut Regia prius autoritate approbentur, quam publice suo ministerio coram Ecclesia inaugurentur. Reliqui vero Seniores omnes, Diaconi item, et si qui sunt alii Ministri, sola Seniorum et Ecclesiae autoritate — ex Regio indulto — asciscuntur et instituuntur. Quod vero ad Ministrorum in singulis ordinibus functionem atque officium attinet, id totum in concionibus illis expositum habetur, quae ante Ministrorum electionem circa publicas Ecclesiae preces, hoc nomine institutas, haberi solent, de qua iam alioqui (C 2a) etiam nobis dicendum erit.

DE MINISTRORUM ELECTIONE ET QUAE ILLAM PRAECEDANT.

CUM Ecclesia uno aliquo aut pluribus Ministris opus habet, indicitur publicum ieiunium toti Ecclesiae, constituiturque dies certus per Seniores publici huius ieiunii et precum publicarum in Ecclesia, ac diebus aliquot antea e suggestu toti populo denunciatur, ut, quatenus fieri potest, tota Ecclesia eo ipso die constituto conveniat, ac Dominum summo studio atque attentione animi summa pro fidelibus ministris eligendis precetur. Ipso autem iam ieiunii ac precum die, ubi Ecclesia circiter horam nonam convenit, post decantatum Psalmum aliquem, ad hoc institutum pertinentem, habetur publica concio per ministrum, in qua haec potissimum capita tractantur.

Primum ostenditur, cur in Ministrorum electione, quemadmodum in aliis publicis et gravibus Ecclesiae necessitatibus, publicum ieiunium et publicas pre-(C 2b)ces institui oporteat. Nimirum, ut ministerium ipsum Ecclesiarum non est humana ulla, sed Divina plane institutio, ita et ministri fideles ac pii nulla humana industria prudentiave sola, sed singulari Dei beneficio, Ecclesiae donantur. Cumque omnis in Ecclesia successus ex Divina ordinatione a Ministrorum fide cura ac pietate maxima fere ex parte propendeat, neque item aliunde plus sit periculi toti Ecclesiae, quam ab hypocrisi negligentia et impietate ministrorum, nosque (ut homines) non possimus non semper falli et fallere — tutissimum esse, ut in ministrorum electione summo studio

atque animi summa attentione nomen Domini invocetur, orcturque Pater Deus, ut ipse in nostra electione consilia nostra, omnia iuxta beneplacitum sanctae voluntatis suae regere dignetur, — et qui nobis iam in unigenito suo filio placatus est curamque nostri propter illum paterno iam affectu gerit, idem se etiam in Ministrorum nostrorum electione vere esse nostrum Deum, nosque vere suum populum esse testetur, datis nobis eiusmodi Ministris, per quos nomen illius adorandum (C. 8ᵃ) indies magis ac magis glorificetur in sua Ecclesia, ipsaque Ecclesia incrementa semper sumat in vera Dei et nostri cognitione in omni pietate integritate et honestate.

Ita Christus Dominus vult, ut Dominum messis oremus, ut ipse bonos ac fideles operarios in messem suam extrudat [1]). Ita ipsemet Christus Dominus circa Apostolorum suorum electionem in monte per noctem totam precatur [2]). Ita et Apostoli circa Matthiae electionem [3]).

Horum et similium exemplorum commemoratione adhortatur Ecclesiam Minister, ut non tantum in coetu illo publico, sed et domi quisque suae privatim in vero ieiunio ac mente sobria diligentissime precetur, ut Deus Opt. Max. suae Ecclesiae in hac Ministrorum electione per Spiritum sanctum suum adesse electionemque ipsam Divino afflatu suo gubernare dignetur, ad gloriam unigeniti filii sui et Regni ipsius in nostra Ecclesia salutarem propagationem. Deinde exponitur functio ipsa atque officium eorum, qui sunt eligendi, Ministrorum coram tota Ecclesia, et numerus eorum, quot sint eligendi, iuxta (C 8ᵇ) Ecclesiae necessitatem indicatur.

Quia vero duos esse diximus peculiarium in nostra Ecclesia Ministrorum praecipuos ordines, Seniorum videlicet et Diaconorum, atque in priore Seniorum ordine quaedam rursus discrimina esse ostendimus, iuxta haec functio singulorum exponitur circa illorum electionem ad hunc modum:

Si verbi Minister unus pluresve eligi debeant, haec ita de eorum officio dicuntur:

PRIMUM, Verbi Ministerium esse Divinam in sua Ecclesia ordinationem, institutam ad eius aedificationem, id quod universa scriptura passim expresse testatur [4]). Et proinde graviter peccare eos, qui in deligendis verbi Ministris, non tam quaerunt Dei gloriam, quam privatos potius affectus suos, sive ex amore sive ex odio, sequuntur. Vim enim inferunt Divinae ordinationi atque ita in Deum ipsum gravi-

---

[1]) Mat. 9. Luc. 10. [2]) Luc. 6. [3]) Act. 1. [4]) Matt. 10. 18. 28. Marc. ult. Ioan. 20. 1 Cor. 12. Ephe. 4. Act. 1. 12. 14.

sime peccant. Peccant et in ipsam Ecclesiam, dum illam in publico (C 4a) eius ministerio privatis suis ipsorum affectibus, tanquam ipsius domini, subiectam habere conantur. Sed multo adhuc gravius peccant, qui verbi ministerium in Ecclesia contemnunt rident et traducunt. Quicquid enim huius faciunt isti, id totum in Dei ipsius contumeliam redundat, qui, in Ecclesiae suae ministerio vel contemnitur vel honoratur, unde etiam Petrus Apostolus in arguendo Ananiae contemptum sui ministerii in Spiritum sanctum transfert [1], et Stephanus aperte docet, Pharisaicos illos Sacerdotum Principes in persequendis Dei Prophetis, non tam Prophetis ipsis, quam potius Spiritui sancto restitisse [2]). Omnium autem gravissime peccare dicuntur, qui sese ipsimet ad ministerium insinuare atque, Balaami exemplo, non quae Dei sunt, sed sua potius quaerentes, illud appetere invidentur [3]).

Deinde exponitur officium Ministrorum verbi in ministerio ipsorum, nempe haec illis (quae sequuntur) pro summa ipsorum virili praestanda esse:

1. ut, quemadmodum verbi Divini, non autem humanarum traditionum Mi-(C 4b)nistri vocantur [4]), ita puram etiam atque incorruptam doctrinam Verbi divini, recte illud secantes, Ecclesiae suae tradant, non cauponantes neque adulterantes illud ullo modo [5]). Quid enim paleis cum tritico?

2. ut Divinas institutiones Ecclesiasticas, quas Sacramenta vocamus, fideliter ac diligenter, ita ut sunt institutae, administrent, vimque naturam ac dignitatem illorum veram Ecclesiae sedulo commendent et inculcent.

3. ut concreditae sibi Ecclesiae curam una cum reliquis Senioribus seu Presbyteris habeant cum omni diligentia ac fide [6]), per admonitiones consolationes reprehensiones et legitimum disciplinae Ecclesiasticae usum iuxta verbum Dei [7]).

4. ut ora adversariorum omnium virtute atque autoritate verbi Divini cuius sunt Ministri obstruant ad Ecclesiae aedificationem [8]), gregemque suum a feris noxiisque bestiis dissipari ac depasci non sinant [9]), sed ab eis illum fideliter ac diligenter praemoneant, siquidem nullam spem resipiscentiae videant, et Ecclesia ab ipsis per privatas admonitiones liberari non (C 5a) possit.

5. ut haec omnia praestent, non tanquam dominium sibi in Ecclesiam ullum usurpantes, sed tanquam Ministri ipsius, ut gregis exemplaria, a Spiritu sancto in hoc constituta [10]).

---

[1]) Act. 5. [2]) Act. 7. [3]) Num. 22. 2 Pet. 2. Judae. Philip. 2. [4]) Math. 20. Ephes. 4. [5]) 2 Tim. 2. Ierem. 23. [6]) 1 Pet. 5. Act. 20. [7]) 2 Ti. 3. 4. [8]) Tit. 1. [9]) Act. 20. [10]) 1 Pet. 5.

Tertio exponitur, quales nam viros potissimum ad tantum ministerium quaeri atque elegi oporteat: nempe qui, in sacris studiis diligenter versati, certis verae pietatis officiis ea se omnia praestare et velle et posse utcunque declarant, iis alioqui ornati dotibus, quas Paulus in Ministris verbi commendat [1]), ac rursum ab iis vitiis longe alieni, quae Paulus in illis reprehendit gravissime vultque ab illis esse quam longissime aliena [2]). Imprimis vero cavendum esse, ne neophyti ad hoc Ministerium assumantur et qui turpis lucri aut propriae gloriae suae causa sese ipsimet ad ministeria insinuant. Istiusmodi enim omnes, non a ministerio solum una cum Simone Mago arcendi sunt [3]), sed non ferendi etiam in ipso coetu Ecclesiae, nisi manifesta indicia ac testimonia resipiscentiae suae aedant.

Postremo exponitur, quodnam sit totius coetus Ecclesiastici erga verbi Mi-(C 5ᵇ)nistros officium: nempe ut illis in legitimo ipsorum ministerio, tanquam Christi Domini legatis, imo vero tanquam Christo ipsimet Domino, per illos loquenti, pareant [4]), admonitiones eorum tam publicas quam privatas libenter atque amanter admittant, coetus publicos Ecclesiae reverenter ac diligenter quisque in Ecclesia observet, et ab omnibus murmurationibus contra Ministros eorumque ministerium modis plane omnibus caveat. Non fert enim inultum Deus Ministrorum ipsorum contemptum [5]), sed multo minus fert temere excitata adversus illos murmura aut conspirationes, id quod multa alioqui et vehementer horribilia in scripturis exempla testantur [6]). Postremo dicitur esse quoque officium Ecclesiae erga verbi Ministros, ut illis de honesta vivendi ratione pro sua virili prospiciat. Dignum est enim, ut dum seminant spiritualia, corporalia vicissim metant, nec desit pabulum bovi trituranti, quemadmodum Paulus docet [7]).

Haec ita de verbi Ministrorum erga Ecclesiam et Ecclesiae rursum erga illos officio in concione dicuntur ante ver-(C 6ᵃ)bi ministrorum electionem.

Si vero ex aliis Senioribus, subsidiariis Ecclesiae gubernatoribus, aliqui, unus pluresve, eligi debeant, tum haec de illorum functione pro publica concione dicuntur.

PRIMUM docetur Ecclesia, hoc talium Seniorum seu Presbyterorum ministerium esse Apostolicam ordinationem, et proinde Divinam quoque: idque ex doctrina Pauli Apostoli, qui inter Presbyteros dis-

---

[1]) 1 Timo. 3: 4. [2]) Tit. 1. [3]) Act. 8. [4]) 2 Corin. 5. Luc. 10.
[5]) 1 Thess. 4. [6]) Exo. 16. 2 Para. 36. Iere. 26. 29. Zacha. 7.
[7]) 1 Cor. 9. Gal. 6.

crimen constituit, dum eos, qui in verbo laborant, duplici honore dignos esse docet, alios vere vocat „subsidiarias Gubernationes" [1]).

Deinde exponitur talium Seniorum officium ac dignitas in Ecclesia Christi. Nempe coetum illorum esse veluti Senatum quendam totius Ecclesiae, quod quidem ad custodiam verae religionis ac disciplinae Ecclesiasticae attinet: ut ad Seniorum coetum referri semper in causa reli-(C 6[b])gionis oporteat omnia, quae per solos verbi ministros curari commode non possunt, — et proinde haec, quae sequuntur, ad ipsorum officium imprimis pertinere:

1. ut una cum verbi Ministris curam ac sollicitudinem omnem habeant totius Ecclesiae in eius gubernatione, quod ad verae potissimum religionis curam ac custodiam attinet iuxta verbum Dei, tam in retinenda doctrinae puritate ac consensu, quam in legitimo Sacramentorum et disciplinae Ecclesiasticae usu observando.

2. ut, quemadmodum una cum verbi ministris curam sustinent totius Ecclesiae, ita vicissim — cum sint Senatus vice in ipsa Ecclesia — debent etiam verbi ministros et omnes alios, qui publico aliquo munere in Ecclesia funguntur, diligenter observare totius Ecclesiae nomine in doctrina vita ac conversatione ipsorum, et, si quando res postulet, admonere illos etiam adeoque et reprehendere privatim ac publice, denique et ministerio ipsorum illos cum assensu Ecclesiae destituere, si per admonitiones ac reprehensiones Ecclesiasticas, iuxta gradus illarum praescriptos habitas, reduci ad resipiscen-(C 7[a])tiam nolint.

3. ut simultates dissidia et controversias omnes, si quae forte incidant in Ecclesia, amice ex verbo Dei (quoad eius fieri potest) componant, denique sedulo omnem operam per amicas istiusmodi compositiones, ut aut nulli aut pauci ex Ecclesia ad forensia iudicia tribunaliaque recurrant, quod equidem sine magna Ecclesiae indignitate, quemadmodum Paulus docet [2]), fieri non potest. Breviter, idem est plane istorum Seniorum et verbi Ministrorum officium, nisi quod sibi non sumunt verbi ac Sacramentorum ministerium. Nimirum horum functio penes verbi Ministros ad externam quandam Ecclesiae gubernationem magis quodammodo spectare videtur; suntque veluti custodes quidam una cum verbi Ministris totius Ecclesiae, ac rursum veluti os ac manus totius Ecclesiae apud verbi Ministros et alios omnes, qui publico quocunque munere funguntur.

Tertio exponitur, qualesnam potissimum viri ad hoc ministerium quaeri et eligi debeant: nimirum tales, quales et ad ipsum verbi ministerium, aut qui certe quam proxime donis suis a Domi-(C 7[b])no collatis ad verbi Ministros accedant, ut, si illis eruditione pares non

[1]) 1 Timo. 5. 1 Cor. 12. [2]) 1 Cor. 6.

sint omnino, gravitate interim morum prudentiaque ac vitae integritate, deinde et usu rerum longo ac iudicii dexteritate, super omnia autem pietatis studio eis ne cedant. Ita enim, etiamsi una cum verbi Ministris publice non docent, sint tamen veluti exemplaria quaedam totius Ecclesiae in hisce donis, quae iam commemoravimus et quae plurimum habent momenti in legitima Ecclesiae gubernatione.

Postremo exponitur, quodnam sit plebis totius in Ecclesia erga istiusmodi Presbyteros seu Seniores officium: nempe ut illos eodem prorsus, quo et verbi ministros, loco habeat, illorum admonitionibus ultro ac reverenter pareat, illis non remurmuret neque reclamet: ad illos dubia sua omnia, omnia dissidia omnesque controversias ac simultates ante omnia suo ordine referat, si quomodo amice componi possint: per hos reliquos Ministros omnes, sicubi aliquid in eis desideretur, admoneat, et ad hos (C 8a) tandem deferat etiam omnes privatarum in Ecclesia tota admonitionum contemptores.

Atque haec ita de Seniorum istorum subsidiariorum erga Ecclesiam Ecclesiaeque vicissim erga illos officio dicuntur ante ipsorum electionem.

Si vero Superintendens Ecclesiarum Peregrinarum eligi debeat, post indictum per illas simul omnes certo aliquo die ieiunium et factis (ut dictum est) per illas publicis ad preces exhortationibus, haec ita de illius officio pro concione dicuntur.

PRIMUM Superintendentis seu Inspectoris ministerium — Graeci Ἐπισκοπὴν vocant — esse Divinam ordinationem in Christi Ecclesia [1], per ipsummet Christum Dominum inter ipsos etiam Apostolos institutam, dum Petro confirmandi reliquos fratres in fide provinciam peculiariter demandaret [2]. Non quod Petro aliam ullam super reliquos Apostolos potestatem auto-(C 8b)ritatemve dederit, quemadmodum Papa Romanus somniat, sed quod parem alioqui atque aequalem omnino aliorum omnium Apostolorum cum Petro potestatem certo aliquo sollicitudinis aliorum pro aliis ordine retineri in Ecclesia oportebat, quemadmodum sanctus Dei martyr Cyprianus vere et praeclare docet. Alioqui manifeste videmus idem ministerium omnibus ex aequo Presbyteris Ecclesiae attribui, omnesque Presbyteros verbis disertis Inspectores, seu (voce Graeca) Episcopos vocari [3], et post constitutam Hierosolymis Ecclesiam parem honorem Petro Ioanni et Iacobo de-

[1]) Act. 1. 1 Timot. 3. [2]) Math. 28. Lucae. 22. Ioan. 20. 1 Petri. 5.
[3]) Act. 20.

ferri audimus, — sed ut ordo certus in pari alioqui planeque eadem omnium simul Presbyterorum gubernatione Ecclesiastica retineatur utque omnia ordine ac decenter fiant, ab uno illam ordiri necesse est. Quia vero plurimum interest, a quonam sumendum sit exordium in tota Ecclesiae gubernatione, etiamsi parem potestatem omnes pariter Seniores habeant, docetur Ecclesia, gravissime peccare eos omnes, qui in quaerendo atque eligendo (D 1[a]) Superintendente, quidvis potius aliud, quam solam Dei gloriam regnique sui in Ecclesia propagationem intuentur. Et licet in reliquorum etiam omnium Ecclesiae Ministrorum praepostera electione graviter sane peccatur, quemadmodum alibi iam dictum est, hic tamen tanto gravius peccatur, quanto plus periculi imminet toti Ecclesiae, si parum diligentem aut fidelem, ne dicam ineptum Superintendentem habeat sive Inspectorem.

Deinde exponitur, in quibus functio Superintendentis potissimum consistere videatur:

1. ut omnes Ecclesiae Ministros in ipsorum officiis iuxta cuiusque ministerium observet, fidem ac diligentiam illorum commendet: contra vero segnitiem ac negligentiam reprehendat sitque custos supremus retinendae ac legitime observandae Ecclesiasticae disciplinae.

2. ut Ministros omnes, quoties opus est, convocet, ordinem ac consensum unanimem inter eos retineat, illosque sua et totius Ecclesiae autoritate ex verbo Dei arguat et compescat, sicubi septa sui ministerii transcendere conentur.

3. ut operam omnem suam Ecclesiae supra alios Ministros omnes impendat, non in ipsius tantum gubernatione, sed in tuenda illa etiam adversus omnes insultus quorumvis adversariorum, sive doctrinae puritatem ac consensum a falsis Doctoribus labefactari, sive ordinem ac decorum in Ecclesia violari, sive pacem ac tranquillitatem illius per nonnullorum in Ecclesia insolentiam perturbari quoquomodo contingat (D 1[b]).

4. ut, quemadmodum ipse supremus est custos Ecclesiasticae disciplinae in Ministris aliis omnibus et tota Ecclesia, ita ipse quoque eidem disciplinae Ecclesiasticae sese ante alios subiiciat et submittat sitque exemplar quoddam reliquis Ministris omnibus et toti Ecclesiae in omni pietate, studio religionis, sollicitudine pro tota Ecclesia et disciplinae Ecclesiasticae observatione.

Tertio exponitur, qualemnam virum ad tantum munus obeundum quaeri eligique oporteat: nempe eum, qui, ut inter omnes alios Ministros ac Seniores Ecclesiae ordine ac loco primas partes obtinet, ita illis omnibus etiam eruditione pietate gravitate ac prudentia an-

[a]) 1 Cor. 14.

tecellat, sitque vel (D 2a)ut dux illorum in propagando Regno Christi in Ecclesia per doctrinae puritatem prudentiam et pietatem.

Postremo dicitur etiam de reliquorum Ministrorum ac Seniorum omnium totiusque adeo Ecclesiae erga Superintendentem officio:

1. ut nihil inter Ministros ac Seniores statuatur in publica Ecclesiae gubernatione inscio inconsultoque Superintendente, cuius alioqui partes sunt praecipuae, rationem semper reddere omnium, quae in Ecclesia fiunt.

2. ut, quemadmodum Superintendens existimationem omnium Ministrorum tuetur ac defendit, cum apud Ecclesiam ipsam, tum alibi etiam ubique, dum res id quoquo modo postulat, — ita rursum Ministri etiam ac Seniores omnes Superintendentis autoritatem atque existimationem, cum apud Ecclesiam ipsam, tum alibi ubique etiam, si ita incidat, tueri ac defendere pro sua virili debeant omnino, ut murmura omnia ab Ecclesia arceantur.

3. ut, quoniam Superintendens non uni tantum, sed pluribus simul Ecclesiis praeest, unius Ecclesiae ministri ac Seniores de illo statuere nihil possint circa il-(D 2b)lius reprehensionem publicam vel destitutionem (si id forte commeruisse videretur), nisi convocatis prius omnium simul Ecclesiarum, quibus praeest, Senioribus et Ministris, ut, quemadmodum ab omnibus simul Ecclesiarum Ministris eligitur, ita ab omnibus simul etiam, siquidem id commeruerit, et reprehendatur et destituatur. Si tamen in unam tantum aliquam suam Ecclesiam peccaverit, ab eius Ecclesiae etiam Senioribus ac Ministris admoneri peculiariter poterit et debebit.

4. Ecclesiae officium esse, ut intelligat se ea omnia Superintendenti suo debere, quae se Ministris verbi debere ex verbo Dei agnoscit.

Atque de Superintendentis erga reliquos Ministros totamque Ecclesiam illorumque vicissim erga ipsum officio tantum.

Si vero Diaconi eligendi sint, tum de illorum Ministerio pro concione dicuntur ista.

PRIMUM ostenditur, Diaconorum ministerium esse Apostolicam et proinde Divinam quoque ordinationem [1]), necessa-(D 3a)riam alioqui Christi Ecclesiae, quatenus Christus Dominus in egenis atque afflictis membris suis negligi a nobis in Ecclesia haudquaquam vel debeat vel possit. Ac, quemadmodum in vetere Iudaeorum Ecclesia mandato Dei nulli mendico esse licebat, quin aliorum ope sublevaretur [2]), — ita magis multo in Christi Ecclesia mutua invicem omnium

[1]) Act. 6. [2]) Deut. 15.

charitas pro cuiusque vocatione sese exerere debet, in qua alioqui, omnium typicorum Sacrificiorum ac cultuum loco, unam nobis charitatem imprimis omnes imperatam habemus, quae equidem non permittit, ut fratres nostros — pro quibus Christus Dominus aeque ac pro nobis sanguinem suum fudit — egere quoque modo patiamur. Ut igitur egenis in Ecclesia fratribus succurri commodius posset, ordinatos habemus ab Apostolis, autore Spiritu Sancto, Diaconos, sine quibus pauperum cura in Ecclesia commode haberi non potest. Quia vero membrorum Christi cura in Diaconatus ministerio suscipitur, et quidem potissimum eorum, in quibus se ipsemet Christus Dominus pasci vestiri ac sublevari testatur, serio docetur, advigilandum esse Ec-(D 3b) clesiae in delectu Diaconorum, ut tales deligantur, in quibus fides et diligentia curandi menbra Christi desiderari non possit.

Deinde exponitur, Diaconorum officium in duobus potissimum consistere, nempe in sedula ac diligenti collectione atque item in fideli ac prudenti Eleemosynarum dispensatione. In colligendis porro Eleemosynis eam esse praestandam Diaconis sedulitatem et diligentiam, quam se non tam hominibus, quorum curam habent, quam Christo ipsi Domino in afflictis membris ipsius debere agnoscunt. Quoties autem incidit, ut graviora sint pauperum onera, quam ut illis ex communibus eleemosynis satisfieri possit, Diaconorum officium esse, ut huius in tempore Ministros verbi et Seniores Ecclesiae admoneant, ut per eos Ecclesia ad uberiores eleemosynas commonefiat aut publice aut privatim, pro eo ac res id magis postulare videtur. In dispensatione vero eleemosynarum eam fidem ac prudentiam Diaconis praestandam esse, ut (quoad eius fieri potest) neminem egere patiantur, sed egenorum omnium non minorem, quam sui ipsorum, curam habe-(D 4a)ant. Summam tamen eorum rationem semper habeant, quos domesticos fidei et membra Ecclesiae esse norunt. Praeterea, ut circa eleemosynarum dispensationem egenorum quoque fidem ac pietatem subinde explorent et eos debiti ipsorum erga Deum ac Ecclesiam diligenter admoneant, sicubi aliquid forte desiderent.

Tertio exponitur, qualesnam potissimum in Diaconos sint eligendi, nempe in quibus haec relucent, quae circa Diaconorum electionem ab Apostolis observata[1]) et a Paulo item de Diaconis prodita habemus:[2]) 1. ut sint μαρτυρούμενοι, hoc est, ita spectatae probitatis fidei et integritatis, ut hae dotes in illis omnibus sint conspicuae omniumque piorum testimoniis approbentur. Quo quidem etiam pertinent, quae a Paulo de Diaconis traduntur: nempe, ut sint omni decoro praediti, non lucri cupidi, non bilingues, non multo vino aut

---

[1]) Act. 6. [2]) 1 Tim. 3.

comessationibus dediti, unius uxoris mariti, regendae familiae periti, et quae in eam sententiam dicuntur. 2. Ut sint pleni Spiritu sancto, hoc est, ut dona Spiritus Sancti in illis sint conspicua: nempe cognitio rerum Divi-(D 4b)narum, studium pietatis, lenitas mansuetudo benignitas gratia atque energia quaedam in admonitionibus consolationibus et exhortationibus, quarum sese multae alioqui occasiones in dispensandis eleemosynis offerre plerumque solent. 3. Ut sint pleni sapientia, ne quid temere in dispensatione Eleemosynarum agant, sed prudenter ac circumspecte illas dispensent, ne vel praepostere illas erogent, vel alios prae aliis quoquo modo fraudent, et in omnibus perpetuo propositam sibi ob oculos habeant Dei potissimum gloriam et Regni Christi in eius Ecclesia propagationem.

Quarto exponitur, tam divitum, quam pauperum in Ecclesia erga Diaconos officium [1]. Nempe divitum officium esse, ut ultro ac libenter, denique etiam liberaliter in usum atque alimoniam pauperum conferant, memores, ea quae habent non esse sua, sed Dei solius propria seque bonorum suorum omnium, non esse Dominos, ut eis pro suo utantur libito atque arbitrio, sed oeconomos duntaxat, et quidem ad breve temporis momentum, a Domino Deo constitutos, apud quem tandem alioqui (D 5a) rationem illos exactissimam reddere oporteat eius suae oeconomiae, in qua sane nobis non tam sunt spectanda, quae nostra sunt, quam quae Iesu Christi, qui in egenis Ecclesiae suae membris vel contemnitur vel honoratur [2]).

Deinde divites monentur, ne perinde esse putent, sive ipsimet per sese pro suo arbitrio, sive per manus Diaconorum egenis in Ecclesia subveniant. Interesse totius Ecclesiae, ut omnia ordine et ad aedificationem fiant. Pugnare item cum Ecclesiae aedificatione, si otiosi aut pigri homines in ipsorum otio ac pigritie alantur, veri autem pauperes eleemosynis fraudentur. Ut igitur inutile otium ac pigrities non alatur in Ecclesia atque veris egenis succurratur, ordinati sunt ab Apostolis Diaconi, qui verorum Ecclesiae pauperum curam imprimis haberent, eo quod singuli in Ecclesia curam illorum habere commode non possent. Contemni ab iis igitur Apostolicam ordinationem, impediri item Ecclesiae in cura pauperum aedificationem, qui perinde esse putant, sive ipsimet per sese pro suo arbitrio, sive per Diaconos eleemosynas dispensent. Interim tamen doce-(D 5b)tur Ecclesia, non pugnare id cum Diaconorum ministerio, ut frater fratrem privatim sublevet, dum illum egere videt: neque per publicas Ecclesiae in coetu Eleemosynas prohiberi, quominus privatim etiam proximo, dum res ita postulat, succurramus. Sed ordinem retinendum esse publica-

[1]) 1 Tim. 6. Luc. 12. Esa. 58. 2 Cor. 9. [2]) Luc. 16.

rum Eleemosynarum in Ecclesia iuxta Apostolicam ordinationem, ut veris pauperibus Ecclesiae prospiciatur cum Ecclesiae aedificatione.

Pauperum vero officium erga Diaconos et totam Ecclesiam esse dicitur [1]:

1. Ita affectos esse debere, ut potius aliis adiumento (si fieri posset) quam oneri esse cupiant, sintque ad dandum ipsi propensiores, quam ad accipiendum ab aliis, si ullo modo id vel industria sua vel manuum suarum labore facere possent. Haec enim est lex Christianae charitatis, ut, quae proximi sunt, maiore cura quam nostra ipsorum curemus. 2. Non debere pauperes pudere sane paupertatis, quatenus quidem sunt Christiani. Statuendum enim esse omnibus Christianis, certa Dei providentia id fieri, ut alii sint divites, alii vero egeant in Ecclesia [2], ut et (D. 6a) per Divitum munificentiam et per pauperum tolerantiam, dum illi succurritur, nomen Dei in Ecclesia cohonestetur. Statuent igitur pauperes, in sua paupertate illustrari gloriam Dei, illamque tanquam donum Dei cum omni gratitudine et tolerantia amplectentur, atque ad assiduam sui consolationem in prospectu semper habebunt Christi Domini exemplum, qui pro nobis ultro ac sponte sua, cum Dominus esset omnium, pauper nihilominus esse voluit, ut, eius exemplum intuentes, pauperes cum illo esse ne erubescamus, sed in nostra inopia per nostram tolerantiam Deum semper pro nostra virili glorificemus. 3. Pauperes in accipiendis eleemosynis cogitare debere, quod non tanquam ex hominum, sed tanquam ex Dei ipsius manibus eleemosynas accipiant ad sui sustentationem, et proinde ipsorum officii esse, ut eas reverenter et cum omni gratitudine sine ulla amarulentia aut murmuratione accipiant, utque ipsis, tanquam Dei donis, parce ac frugaliter ad necessitatem duntaxat, non autem ad luxum aut voluptatem utantur, cogitentque, se in Deum ip-(D. 6b)sum peccare, quoties datis sibi Eleemosynis, aut abutuntur quoquo modo, aut illas parum reverenter cum murmurationibus e Diaconorum manibus accipiant; sed multo gravius se peccare adhuc, ac veluti Deum ipsum in sua beneficentia ridere, si praeter necessitatem, ipsam praetextu simulatae inopiae panem alienum ad alendum otium pigritiemque suam poscant. Tales enim, praeterquam quod sua hypocrysi veris Christi membris ipsorum eleemosynas praeripiunt, ipsam etiam Ecclesiam totam fraudulenter spoliant, et spiritui sancto, in Diaconatus ministerio (quantum in ipsis quidem est) illudunt.

Haec ita pro concione dicuntur, circa Diaconorum electionem: priusquam electio ipsa instituatur.

POST absolutas autem istiusmodi conciones, pro eo ac ministro-

[1] 2 Thess. 3. [2] 1 Samn. 2.

rum qui sunt eligendi ratio ipsa postulat, priusquam consuetae aliae preces publicae Ecclesiasticae instituantur, Minister Ecclesiam ad precandum peculiariter invitat pro successu futurae Ministrorum electionis, atque clara voce ad eum modum precatur (D 7ª).

„DOMINE Deus, Pater noster coelestis! cuius solius gratuito beneficio fit, ut bonos ac fideles Ministros in Ecclesia habeamus, et sine cuius auxilio humana industria nihil omnino efficere potest, nedum ut legitimos Ecclesiae tuae Ministros ex nobis ipsis eligere ullo modo possimus, — oramus tuam clementiam, Pater sanctissime! ut Ecclessiae huic nostrae, quae te una cum unigenito filio tuo ac Sancto spiritu Unum Verum atque Aeternum Deum suum esse credit ac profitetur, et pro qua idem ipse filius tuus sanguinem suum innocentissimum fundere non dubitavit, donare digneris pios fideles ac diligentes, N. (*Hic nominandi sunt Ministri, qui eligi debebunt*), qui suo Ministerio secundum Divinam voluntatem tuam ad nominis tui gloriam et Ecclesiae nostrae aedificationem fungantur. Rege ac guberna corda consilia et suffragia nostrum omnium in hac N. electione, ut solam duntaxat gloriam tuam in prospectu nostro haben-(D 7ᵇ)tes, eos in N. nostrae Ecclesiae eligamus, qui, defixis et ipsi suis oculis in solam nominis tui gloriam, ministerio suo recte ac fideliter defungantur. Exaudi nos quaesumus, Pater clementissime! opem hic tuam Divinam suppliciter implorantes per unice tibi dilectum nomen Iesu Christi, filii tui Domini nostri. Amen."

Post hanc precationem habentur demum aliae preces consuetae pro communibus Ecclesiae necessitatibus; quibus absolutis et Psalmo aliquo decantato, monetur Ecclesia, ut omnes domum reversi sobrie ac frugaliter toto eo die vivant ac sine cibo et potu ad vesperam usque (quatenus id valetudo cuiusque permittit) diem illum transigant in precibus et sacra lectione. Aut, si quid necessario propter valetudinem cibi sumendum sit, id ut summa cum moderatione et parcimonia fiat, quo facilius totus dies ille precibus et cultui Divino impendatur. Atque ita demum facta istiusmodi admonitione dimittitur cum pace Ecclesia et ad secundam rursus pomeridianam convocatur. Ibique rursus fit concio publica, in qua plenius (D 8ª) exponuntur, quae matutina concione satis explicari non potuerunt, populusque denuo ad precandum invitatur, et sic totus dies ille transigitur in ieiunio et precatione, ut Deus futuram Ministrorum electionem per Spiritum Sanctum suum gubernare faustamque ac foelicem suae Ecclesiae propter dilectum filium suum esse velit.

RITUM praeficiendi Ministros Ecclesiis varie observatum esse, cum apud veteres, tum apud nostrorum etiam temporum Ecclesias videmus, pro eo ac Ecclesiae cuiusque rationes ipsaque adeo tempora id videbantur postulare. Olim in vetere post Apostolos Ecclesia designabantur Ministri totius populi suffragiis, iuxta exemplum Apostolorum circa Diaconorum electionem [1]), atque hunc morem Cyprianus suis quoque temporibus observatum esse docet. Sed cum pietas refrigescere passim mox postea coepisset ac plebs ipsa Ecclesiae dissidia quaedam inter sese alc-(D 8b)re, resque tota ad turbas potissimum simultatesque in istiusmodi electionibus spectare videretur, atque privatis fere affectibus omnia agerentur, — autoritas demum tota praeficiendi Ministros in Ecclesiis ad Magistratum (publicae alioqui tranquillitatis atque ordinis politici retinendi in Ecclesia custodem) devoluta est, exemplo nimirum veteris sub Mose Ecclesiae, in qua Magistratus summos Ministros templi omnes constituebat. At vero et hic gravius adhuc malum subsequutum est, versa in tyrannidem Magistratus autoritate et, auctis brevi rebus Ecclesiae, tituli Ministerii Ecclesiastici aulicorum officiorum premia esse coeperunt Ecclesiaeque suo fraudabantur Ministerio, dum aulici homines, ad loca ac titulos Ministrorum admoti, neque ipsi suo ministerio vere fungerentur, neque ut alii fungerentur permittere vellent. Accessit ad extremum Papae Romani tyrannis plane antichristiana, per quam sibi ille dominium nescio quod omnium omnino toto terrarum orbe Ecclesiarum quo iure quaque iniuria ita arrogavit, ut ab ipso potissimum iuratisque Regni sui satellitibus duntaxat omnium (E 1a) ubique Ministrorum Ecclesiasticorum institutio tota penderet. Contracta igitur popularis electionis ad Magistratum autoritate ac demum ad Papam ipsum iuratosque ipsius satellites devoluta, perierat propemodum in omnibus Ecclesiis purum ac legitimum earum ministerium, quod nunc singulari plane Dei beneficio multis rursum locis restitutum indiesque magis ac magis adhuc restitui videmus. Porro cum perspicuum sit rem plenam semper periculi utrobique fuisse, et in populari illa videlicet publica Ministrorum Ecclesiae electione, et in eius iterum ad unum quempiam paucosve alios quosdam astrictione, — cum nos in nostra Ecclesia Ministros eligendi modum nobis potissimum observandum esse putavimus, qui et verbo Dei consentaneus omnino esset, et tumultibus interim ac dissidiis popularibus viam utcunque praecluderet, nihilominus tamen etiam servitutem omnem ab Ecclesia ar-

[1]) Act. 6. 14.

ceret. Nempe ut neque plebis ipsius in Ecclesia autoritas negligeretur omnino et omnia interim ordine ac decenter fierent, quemadmodum Paulus docet [1].

Neque tamen ideo diversum eligendi (18) Ministros in aliis Ecclesiis morem ac ritum ullo modo damnamus, modo ut tollatur abusus omnis, quoad eius fieri posset, omnesque turbarum ac dissidiorum occasiones amputentur, sed nos nostrae nobis Ecclesiae commoditatem spectandam inprimis esse putavimus. Alioqui eam ubique in Ecclesiis libertatem extare optaremus, ut, observato duntaxat unanimi sanae doctrinae consensu, ritus sane ac ceremoniae aliquo modo variarent, neque ad unum et eundem ubique modum observarentur, sed unaquaeque Ecclesia (sublatis interim praeiudiciis privatisque affectibus omnibus) publicae hac in parte commoditati ac tranquillitati suae studeret. Sic enim Christianae libertatis vera legitimaque ratio retineri in Ecclesiis manifesteque adeo conspici etiam posset. Permissa igitur omnibus Ecclesiis sua libertate, nos infra scriptum nobis eligendi Ministros modum sequendum esse iudicavimus, quod nobis omnium commodissimus nostrae Ecclesiae esse videretur, et quod illum etiam Regia nobis autoritate permissum in Diplomate nostro habéremus.

In ipso ergo publici ieiunii die (19) ac precum publicarum, ut iam est dictum, post absolutas preces publicas monetur Ecclesia, ut sequente hebdomade quisque ex Ecclesia, invocato Dei nomine, serio secum dispiciat, quosnam ad illud ministerium, in quo unus aut plures forte desiderantur, maxime utiles atque idoneos esse putet, nominaque eorum in scripto Ministris ac Senioribus Ecclesiae per totam illam hebdomadem (sepositis alioqui privatis affectibus omnibus) tradat. Tota igitur hebdomade illa Ecclesiae totius suffragia per Ministros ac Seniores privatim colliguntur. Altera vero hebdomade postea Ministri, Seniores ac Diaconi eius Ecclesiae omnes, in qua Ministri eligendi sunt constituto ad id certo aliquo die simul conveniunt suffragiaque totius Ecclesiae collecta una inter sese perspiciunt, et, observatis eorum nominibus, qui, plurimis Ecclesiae suffragiis commendati, maxime alioqui idonei prae aliis esse videntur, post factam denuo seriam nominis Divini invocationem, singuli, alii post alios ordine suo, suffragia sua de eligendis, qui desiderantur, Ministris ferunt, redditis interim rationibus e verbo Dei petitis, cur alios (20) prae aliis magis idoneos esse iudicent, ne quid privatis affectibus ullis illic omnino geratur. Non prius autem coetus ille Ministrorum, Seniorum ac Diaconorum omnium dimittitur, quam unanimi, aut simul omnium, aut maioris saltem partis assensu, qui desiderantur Ministri,

[1] 1 Cor. 14.

eligantur ex iis, qui, Ecclesiae suffragiis commendati, excellentioribus donis a Domino ornati esse videntur. Nec sit inter Ministros, Seniores ac Diaconos omnes quisquam, qui aliquid omnino habeat, quod aut electionem ipsam in dubium vocare, aut eos, qui sunt electi, a ministerio ipsorum merito arcere ullo modo possit. Facta autem istiusmodi electione, accersuntur qui sunt electi ad coetum illum Ministrorum, Seniorum ac Diaconorum omnium proponiturque illis eius ministerii, ad quod sunt electi, tota ratio atque animi illorum, quonam pacto ad delatum sibi ministerium affecti sint, diligenter explorantur. Quodsi nullam legitimam adferant excusationem, quominus delatum ministerium suscipere possint, sed assensu suo comprobent suam vocationem, tum subsequente proximo Dominico die (21) sub finem antemeridianae concionis, priusquam publicae preces Ecclesiasticae instituantur, nomina electorum publice per Ministrum e suggestu coram tota Ecclesia recitantur iubenturque electi illi eo loco coram tota Ecclesia consistere, quo omnium commodissime a tota Ecclesia conspici possint. Ac tum demum Ecclesiastes a suggestu populo exponit, viros illos (unum aut plures) post revisa collataque ac diligenter excussa totius Ecclesiae suffragia, seria ac gravi deliberatione et sine privatis affectibus ullis, sed solo promovendae Dei gloriae in eius Ecclesia studio, ad ipsorum Ministerium electos esse, viderique illos omnium maxime idoneos ad eiusmodi ministerium unanimi consensu omnium et verbi Ministrorum et Seniorum et Diaconorum. Ut autem nemo ex Ecclesia de istiusmodi electione merito conqueri possit, conceditur rursum toti Ecclesiae totius hebdomadis proxime subsequentis deliberatio, ut quisque in Ecclesia secum dispiciat, num in electis viris illis aliquid eiusmodi adhuc deprehendat, propter quod, sive id ad doctrinam, sive etiam ad vitae integritatem pertineat, (22) a delato illis per electionem ministerio arceri serio possint, et, si quid forte aliquis ex Ecclesia se habere eiusmodi credat, id tum intra eam hebdomadem, ante subsequentem Dominicum diem, Ministris aut Senioribus privatim indicare iubetur, ut in coetu demum Ministrorum ac Seniorum proximo diligens ac gravis accusationum istiusmodi examinatio fiat. Monentur autem serio omnes in Ecclesia, ut sua libertate Christiana in deferendis apud Seniores electis illis utantur quidem legitime, sed non abutantur, atque in prospectu semper habeant legem Christianae charitatis et Ecclesiae aedificationem. Libertatis enim Christianae conservationem, ut est proculdubio necessaria in Ecclesia Christi, ita gratissimam quoque esse verbi Ministris, Senioribus ac Diaconis omnibus; sed nimiam rursus traducendi alios temere licentiam, idque sine fructu ullo aut certa etiam accusationis comprobatione, eam sane in Christi Ecclesia adeo non esse alendam

ut ne ferri quidem omnino debeat, multo minus autem clancularias obtrectationes, susurros ac murmurationes. Legitimum (23) igitur libertatis Christianae usum in Ecclesia retinendum esse omnibus, sed vitandas rursum omnino, denique et non ferendas esse malevolas et clandestinas obtrectationes susurros ac murmurationes, quas alioqui manifeste semper a Domino punitas esse videmus.

Quodsi intra praedictam hebdomadem aliquid eiusmodi adversus electos illos proferatur, quod electionem ipsorum (facta per Ministros ac Seniores Ecclesiae diligenti accusationum examinatione) dubiam merito facere posse videatur, qui inter electos ad hunc modum accusati sunt, ad Ministerium non admittuntur, sed in locum eorum alii, qui, plurimis Ecclesiae suffragiis post electos illos commendati, Ministris verbi, Senioribus ac Diaconis Ecclesiae maxime apti atque idonei esse videntur, substituuntur. Aequum id enim prorsusque necessarium esse videtur, ut in designandis Ecclesiae Ministris summa apud eos sit autoritas, quos autore Spiritu sancto ad regendam gubernandamque totam Ecclesiam ordinatos esse constat.

Si vero tota ea hebdomade ante sequentem Dominicum diem nihil profertur ad-(24)versus electos illos, quod quidem aliquid momenti in se habere videatur, tum Ministri verbi et Seniores Ecclesiae procedunt ad publicam electorum Ministrorum coram tota Ecclesia inaugurationem.

Hic tamen peculiariter observantur quaedam circa Ministrorum verbi et Superintendentis electionem, quae alioqui necessaria non sunt circa Seniorum subsidiariorum aut Diaconorum electionem. Si quidem in Regio diplomate praeclare sane ac prudenter constitutum est, ut Ministri verbi omnes ipseque imprimis Superintendens, posteaquam sunt electi, coram Regia Maiestate sistantur, priusquam publice ad Ministerium inaugurentur; ut eorum electio, non plebis tantum, in Ecclesia assensu, sed Regia quoque autoritate comprobetur. Quae sane res multum facit ad retinendum sanae doctrinae per omnes Ecclesias consensum, praebetque occasionem magnam instituendi peculiares preces in Ecclesiis pro Maiestate Regia et tuendae vocationis Regiae in Christi Ecclesia adversus deliria eorum, qui negant esse locum ullum Magistratui in Ecclesia Christi. Circa ministrorum verbi igitur et Su-(25)perintendentis electionem id peculiariter observatur ante publicam illorum coram Ecclesia inaugurationem, quod, posteaquam electi iam ac publico totius Ecclesiae silentio approbati sunt (quemadmodum supra dictum est), sistuntur tandem per Ministros ac Seniores Ecclesiae coram Maiestate Regia, aut si quos ad id alios Maiestas sua loco suo designare velit, atque ita demum ipsorum electio Regia autoritate comprobatur iuxta diplomatis ipsius dispositionem,

Seniorum vero subsidiariorum, atque item Diaconorum electionem, Ecclesiae ipsi atque imprimis eius Ministris Regia beneficentia permissam omni ex parte habemus.

Caeterum sunt rursus et alia quaedam soli duntaxat Superintendenti peculiaria circa eius electionem, quae neque circa aliorum verbi ministrorum, neque item circa Seniorum subsidiariorum aut etiam Diaconorum observari solent. Cum enim Superintendens non unius tantum alicuius peregrinae Ecclesiae, sed simul omnium curam habeat, inque omnibus pariter suo Ministerio fungatur, omnium sane etiam Peregrinarum Ecclesiarum assensu opus est ad ipsius electionem. Haec sunt igitur soli Superintendenti peculiaria circa ipsius electionem: (26)

1. quod non tantum per unam aliquam, sed per omnes simul Peregrinas Ecclesias publicum ieiunium publicaeque preces per illarum Ministros instituantur, ante eius electionem, quemadmodum supra de indicendo ieiunio habetur.

2. quod non unius tantum etiam, sed omnium Peregrinarum Ecclesiarum suffragia per Ministros et Seniores illarum privatim, ut antea quoque dictum est, colliguntur, quatenus plures Peregrinae Ecclesiae cum suis Ministris ac Senioribus constitutae habentur et quisque in illis Ecclesiasticae sese disciplinae subiecit, aedita prius de more fidei suae confessione.

3. quod post collecta per Ministros ac Seniores omnium Peregrinarum Ecclesiarum, ut iam dictum est, constitutarum suffragia, non unius tantum etiam, sed omnium pariter Ecclesiarum verbi Ministri, Seniores et Diaconi in unum conveniunt omnesque simul unum aliquem per sua suffragia ex iis eligunt, quos plurimis Ecclesiarum suffragiis commendatos habent maximeque ad id munus idoneum videlicet esse cognoscunt: nimirum quem intelligunt pietate eruditione gravitate prudentia atque autoritate (27) prae aliis omnibus insignem esse.

Quodsi forte inter omnes omnium Peregrinarum Ecclesiarum Ministros, Seniores ac Diaconos de uno aliquo Superintendente unanimiter eligendo prorsus convenire non queat, tum res tota, adiecto a Ministris et Senioribus omnium Peregrinarum Ecclesiarum libello supplici, ad Regiam Maiestatem defertur, ut eius Maiestas, unum ex iis, qui ab omnibus Peregrinarum Ecclesiarum Ministris, Senioribus ac Diaconis proponuntur, in Superintendentem constituat, qui illius Maiestati ad obeundum hoc munus maxime fidelis atque idoneus esse videtur.

Atque haec sunt tantummodo, quae peculiariter observantur circa verbi Ministrorum et Superintendentis electionem. In reliquis vero

omnibus eadem est forma fere electionis omnium Ministrorum Ecclesiae, de quibus iam nobis in superioribus satis dixisse videmur. Iam igitur ad publicum coram Ecclesia electorum Ministrorum omnium inaugurationem venimus.

DE PUBLICA ELECTORUM IAM MINISTRORUM CORAM TOTA ECCLESIA INAUGURATIONE. (28)

Forma publicae inaugurationis eorum, qui ad publicum aliquod Ecclesiae ministerium deliguntur, una propemodum atque eadem esset, nisi illam variatae pro cuiusque ministerii ratione admonitiones interrogationes ac preces magna ex parte immutarent. Sed, quia maxima fere inaugurationum pars consistit in admonitionibus interrogationibus et precibus, cuique ministerio peculiaribus, quas pro ministerii cuiusque ratione variari oportet, operae precium esse iudicavimus, ut unicuique ministerio propriam suam inaugurationem adderemus.

Forma inaugurandi Ministros verbi et Superintendentem ad Ministerium ipsorum.

Posteaquam Superintendens verbive Ministri alii per Maiestatem Regiam, ut dictum est, approbati sunt, certus aliquis dies Dominicus, aut alioqui solemnis, constituitur ad ipsorum inaugurationem. Ibi vero in ipsa concione (sive matutina, sive pomeridiana, pro (29) eo ac commodum est Ecclesiae), absolutis publicis Ecclesiae precibus, priusquam Psalmus decantetur, Ecclesiastes iubet prodire nominatim electos illos atque Regia autoritate approbatos (sive Superintendentem, sive alios verbi Ministros) in totius Ecclesiae prospectum, sic ut medii consistant inter reliquos Ecclesiae Ministros et Seniores atque a tota Ecclesia conspiciantur. Constitutisque illis ad hunc modum, commemorabit paucis de ipsorum electione anteacta, ut sese habuit, deque officio ipsorum, quemadmodum in admonitione circa ipsorum electionem expositum in superioribus habetur. Deinde non aliud iam restare dicit, quam, ut, qui ita sunt electi totiusque Ecclesiae assensu publico et Regia etiam autoritate approbati, in publico tandem totius Ecclesiae coetu ad hoc ipsum ministerium, ad quod sunt electi, inaugurentur.

Principio autem circa inaugurationem electi Superintendentis et verbi Ministrorum quaerit Ecclesiastes a reliquis Ministris et Senioribus Ecclesiae, num, qui inaugurandi sunt, approbati sint iam Regia autoritate iuxta privilegii dis-(30)positionem? Illique respondent: Etiam.

Postea vertit orationem suam ad electos ipsos, sive unus sit sive plures, eosque alloquitur ad hunc modum:

„Quandoquidem ad verbi iam ministerium in hac Christi Ecclesia publico illius assensu vocati Regiaque autoritate commendati estis neque aliud restet, quam ut publice iam coram toto huius Ecclesiae coetu inauguremini per manuum impositionem iuxta Apostolicam observationem, quaedam mihi prius a vobis sunt quaerenda nomine totius Ecclesiae, ut vos ipsimet ore vestro ministerium hoc vestrum coram tota Ecclesia attestemini atque approbetis. Proinde vestrum erit, ad ea mihi, de quibus vos in conspectu Dei et eius Ecclesiae interrogavero, publice et coram tota Ecclesia nostra respondere."

Interrogationes, quae electis verbi Ministris aut Superintendenti proponuntur publice ante eorum inaugurationem. (31)

1. „Sentitisne internum Spiritus sancti in corde vestro afflatum, excitantem vos ad suscipiendum in hac Ecclesia delatum vobis hoc ministerium, nempe quod in illo non quaeratis privatum ullum vestrum commodum honoremve ullum aut vestrum ipsorum gloriam, sed tantum solam Dei gloriam atque incrementum Regni Christi in eius Ecclesia per Euangelii ipsius in vestro ministerio praedicationem et propagationem? Id equidem ex vobis nunc in conspectu Dei, qui videt et novit omnia, totiusque huius suae Ecclesiae audire velim ad Ecclesiae aedificationem et vestri in illa ministerii approbationem"?

Respondent electi: „Sentimus, et Deum oramus, ut, quod in nobis orsus est, ad finem usque etiam perficiat propter Christum ad gloriam sancti nominis sui. Amen".

2. „Creditisne, Propheticam atque Apostolicam doctrinam veteris et novi testamenti, in Biblicis scripturis comprehensam, esse unicum verum atque absolutissimum fundamentum catholicae Dei Ecclesiae in Christo, sic ut in scripturis illis ad plenum contineantur omnia, quaecunque (32) ullo modo sunt necessaria ad salutem [1]), cuius basis, medium, adeoque et caput ipsum sit solus ille Iesus Christus, homo ex homine iuxta carnem, nempe filius David, semen Abrahae, conceptus et genitus ex Matre Virgine [2]), sed idem rursus etiam verus atque aeternus Deus, aeterni Patris Dei Filius, illi per omnia aequalis et super omnia in triadis Divinae suae monade benedictus in saecula? Amen" [3]).

Respondent electi: „Credimus, et Deum oramus, ut hanc fidem in

[1]) Ephes. 2. 2 Tim. 3. [2]) Act. 4. Ephes. 1. 1 Cor. 3. Roma. 9.
[3]) Matth. 3, 28. 1 Ioan. 5.

nobis et in tota Ecclesia perpetuo per Spiritum sanctum suum adaugere velit."

3. „Vultisne huic ipsi fundamento Ecclesiae Dei, quod iam professi estis, modis omnibus pro summa virili vestra in vestro Ministerio insistere, septa illius nusquam transcendere, illud solum et doctrina et vita vestra promovere, huic soli superstruere per gratiam Dei aurum gemmas aut argentum, ligna vero ac stipulas illis superstructas pro donorum vestrorum mensura ab auro argento ac gemmis discernere [1], et tam in aliis arguere, quam in vobis ipsis, si quae deprehendantur, arguendas praebere ex ver-(33)bo Dei"?

Respondent electi: „Volumus, et, quatenus spiritus Prophetarum in Christi Ecclesia Prophetis ipsis subiecti sunt [2], a fratribus hic nostris sublevari semper postulamus."

4. „Agnoscitisne id esse debiti atque officii vestri, ut in vestro ministerio inculpate, quoad eius fieri potest, et sine reprehensione iusta ulla versemini nullamque ullius offendiculi occasionem, tam in doctrina, quam in vita vestra, cuiquam omnino detis [3]). Et, sicubi forte debito officioque vestro hac in parte desitis, aut aliquid eiusmodi (ut omnes sumus homines) designetis, unde offendiculum aliquod nasci possit, vultisne vos ipsos fraternae correctioni Ecclesiae iuxta usum disciplinae Ecclesiasticae, perinde atque reliqui omnes in Ecclesia fratres, subiicere, ut secundum verbi Divini praescriptum, si ita res postulet, arguamini ac reprehendamini, denique et ministerio vestro destituamini, si id omnino Ecclesiae iudicio videamini commeruisse [4])"?

Respondent electi: „Et debitum officiumque nostrum agnoscimus et disciplinae Ecclesiasticae subesse volumus, ut, qui nos non Dominos, (34) sed Ministros Ecclesiae et quidem homines etiam esse profiteamur, qui, peccatis semper obnoxii, semper etiam illorum remediis egeamus."

Absolutis hisce Ecclesiastae interrogationibus et electorum Ministrorum responsionibus, vertit rursus orationem suam Ecclesiastes ad ipsam Ecclesiam, et ait:

„Audivistis viri fratres! electorum istorum fratrum de vocatione ipsorum testimonium. Audivistis etiam, ut sint affecti gratia Domini ad obeundum suum ministerium in nostra hac Ecclesia. Haec vero cum sint nostris omnium viribus maiora, neque sine peculiari dono atque auxilio Dei praestari ullo modo possint, Illum ante omnia invocemus, qui se nobis usque ad saeculi consummationem semper affuturum, neque nos unquam in nostris necessitatibus desertarum esse, vero procul dubio promisit, ad hunc modum: [5]),

[1]) 1 Cor. 3. [2]) 1 Cor. 14. [3]) 1 Tim. 3, Tit. 1. [4]) 1 Tim. 5. Gal. 2.
[5]) Ioan. 14.

Precatio super electis verbi Ministris circa ipsorum inaugurationem. (35)

„Domine Deus, fili Dei vivi, Iesu Christe! qui te Ecclesiae tuae ad finem usque saeculi semper adfuturum esse promisisti [1]), ut illam regas ac gubernes Spiritu sancto tuo, quique illam ita diligis, ut non solum sanguinem tuum innocentissimum pro ea semel fuderis, sed huius quoque tanti tui beneficii testes ac Doctores in illa perpetuo extare velis ad instaurationem sanctorum et consummationem absolvendam in mystico tuo (quod nos sumus) corpore [2]). — Te iam supplices deprecamur, Domine Rex, Doctor ac Pontifex noster aeterne! ut hosce viros fratres nostros (*si plures sint electi ad ministerium*), per nos ad verbi ministerium in tuo sancto nomine electos, Spiritu sancto tuo replere digneris, ut verbi tui divini ministerium beneficiorumque tuorum salutare atque efficax testimonium inter nos retineatur et conservetur. Largire illis Domine! prudentiam recte secandi verbum tuum [3]). Da ut Satanae et Antichristi dolos ac tyrannidem ab Eccle-(36)sia hac nostra fideliter ac diligenter arceant, eiusque reliquias omnes, si quae adhuc inter nos haerent, prorsus extirpent ac propellant. Dona illis Domine! eiusmodi os et sapientiam, ut ora omnium adversariorum verbi tui autoritate obturare luposque a grege tuo abigere possint [4]), quo ita demum populus hic tuus, per ipsorum ministerium in vera tui cognitione instructus, te laudare, tibi gratias agere inque voluntatis tuae sanctae obedientia et omni pietate indies magis ac magis promovere possit, ad regni tui Patrisque tui coelestis gloriam immortalem, quem etiam per tuum nomen, ut abs te edocti sumus, supplices invocamus, dicentes: Pater noster etc."

Finita precatione, accedunt ad electos Ministros alii ministri et Seniores Ecclesiae omnes et capitibus illorum manus una omnes imponunt, quibus etiam assistens Ecclesiastes, et manus una cum illis capitibus electorum imponens, clara voce auscultante tota Ecclesia dicit:

„Deus et Pater noster coelestis, qui (37) vos ad verbi sui Ministerium in hac sua Ecclesia vocavit, illuminet vos spiritu sancto suo suaque manu potenti vos corroboret et vestrum ministerium ita regat et gubernet, ut in illo fideliter et cum fructu versari semper possitis, ad propagandum Regnum unigeniti sui filii in Ecclesia ipsius per

[1]) Matth. 28. [2]) Ephes. 4. 1 Cor. 2. [3]) 1 Tim. 1.
[4]) Lucae 22. Tit. 1. 1 Tim. 3.

Euangelii sui institutam ab ipso praedicationem, propter eundem ipsum unigenitum suum filium, Iesum Christum, Dominum et servatorem nostrum. Amen."

Post absolutam manuum istiusmodi impositionem vertit sese rursum Ecclesiastes ad totam Ecclesiam, illamque officii sui erga Ministros verbi paucis admonet, quemadmodum in superioribus in concione circa eorum electionem descriptum habetur [1]), hortaturque Ecclesiam ad assiduas preces, ut Dominus Deus non tantum extrudat fideles ac diligentes operarios in messem suam [2]), sed extrusos iam deinceps quoque semper corroboret et gubernet, ne a suo officio minis ullis tyrannideve Satanae satellitumque ipsius absterreantur, neve in metendo propter afflictiones et molestias (38), quae in messe hac obveniunt, defatigentur animumque despondeant.

His dictis vertit se rursum Ecclesiastes ad electos et iam inauguratos Ministros illos, eosque alloquitur ad hunc modum:

Postrema admonitio ad inauguratos verbi Ministros, antequam Psalmus decantetur.

„VIRI fratres! attendite vobis ipsis et videte, ut in vestra vocatione ista digne versemini, ut fidos Christi Domini servos decet. Pascite concreditum vobis gregem Christi, curam illius habete, non velut adacti, sed ultro ac sponte vestra, non turpis lucri studio, sed liberaliter, neque dominium vobis usurpantes in Ecclesiam, sed sitis velut exemplaria gregis [3]). Rebus adversis (vobis alioqui semper expectandis) ne frangamini. Contemptum probra et convicia addictorum mundo hominum forti infractoque animo cum omni tolerantia sustinete, adeoque et illorum nomine (39) vobis gaudete, proposito vobis exemplo Prophetarum atque Apostolorum omnium et ipsius deniqua Christi domini [4]). Praestate vos fideles ac diligentes Christi Domini et Spiritus sancti cooperarios in arguendo mundo de peccato, iustitia et iudicio ipsius [5]). Ne efferamini animo, si quando vobis ex sententia aliquid succedat prosperenturve aliquo modo res vestrae, multo minus vero opes aut honores mundi huius expetatis, ne, illis inebriati, tandem indormiscatis veniatque ita demum homo ille inimicus et, vobis dormientibus, in agro vestro superseminet zizania [6]). Consolemini afflictos, egenos sublevetis pro vestra virili [7]) atque alios

---

[1]) Ephes. 6. Col. 4. 2 Thes. 3. [2]) Matth. 9. Lucae 10.
[3]) Ioan. 21. Act. 20. 1 Pet. 5. [4]) Ioan. 13, 15. Matth. 5, 10. 2 Tim. 1, 2, 4. Lucae 6. [5]) 1 Cor. 3. Ioan. 16. [6]) Matth. 13. [7]) Matth. 10. Lucae 19.

ad id faciendum omni vestro studio exhortemini. In summa memineritis talentorum vobis in hoc creditorum, ut ea foenori exponatis, non autem ut in terram sudario, quamlibet in speciem mundo, involuta defodiatis [1]). In hoc toti incumbite, ut studio ac conatu vestro plura alia talenta communi nostro omnium Domino per eius gratiam lucrifacere possi-(40)tis. Ita fiet enim, ut, superatis tandem vestris laboribus omnibus, reportetis proculdubio, ubi Princeps ille pastorum omnium summus atque aeternus apparuerit, coronam gloriae immarcessibilem [2]), audiatisque in theatro mundi totius vocem illam longe suavissimam: Euge serve bone et fidelis! intra in gaudium Domini tui. Deus et Pater noster coelestis concedat per immensam suam misericordiam, ut omnes pariter vocem hanc olim audire possimus, propter filium suum dilectum, Dominum nostrum. Amen [3])".

Finita hac admonitione, decantatur Psalmus aliquis gratulatorius a tota Ecclesia, quo absoluto, Ecclesia, accepta a Ministro benedictione, dimittitur in pace.

Peculiaria in Superintendentis inauguratione.

EODEM plane modo inauguratur Superintendens, quo reliqui verbi Ministri omnes, nisi quod illi in ea tantummodo Ecclesia inaugurantur, in cuius mini-(41)sterio versantur. — Superintendens vero in omnibus Peregrinorum Ecclesiis per intervalla inauguratur, pro eo ac tempora ipsa id omnium commodissime permittunt.

Forma inaugurandi Seniores subsidiarios, seu Presbyteros Ecclesiae, qui in verbo non laborant.

POSTEAQUAM Seniores seu Presbyteri Ecclesiae electi publicoque Ecclesiae silentio approbati sunt, ut supradictum est, constituitur certus dies Dominicus ad ipsorum inaugurationem. Atque ibi tum in publica concione sive matutina sive pomeridiana, ut commodius esse videtur), absolutis publicis Ecclesiae precibus, priusquam Psalmus extremus decantetur, Ecclesiastes iubet nominatim prodire electos illos in totius Ecclesiae prospectum (sive unus sit, sive plures) sic ut a tota Ecclesia conspiciantur. Constitutisque eis ad hunc modum, dicet paucis de ipsorum electione, quo pacto sese habuerit, deque officio ipsorum in Ecclesia, quemadmodum supra in concione circa ipsorum electionem (42) habetur: neque amplius iam restare, quam

[1]) Matth. 25. Lucae 19. [2]) 1 Pet. 5. [3]) Matth. 25. Lucae 19.

ut, qui ita electi totiusque Ecclesiae assensu publico approbati sunt, in publico tandem etiam totius Ecclesiae coetu ad hec ipsum Ministerium inaugurentur. Postea electos illes sie alloquitur et ab illis nomine totius Ecclesiae publice sciscitatur de his, quae sequuntur.

Interregationes, quae Senieribus subsidiariis proponuntur circa eorum inaugurationem.

„Quandoquidem ad Presbyterium Ecclesiae huius nestrae electi publicoque illius assensu approbati estis, neque aliud iam superest, quam ut publice in coetu hoc ipsius per observatam ab Apostolis manuum impositionem inauguremini, ante omnia a vobis postulo totius Ecclesiae huius nomine, ut mihi de infra scriptis vere et sine fuco, tanquam in conspectu Dei, testificemini.

1. Num vos interno Spiritus sancti afflatu ad suscipiendum hoc ministerium excitatos esse sentiatis, nempe, nen ullo ul-(43)lius vestri commodi studio, sed tantum ut premovendae in hac Ecclesia Dei gloriae iuxta doctrinam Euangelii Christi pro vestra virili serviatis?"

Respendent: „Sentimus, et Deum oramus, ut, quod in nobis orsus est, ad finem usque perficiat ad gloriam sui nominis et Ecclesiae huius aedificationem."

2. „Creditisne, Propheticam et Apostolicam doctrinam veteris et novi testamenti, in libris Biblicis comprehensam atque in illi summo lapidi angulari iunixam, Christo Iesu, continere in se omnia ad salutem nostram necessaria esseque plenam et absolutam doctrinam ad salutem omni credenti [1])"?

Respondent: „Credimus, et Deum oramus, ut in hac fide nos Ecclesiamque totam perpetue corroboret."

3. „Vultisne, in tuenda provehendaque ea ipsa dectrina praestandoque modis omnibus Presbyterii vestri Ministerie pro vestra summa virili incumbere, verbi Ministris opera studie consilioque vestre semper assistere, illos in ferendo ipsorum onere sublevare, Ecclesiamque totam vitae atque integritatis vestrae exemplo, tanqnam fideles ipsius custodes ac Ministri, aedifica-(44)re? Et, si forte quid vestra hac vocatione indignum designetis, vultisne iuxta usum disciplinae Ecclesiasticae moneri corrigi ac reprehendi ex verbo Dei, sic ut, quemadmodum reliqui omnes in Ecclesia faciunt, Ecclesiasticae disciplinae vos ipsos ultro ac sponte vestra subiiciatis"?

Respondent: „Etiam, agnoscimusque nostri id potissimum officii esse, ut disciplina Ecclesiastica sine ullo personarum respectu in Ecclesia observetur."

---

[1]) Ephes. 2. Psal. 19. 2 Tim. 2. Lucae 16.

Post absolutas interrogationes istiusmodi et responsiones Ecclesiastes, versa ad totam Ecclesiam oratione, quod haec videlicet ab electis illis Senioribus sine peculiari gratia et ope Dei praestari non possint, adhortatibur Ecclesiam ad precandum. Et, auscultante tota Ecclesia ac in genua procumbente, precabitur ad hunc modum:

Precatio circa Seniorum subsidiariorum inaugurationem.

„Domine Iesu Christe! fili Dei vivi! qui tuam in terris Ecclesiam ordinato per te hominum ad id vocatorum Ministerio vis ad saeculi usque (45) consummationem gubernari [1]), te nunc supplices invocamus, ut hosce viros fratres nostros, quos, in tuo nomine ad Ministerium gubernandae tuae huius Ecclesiae electos, tibi ecce sistimus, donis sancti tui adorandique Spiritus illustrare ita digneris, ut in illo sancte et fideliter versari illoque ad finem usque legitime defungi possint, ad tuam ipsius et Patris tui coelestis gloriam immortalem, quem proinde, ut abs te edocti sumus, supplices etiam invocamus: Pater noster eto [2])".

Finita precatione accedunt ad electos Seniores reliqui Ministri et Seniores Ecclesiae omnes in prospectu totius Ecclesiae atque una omnes capitibus electorum manus imponunt [3]), quibus etiam assistens Ecclesiastes ac manus et ipse capitibus electorum imponens, clara voce auscultante tota Ecclesia dicit:

„Deus et Pater noster coelestis, qui vos ad gubernandam nobiscum suam hanc Ecclesiam iuxta verbi sui Divini doctrinam vocavit et segregavit [4]), idem vos etiam per Spiritum sanctum suum illuminet atque invictae ma-(46)nus suae robore Divino ita corroboret, ut constanter ac fideliter vestro Ministerio fungamini, ad nominis sui gloriam et Ecclesiae aedificationem. Amen".

Postea Ecclesiastes admonet Ecclesiam de eius erga Seniores officio, quemadmodum in postrema concionis parte circa Seniorum subsidiariorum electionem supra dictum est, et ut pro illis assidue Deum oret.

Ad extremum vero, versa ad electos Seniores oratione, illos exhortabitur, ut contemptum et odium mundi huius ne morentur. Personas ne respiciant, sed omnes ex aequo, qui ullo modo Ecclesiam

[1]) Matth. 16. Ephes. 5. [2]) Matth. 6. Lucae 11. [3]) Act. 13. 1 Tim. 5.
[4]) Rom. 12. 1 Cor. 12. 1 Pet. 5.

offendant, moneant corrigant ac iuxta usam Ecclesiasticae disciplinae reprehendant. Nec plebis modo in Ecclesia multitudinem, sed Ministrorum etiam omnium, doctrinam mores ac totam denique vitam peculiariter et diligenter observent. Lupos a grege Ecclesiae una cum Ministris verbi arceant. Vitae ipsi suae integritate pietateque atque charitatis Christianae officiis toti Ecclesiae praeluceant, et talenta denique sibi concredita, sive ea multa, sive pauca (47) sint, foenori in suo Ministerio exponant, ut ita demum etiam coronam gloriae aeternae in apparitione Christi Domini assequantur [1]). Utque una omnes olim vocem illam exoptatissimam audire possimus: Venite benedicti! possidete regnum, quod vobis apparatum est ab origine mundi. Amen.

Tandem vero canitur Psalmus gratulatorius a tota Ecclesia, quo finito dimittitur cum pace Ecclesia, accepta ab Ecclesiaste benedictione consueta.

Forma inaugurationis publicae Diaconorum coram tota Ecclesia.

POSTEAQUAM Diaconi iam, ut dictum est, electi atque publico Ecclesiae consensu approbati sunt, constituitur certus aliquis Dominicus aut alioqui solemnis dies ad publicam ipsorum inaugurationem. Atque ibi tum in publica concione, sive matutina sive pomeridiana, ut commodum est Ecclesiae, post absolutas preces Ecclesiae publicas, priusquam Psalmus extremus decantetur, Ecclesiastes iubet nominatim prodire electos Diaconos illos, sive unus sit, sive (48) plures, in totius Ecclesiae prospectum, sic ut a tota Ecclesia conspiciantur. Constitutisque illis ad hunc modum, narrat paucis, quo pacto successerit ipsorum electio, et addit quaedam breviter de eorum officio in Ecclesia, quemadmodum supra in concione publica, circa ipsorum electionem habetur. Neque amplius restare dicit, quam ut ita electi, totiusque Ecclesiae assensu publico per eius silentium approbati, in publico iam tandem Ecclesiae coetu ad hoc ipsum, ad quod sunt electi, Ministerium inaugurentur. Postea ad electos ipsos conversus Ecclesiastes sciscitatur ab illis totius Ecclesiae nomine de his, quae sequuntur, ad hunc modum:

Interrogationes, quae Diaconis proponuntur circa ipsorum inaugurationem.

„Quandoquidem nemo hactenus ex Ecclesia quidquam eiusmodi proferre potuit, fratres dilecti! quod vestram electionem gravare

[1]) Lucae 19. 2 Tim. 4.

merito, aut in dubium vocare ullo modo possit, neque ulla restet dubitatio, quin pu-(49)blico totius Ecclesiae huius nostrae consensu ad vestrum hoc Diaconatus officium electi sitis. Vestrum erit iam, ut coram tota Ecclesia vestris ipsorum responsionibus ad nostras hasce interrogationes vestram hanc vocationem ad eius aedificationem attestemini et approbetis:

1. „sentitisne vos interno Spiritus sancti in cordibus vestris afflatu ad hoc vestrum Ministerium ita vocari, ut nullo commodi vestri proprii aut ullius omnino alterius personae respectu, sed tantum studio promovendae gloriae Dei iuvandorumque pauperum fratrum et aedificandae hac in parte Ecclesiae Christi, illud suscipere velitis"?

Respondent: „Sentimus, et Deum oramus, ut nos in hoc instituto confirmet".

2. „creditisne, Propheticam et Apostolicam doctrinam, sacris Bibliis comprehensam, esse veram salutarem ac numeris omnibus absolutissimam doctrinam [1]) quae plene complectatur omnia, quae ad salutem nostram necessario pertinent quoquomodo, et cuius basis ac fundamentum sit Iesus Christus [2]), verus Deus [3]) et verus homo, unicus mediator no-(50)ster per corporis sui propitiatoriam oblationem, — omnes vero alias doctrinas aversamini et damnatis, quaecunque huic uni verae ac salutari doctrinae ullo prorsus modo repugnant"?

Respondent: „Etiam, et in hac fide corroborari perpetuo postulamus.

3. „vultisne etiam in vestro hoc ministerio iuxta officium illius eleemosynas in usum ac sublevationem pauperum diligenter et accurate colligere collectasque fideliter in timore Domini prudenterque et in omni lenitate mansuetudine ac modestia egenis, imprimis vero domesticis fidei, subministrare ac distribuere, nullo amoris odiive respectu erga quenquam, sed pro cuiusque duntaxat inopia ac necessitate [4])"?

Respondent: „Etiam, per gratiam Dei."

4. „vultisne vestrum hoc ministerium praeterea vitae vestrae probitate ac sanctimonia pietatisque ac charitatis christianae officiis pro vestra virili ornare ad Ecclesiae aedificationem? Et, si quid forte, ut omnes sumus homines, designetis, dignum admonitione correctione ac reprehensione, sive publica sive privata, — vultisne vos ipsos ultro ac sponte vestra subiicere (51) disciplinae Ecclesiasticae iuxta verbum Dei, quemadmodum faciunt reliqui in nostra hac Ecclesia fratres omnes"?

Respondent: „Volumus, et Deum nobis hic per suam gratiam adfuturum esse, non dubitamus."

Absolutis hisce interrogationibus et responsionibus, Ecclesiastes

[1]) Ephes. 2. 2 Tim. 3. [2]) 1 Cor. 3. Rom. 1, 9. [3]) 1 Ioan. 5. 1 Tim. 2. [4]) Gal. 6. Act. 4.

commendat hoc tale institutum electorum illorum toti Ecclesiae, sed hoc interim praestari ab illis non posse sine peculiari ope et gratia Dei. Ut hoc igitur, quod electi illi sunt professi, praestare etiam cum fructu Ecclesiae possint, invitat Ecclesiastes ad precandum totam Ecclesiam, ipseque auscultante tota Ecclesia precatur ad hunc modum:

Precatio circa Diaconorum inaugurationem.

„Domine Iesu Christe! qui nobis te ipsum in nostris pauperibus, nostrosque pauperes in te ipso singulariter commendasti [1], quo magis ad illos propter te sublevandos excitare-(52)mur, quique peculiarem illorum curam in tua Ecclesia, ordinatis per Apostolos tuos Diaconis [2], haberi omnino voluisti, — te supplices oramus, unice servator ac liberator noster! ut e nostris omnium cordibus radices omnes avaritiae clementer evellere veraeque liberalitatis et charitatis christianae affectum animis nostris infigere digneris. Viris autem istis, quos per nostrum Ministerium in hoc eligere dignatus es, ut populi tui in hac nostra Ecclesia liberalitatem et colligant diligenter et collectam fideliter dispensent, largire quaesumus Spiritum sanctum tuum, quemadmodum Stephanum protomartyrem tuum illo olim in eodem ipso Ministerio replevisti [3], ut pauperibus tuis inter nos in vera charitate, pie et fideliter, cum fructu Ecclesiae semper serviant sine ullo erga quenquam amoris odiive respectu, sed solo tuae Patrisque tui coelestis gloriae in Ecclesia hac promovendae studio, quem per sanctum nomen tuum, ut abs te edocti sumus, supplices invocamus dicentes: (53) Pater noster etc."

Absoluta precatione accedunt ad electos Diaconos Ministri ac Seniores Ecclesiae omnes et una omnes electorum capitibus manus imponunt. Quibus etiam assistens Ecclesiastes ipse ac manus simul cum illis imponens, clara voce auscultante Ecclesia dicit:

„Dominus Deus et Pater noster coelestis, qui vos ad Ministerium hoc Diaconatus in sua hac Ecclesia vocavit, idem vos in vestra hac vocatione bonitate sapientia ac potentia sua Divina clementer gubernet, ut in illa digno versemini ad ipsius gloriam et Ecclesiae huius suae aedificationem propter Iesum Christum unigenitum suum filium, Dominum nostrum. Amen."

Post absolutam manuum impositionem Ecclesiastes vertit ad Eccle-

[1] Matth. 25, 26. Act. 4. [2]) Act. 6. [3]) Act. 6, 7.

siam suam orationem, ac primum Divites sui officii admonet in dandis liberaliter eleemosynis, quemadmodum supra in postrema concionis parte circa Diaconorum electionem habetur. Additque hic, pro eo ac tempus ac res ipsa postulat, praecepta Domini ea de re, magnificis promissionibus commenda-(54)ta atque exornata [1]), exempla item primitivae Ecclesiae et quae huc praeterea videntur pertinere [2]).

Deinde pauperes quoque illorum officii admonebit iuxta id, quod supra etiam in postrema dictae concionis parte scriptum habetur [3]) utque sedulo pro divitibus orent, ut eis Dominus ipsorum liberalitatem pensare opulenter dignetur. Item et pro tota Ecclesia, ut indies magis ac magis in illa fidei et charitatis ardor excitetur.

Postremo admonet etiam Ecclesiastes reliquos Ministros et Seniores Ecclesiae, ut modis omnibus advigilent, ne quo modo fiat ipsorum culpa aut negligentia ulla, ut pulcherrimum hoc summeque necessarium in Christi Ecclesia Diaconatus ministerium in larvam quandam et inanem titulum non degeneret, quemadmodum in Papae Ecclesia factum videmus, in qua, abolita plane eleemosynarum legitime colligendarum et dispensandarum cura, inanem tituli Diaconorum umbram ad ornandam blasphemi ipsorum Sacerdotii impietatem detortam esse, nemo negare potest.

Finitis hisce admonitionibus, (55) convertit se Ecclesiastes ad electos et iam inauguratos Diaconos illos, eosque monet, ut Stephani pietatem constantiam ac fidem in sua vocatione, non autem Iudae proditoris fucum atque hypocrisim sibi imitandam esse proponant, diligenter ac fideliter suo ministerio fungantur, neque offendantur probris mendaciis convitiis et calumniis hominum, etiamsi optime officio suo in sua vocatione fungantur. Nullam aliam piis omnibus, nedum ipsis a mundo hoc mercedem expectandam esse. Sed intueantur semper autorem ipsum suae vocationis, qui, ut est fidelis, ita efficiet etiam, ut omnia cum maximo fructu Ecclesiae perferre possint, et qui ad ipsos dicturus sit olim, siquidem perseverent: Venite benedicti Patris mei! possidete regnum [4]).

Ad extremum vero post istiusmodi admonitionem canitur Psalmus gratulatorius a tota Ecclesia, atque ita demum dimittitur in pace Ecclesia, accepta a Ministro benedictione.

Appendix.

Esset hic quidem locus agendi de ludimagistris et scholis, si in nostris Ecclesiis scholas aut ludimagistros publicos ha-(56)bere possemus; sed cum Ecclesiae Peregrinorum per totam urbem sint ita

[1]) Esa. 58. Prov. 28. Matth. 25. Lucae 12. Act. 4. 1 Cor. 6.
[2]) 2 Cor. 8, 9. 1 Tim. 6. [3]) Ephes. 4. 2 Cor. 8. [4]) Matth. 25.

hic dispersae, ut pro eius magnitudine ad unum aliquem certum locum iuventus totius Ecclesiae non facile convenire possit, fieri non potest etiam, ut in singulis nostris Ecclesiis, scholae peculiares aut ludimagistri habeantur. Qui tamen ad docendum sunt apti in Ecclesia, hi eos, qui in vicinia illorum morantur, Ecclesiae pueros instituunt, atque ad templa nostra diebus festis, potissimum autem ad Catechismi explicationem et examinationem adducunt, quemadmodum postea circa usum Catechismi dicetur. Absoluta igitur iam tractatione de ordinariis ac publicis Ministris nostrarum Ecclesiarum eorumque electione et inauguratione publica, restat iam ut de partibus, simulque etiam ritibus publici in nostris Ecclesiis Ministerii dicamus.

DE PARTIBUS PUBLICI MINISTERII IN ECCLESIIS PEREGRINORUM LONDINI. (57).

Quatuor sunt praecipuae partes totius Ministerii publici in nostris Ecclesiis, in quibus omne Ecclesiasticum fere Ministerium versatur, nempe: Ministerium verbi, Sacramentorum, Mensarum seu eleemosynarum et Usus Ecclesiasticae Disciplinae, quae omnia suo ordine suisque ritibus ac ceremoniis in nostris Ecclesiis observantur. De quibus singulis nobis iam dicendum erit, et exponendum ad quem modum singula observentur.

DE VERBI MINISTERIO IN ECCLESIIS PEREGRINORUM LONDINI.

Verbi Ministerium in nostris Ecclesiis publice observatur in concionibus dierum Dominicorum aliorumque Festorum, tum matutinis tum pomeridianis, in Catechismi explicatione atque examinatione, et in Prophetiis vulgaribus seu publicis scripturarum collationibus doctrinaeque in concionibus habitae approbatione. De singulis igitur istis (58), ad quem modum observentur, dicemus.

De ritu atque ordine concionum popularium Dominicis ac festis diebus in Ecclesiis Peregrinorum Londini.

Est hoc sane in Ministrorum verbi et Seniorum Ecclesiae potestate positum, ut Ecclesiam ad coetum publicum convocent, quoties id aliqua Ecclesiae vel necessitas vel alioqui utilitas videtur postulare. Ac tum quidem semper in quolibet coetu aliqua concio, e scripturis desumpta habetur, quae maxime ad institutum videtur fa-

cere, nec unquam coetus Ecclesiastici habentur, in quibus Ecclesia non aliquid ex verbo Dei doceatur [1]). Sed ordinarii Ecclesiae coetus, diebus Dominicis ac Festis solemnioribus, bini habentur: nempe matutini circiter horam nonam ante meridiem et pomeridiani circiter horam a meridie secundam. Aliis vero diebus per hebdomadem, in Gallorum Ecclesia bis, nempe diebus Martis et Iovis, Germanorum (59) autem Ecclesiae semel duntaxat propter latinas praelectiones (de quibus postea), nempe diebus Iovis, coetus Ecclesiastici una cum suis concionibus habentur.

Neque vero frustulatim explicantur scripturae in concionibus, quemadmodum in Papismo fieri consuevit, ubi detruncatae historiae aut loci scripturae nonnunquam sine capite et cauda ita proponuntur populo, ut neque ea, quae proponuntur, satis exponantur, et, quae non proponuntur, negligantur passim neque unquam fere coram populo attingantur. Multo minus autem formantur conciones ex humanis traditionibus aut historiis Philosophorumve argutiis, sed liber aliquis Biblicus veteris aut novi Testamenti ab initio usque ad calcem enarrandus sumitur, ex quo libro singulis concionibus tantum praelegitur, quantum commode unius horae intervallo populariter explicari potest, sic ut et percipi omnia et retineri etiam facile possint; qua sane in re fructus omnium concionum maxima ex parte consistit.

Dominico igitur quovis die mane ante horam nonam convenit Ec-(60)clesia, ibique Minister circiter horam nonam conscendit suggestum et ante omnia Ecclesiam ad precandum hisce aut similibus verbis invitat.

„Posteaquam in hoc ita huc convenistis, dilecti in Domino fratres! ut ex verbo Dei ad salutem vestram instituamini, divina nobis ante omnia gratia imploranda est, ut ét ego aliud nihil doceam, quam puram verbi sui doctrinam, ét vos illam cum fructu etiam eius beneficio audire possitis.

Precatio ante concionem.

„Pater noster coelestis! cuius lex integra est, animas convertens, testimonium verum suppeditans imperitis sapientiam et oculos parvulorum illuminans [2]), suppliciter te oramus pro tua immensa misericordia, ut coecas alioqui mentes nostras Spiritus sancti tui luce illustrare digneris, ut legem sanctam tuam et recte intelligere et intellectam exprimere etiam per omnem vitam nostram possimus. Et

[1]) 1 Cor. 14. [2]) Psal. 19.

quia tibi complacitum est, Pater sancte! ut parvulis potissimum mysteria divinae (61) tuae voluntatis patefacias atque illos imprimis respicias, qui in spiritus humilitate suique ipsorum diffidentia, tuum duntaxat verbum expetunt, in illo conquiescunt ac reverenter ad illud filiorum instar contremiscunt [1]), — da nobis, quaesumus, Spiritum sanctum tuum, qui omnem nostri ipsorum fiduciam animis nostris evellat omnemque carnis nostrae sapientiam simul atque arrogantiam, tibi alioqui adversariam, intra nos ipsos supprimat [2]), et nos, iampridem errabundos atque ab omni veritatis salutari cognitione per peccatum exclusos, in omnem veritatem rursus clementer reducat. Ut te pariter omnes in sanctitate et iustitia tota vita nostra colamus, teque verum Deum nostrum esse, non lingua tantum, sed ipsis etiam fructibus vitae nostrae vere et ex animo in conspectu omnium profiteamur [3]). Haec abs te petimus, Pater indulgentissime! per nomen dilecti filii tui Christi Iesu, ea ipsa, quam ille nobis tradidit, precatione, dicentes: Pater noster qui es in coelis, etc." (62)

Post absolutam vero Dominicam precationem iussu Ministri ordiuntur Psalmum aliquem, qui ad id peculiariter propter vitandam cantus confusionem destinati sunt, succinente protinus tota Ecclesia cum summa modestia et gravitate; finitoque Psalmo pergit Minister, ubi antea substiterat, prosequi suam in Bibliis lectionem et tantum in textu ipso scripturae praelegit, quantum se ad aedificationem Ecclesiae explicare posse putat. Dat autem operam Minister pro dororum suorum mensura, ne a textus sui explicatione nimium divagetur, sed, summa doctrinae quae in textu habetur exposita, locos inde sibi explicandos sumit, qui maxime facere videntur ad Ecclesiae aedificationem.

Sub finem concionis, quae non ultra horae unius decursum protrahitur, priusquam publicae preces fiant, Minister, si quid eiusmodi habeat, quod Ecclesiae peculiariter exponi debeat aut cuius forte peculiariter commonefacienda sit Ecclesia, id paucis proponit, ac denum publicas preces Ecclesiasticas orditur ad hunc modum:

Precatio post concionem. (63)

„Domine Deus, Pater noster coelestis! posteaquam tuus filius Iesus Christus eos demum beatos fore docet, qui verbum tuum non equidem tantum audiunt, sed etiam custodiunt atque observant [4]), — custodire vero illud nemo nostrum potest, nisi per tuum sanctum Spiritum [5])

[1]) Matth. 9. Lucae 10. Esa. 66. [2]) Rom. 8. [3]) Luc. 12. [4]) Luc. 11.
[5]) Ierem. 24. Matth. 13. Luc. 12.

nostris cordibus inscribatur, — te supplices oramus, ut Satanam a nobis arcere velis, ne verbi tui divini doctrinam, quam audivimus, nobis eripiat quoquomodo. Cor nostrum item lapideum mollefacias ac imbre Spiritus sancti tui clementer humectes, ne verbi tui divini fructus, in animis nostris tuo beneficio suppullulascentes, subito exarescant. Curas praeterea' ac sollicitudines huius saeculi, quae verbum in nobis tuum natura sua spinarum instar suffocant, animis nostris eximas, faciasque nos terram illam bonam ac feracem, in qua semina tum ecce iam verbum tuum, fructus te dignos, proferre possit ad tui nominis gloriam immortalem. Haec abs te petimus, Pater beneficentissime! per (64) nomen unigeniti tui filii Iesu Christi, Domini nostri. Amen."

Absoluta hac precatione, diebus duntaxat Dominicis in matutina concione, non autem in pomeridiana neque in aliorum dierum concionibus, legitur a Ministro Decalogus ex cap. Exodi 20, ad quem audiendum populus per Ministrum hisce verbis excitatur:

„Audite legem Domini Dei nostri omnes:

1. Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi e terra Egypti, ex domo servitutis. Ne sint tibi Dii alieni coram facie mea sive penes me.

2. Ne feceris tibi statuam, neque ullum simulachrum ex omnibus, quae sunt in coelis superne, neque quae sunt in terra sub coelo, neque quae in aquis sunt sub terra. Ne te incurves coram illis neque coles ea, quia ego Dominus ille Deus tuus fortis, impatiens contumeliae, puniens iniquitatem patrum in filiis tertiae et quartae generationis, qui (65) me oderunt, et faciens misericordiam in mille, qui me diligunt et praecepta mea observant.

3. Ne assumas temere aut vane nomen Domini Dei tui. Handquaquam enim pro insonte habebit Dominus eum, qui nomen ipsius temere aut vane assumpserit.

4. Memineris diei Sabbati ut sanctifices illum. Sex diebus operaberis et facies omne opus tuum, septimo autem die Sabbatum est Domini Dei tui. Non facies tum ullum opus, tu, filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, iumentum tuum et advena tuus, qui est intra portas tuas. Quoniam sex diebus formabat Dominus coelum terra mare et omnia, quae in eis sunt, septimo autem die quievit; et idcirco benedixit Dominus diei Sabbati et sancticavit eum.

5. Honora Patrem tuum et matrem tuam, ut prolongentur dies tui in terra quam tibi dat Dominus Deus tuus.

6. Ne occidas.
7. Ne sis moechus.
8. Ne fureris. (66)
9. Ne testificeris falso contra proximum tuum.
10. Ne concupiscas domum proximi tui. Ne concupiscas, inquam, uxorem proximi tui, aut servum eius, aut ancillam eius, aut bovem eius, aut asinum eius, denique nihil omnino, quod est proximi tui."

Post lectum dacalogum sumit inde Minister occasiones admonendi Ecclesiam de peccatis ipsius, eamque ad illorum agnitionem et sui hoc nomine accusationem veniaeque divinae implorationem diligenter exhortatur ad hunc modum:

„Videmus divina hac lege horribilem nobis naturae nostrae corruptelam, velut speculo quodam nostri nobis proposito, ob oculos nostros poni. Frustra enim nobis prohiberentur, quae natura nostra non appeteremus. Unde cum nos ea omnia appetere omnibusque hisce molis obnoxii esse convincimur, datae nobis legis huius divinae testimonio, agnoscamus nostra ipsorum peccata coram Domino, illorumque nomine nos unanimiter omnes accusemus et eorum condonationem gratuitam propter Christum sup-(67)plices imploremus."

Precatio complectens confessionem.

„Omnipotens aeterne Deus! misericors Pater! prosternimus nos supplices coram tua Maiestate Divina, contra quam nos gravissime peccasse assidueque indies etiam peccare, aperte et sine hypocrisi profitemur, adeo ut aspectu ipso tuae Maiestatis haudquaquam digni simus, nedum ut inter filios tuos censeamur. Etenim, praeterquam quod in peccato concepti ac nati, omnis boni prorsus expertes, pleni omni iniquitate sumus, infinitis etiam modis tua praecepta quotidie violamus, dum neque te, ut debemus, colimus pro tuae Maiestatis Divinae excellentia vereque paterna in nos beneficentia, et proximum nostrum contra mandatum tuum nostris erga illum officiis fraudamus [1]. Atque ita convincimur, nos iusto tuo iudicio esse omnino reos aeternae condemnationis planeque de nobis actum esse, nisi adversus iudicii tui iustam alio-(68)qui severitatem immensa misericordiae tuae magnitudo dignum tua elementia triumphum in filio tuo unigenito egisset. In quo nimirum ita nos acceptare dignatus es, ut poenitentibus omnibus, etiamsi procul absint adhuc, summa tamen cum testificatione divinae ac vere paternae benignitatis tuae ultro occurras [2]),

[1]) Lucae 15. Psal. 51. Gene. 6, 8. [2]) Lucae 15.

neque amplius velis mortem peccatoris, sed potius ut convertatur et vivat. Imo vero in amplexus nostros ipse ruas, ipse annulum ac stolam proferas nostrae tecum iam in filio tuo desponsionis nostraeque in illo iustitiae symbola [1]). Hac igitur tua benignitate confisi, ad thronum tuae gratiae prostrati provolvimur, Pater clementissime! apud hunc nostram deploramus miseriam, et opem tuam Divinam per meritum filii tui dilecti, supplices imploramus, ut nos non in nobis ipsis amplius, qui aliud nihil quam peccati et mortis mancipia sumus, sed in tuo dilecto filio, qui nostra est iustitia, intueri velis, nobisque dones Spiritum sanctum tuum, qui cor nostrum, per se alioqui saxeum, (69) divino afflatu suo mollefaciat carneumque ita reddat, ut lex tua sancta illi insculpi ac per nos demum, tanquam lucis iam et in vitae novitate versantes filios, tota vita nostra exprimi eius beneficio possit [2]), ad tuam filiique tui et Spiritus sancti tui gloriam et Ecclesiae tuae aedificationem. Amen."

Finita hac precatione proponit Minister toti Ecclesiae peccatorum ipsius omnium remissionem seu absolutionem propter Christum eamque publice denunciat ad hunc modum:

„Habemus certam et indubitatam promissionem de aeterna atque immutabili voluntate Dei [3]), quod omnibus vere poenitentibus, qui videlicet agnitis peccatis suis cum sui accusatione gratiam ipsius per nomen Christi Domini implorant, omnia ipsorum peccata prorsus condonet atque aboleat, neque illorum deinceps unquam meminisse ullo modo velit [4]). Ac rursum habemus horribilem Divini iudicii sententiam omnibus, qui tenebras magis quam lucem diligunt delatamque in Christo gratiam aspernantur ac (70) contemnunt, omnibus inquam istis constitutam esse aeternam condemnationem.

Quotquot igitur ita affecti estis, ut vos iuxta precationem a nobis factam peccatorum vestrorum pudeat ac poeniteat in conspectu Dei, sic ut cum vestri accusatione veniam illorum apud Deum patrem nostrum coelestem supplices imploretis, neque dubitetis ea vobis omnia propter Christum mortisque suae meritum gratuito et plene condonari [5]), statuatisque in vestris animis, velle vos deinceps per Dei gratiam mortificare veterem in vobis hominem cum affectibus ipsius, ut in vitae novitate pro vestra infirmitate ambuletis, — omnibus inquam vobis, qui ita affecti estis, denuncio fiducia promissionum Christi [6]) vestra peccata omnia in coelo a Deo Patre nostro modis plane om-

[1]) Ezech. 18. [2]) Ezech. 11. Ierem. 31. Ephes. 5. [3]) Ezech. 18. Ioan. 3.
[4]) Mar. 16. Ioan. 3. [5]) Rom. 6. Eph. 4. Colloss. 3. [6]) Matth. 16, 18. Ioan. 20.

nibus remissa esse propter Dominum et liberatorem nostrum Iesum Christum, benedictum in saecula. Amen.

Qui vero in suis peccatis sibi ita placent, ut non tam seipsos iu il-(71)lis, quam divinam potius severitatem accusent cum sui ipsorum excusatione, aut qui agnoscunt quidem et ipsi aliquo modo peccata sua, sed, contempto Christi Domini beneficio per mortem ipsius, alia sibi salutis remedia comminiscuntur [1], — hisce rursum omnibus ex verbo Dei denuncio, omnia ipsorum peccata ligata esse in coelis, nisi resipiscant.

Ab horum porro numero, ut nos iam precatione nostra alienos prorsus esse manifeste testati sumus, ita hoc ipsum multo magis adhuc summaria fidei nostrae confessione testabimur, in hunc modum:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem: Creatorem coeli et terrae. Et in Iesum Christum filium eius unigenitum, Dominum nostrum. Qui conceptus est a Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, et descendit ad infernum usque. Tertio porro die resurrexit a mortuis. Ascendit in coelos, sedetque ad dexteram Dei Patris sui omnipotentis. Inde demum (72) olim venturus rursum ad iudicandum vivos et mortuos.

Credo in Spiritum sanctum:
Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem:
Peccatorum remissionem:
Carnis nostrae resurrectionem:
Et vitam aeternam. Amen" [2]).

Absoluta hac fidei confessione orditur Minister preces publicas pro omnibus totius Ecclesiae necessitatibus, auscultante tota Ecclesia, ad hunc modum:

Preces publicae pro necessitatibus Ecclesiae.

„Omnipotens et misericors Pater! qui nos pro immensa tua misericordia e tenebris nostrae ignorantiae Romanensisque idololatriae barathro liberare dignatus es, revelata nobis mirabiliter luce salutari in Euangelio filii tui, — agimus tibi hoc nomine gratias, Pater clementissime!

---

[1]) Ioan. 3.

[2]) Gen. 1. Ierem. 32. Ioan. 3. Rom. 8. 1 Cor. 8. Matth. 1. Luc. 1, 2. Matth. 27. Lucae 23. Act. 2. Ioan. 14. 1 Cor. 15. Act. 1. Heb. 8, 10. Matth. 26. Coloss. 3. Daniel. 7. 2 Tim. 2. Gen. 1. Ioan. 14, 6 1 Cor. 12. Ephes. 5. Matth. 28. Ioan. 3. 1 Cor. 15. Matth. 25.

teqne supplices precamur, ut nos Spiritu sancto tuo corrobora-(73)re et communire ita digneris propter eundem ipsum dilectum tuum filium, ut fidei nostrae donum ad finem usque retinere eius beneficio et illud vitae etiam nostrae novitate exprimere utcunque possimus.

Oramus te etiam, sanctissime Pater! pro catholica filii tui toto terrarum orbe diffusa Ecclesia, in qua vera ac salutaris filii tui doctrina, reiecta Romani Antichristi abominatione atque idololatria, docetur et observatur. Arceto ab illa quaesumus falsos omnes pastores ac doctores, feras inquam illas noxias, quae vineam tuam depascuntur et conculcant [1]), et extrudito in illam pios fideles ac diligentes operarios tuorum ministeriorum sedulos dispensatores [2]), qui non suam ipsorum, sed tuam solius quaerant gloriam et Ecclesiae tuae, innocentissimo filii tui sanguine redemptae, aedificationem.

Imprimis vero te oramus, Pater clementissime! pro Regni huius incliti Ecclesiis earumque Ministris omnibus, potissimum autem pro Serenissimo Rege nostro Eduardo Sexto, quem (74) ut hactenus ab ipsius ac tuis pariter hostibus potenti tua manu tutatus es, ita illum deinceps quoque tueri ac servare et Spiritu item sancto tuo regere ac guberuare digneris, ut augescente indies magis ac magis Divina tua in illo cum aetate sua gratia [3]), ita demum regere possit populum suum sub capite nostro omnium Christo, ut placidam ac quietam vitam sub illo cum omni pietate et honestate iuxta verbum tuum degere tuo beneficio possimus.

Oramus te praeterea, sanctissime Pater! pro eiusdem Maiestatis Regiae domo ac familia tota, pro eius item ac Regni totius Proceribus ac Magistratibus omnibus, imprimis vero pro clarissimo Senatu ipsius. Largire illis quaesumus pro tua Divina beneficentia spiritum consilii, spiritum fortitudinis et perseverantiae, ut, quod iampridem orsi sunt in abolenda Antichristi tyrannide et restituenda in Regno hoc inclito vera religione, id ad finem usque constanti infractoque animo prosequantur. Da illis Domi-(75)ne! Spiritum unitatis ac concordiae, ut unanimiter, quod rectum est, sequantur et tranquillitatem ac pacem in republica promoveant et conservent.

Ad haec te etiam pro populo universo huius Regni totius oramus, omnipotens Pater! ut doctrinam filii tui, Propheticis et Apostolicis literis proditam, libenter amplectatur, inque illa indies magis ac magis promoveat, et in legitima Regiae Maiestatis aliorumque Magistratuum obedientia ad salutem totius rei publicae et Ecclesiae aedificationem iugiter persistat.

Oramus insuper tuam Divinam clementiam pro civitate hac Lon-

[1]) Matth. 9. Lucae 10. [2]) Tit. 1. [3]) 1 Tim. 2.

dinensi, nt ab illa plagas publicas, quas indies promeremur, arcere eamque in studio verae pietatis et pace ac tranquillitate publica conservare digneris. Magistratum vero illius ita gubernes Spiritu sancto tuo, ut in timore tuo fideliter ac prudenter ministerio suo fungatur.

Peculiariter vero te oramus, Pater indulgentissime! pro nostris hic Peregrinorum Ecclesiis, nt, quemadmodum (76) illas admirabili bonitate tua hic plantari voluisti, ita eas favore tuo Divino prosequi deinceps etiam velis, ut ab omni tyrannide mundi huius falsisque doctrinis omnibus per tuam ineffabilem potentiam simul ac misericordiam vindicentur. Agnoscimus ineffabile tuum in illis plantandis beneficium atque immortales tibi hoc nomine gratias agimus. Sed quia excindi scimus, quidquid fructum non profert [1]), et ea est nostra omnium corruptela, ut ne cogitare quidem boni aliquid, nedum fructus ullos te dignos proferre ex nobis ipsi possimus, supplices te precamur, omnipotens Pater! nt ipse in nobis omnibus per Spiritum sanctum tuum fructus bonos admirabili ista Ecclesiarum hic tuarum plantatione dignos producere digneris. Nempe ut plantatae tuo beneficio nostrae istae hic Ecclesiae assidua incrementa sua habeant in omni pietate et vera animorum concordia, ad nominis tui adorandi gloriam profugorumque hic membrorum filii tui consolationem et catholicae tuae Ec-(77)clesiae aedificationem.

Sed et pro omnibus aliis Regibus, Principibus, Magistratibus et populis tuam Divinam Maiestatem supplices precamur, qui vocem filii tui Christi Domini agnoscere adhuc, Antichristiana tyrannide pressi, non potuerunt vivaque membra tui filii, quem non noverunt, per ignorantiam hostiliter etiam persequuntur, — ut eos et omnes ubilibet alios, in ignorantiae tenebris versantes aut per infirmitatem etiam quoquomodo seductos, ad veram filii tui lucem clementer deducere digneris, ut omnes, in unum ovile ipsius collecti [2]), per tuam gratuitam misericordiam te verum Deum nostrum laudare unanimiter tibique genua nostra flectere in eodem ipso filio tuo pariter omnes possimus.

Postremo vero te oramus, omnipotens et misericors Pater! pro omnibus nostris fratribus, per catholicam tuam Ecclesiam dispersis, qui propter veram doctrinae tuae et filii tui confessionem sub cruce ipsius Antichristiana tyrannide ullo modo pre-(78)muntur. Consoleris illos quaesumus, Domine! per Spiritum sanctum tuum, omnis verae consolationis autorem [3]), in afflictionibus et cruce ipsorum virtuteque tua divina corda illorum in vera fide ex alto ita confirma, ut omnia, quae in illos immittis, patienter fortique animo et cum gratiarum actione perferre possint intrepideque ac constanter tuum et filii tui

---

[1]) Matth. 3, 7. [2]) Ioan. 10. [3]) Ioan. 16.

nomen, tam per vitam, quam per mortem suam celebre in tua Ecclesia reddere valeant, aut eos e miseriis atque afflictionibus ipsorum pro tua gratia liberare crucemque illorum moderari digneris, siquidem id intelligis ad gloriam tui adorandi nominis et catholicae tuae Ecclesiae aedificationem ullo modo pertinere.

Peculiariter autem te oramus, sanctissime Pater! pro Ecclesiarum hic nostrarum fratribos, sive praesentes adsint sive alibi peregre versentur, quos iusto tuo alioqui iudicio aut morbis aut etiam vinculis inopiave aut exilio aut quibuscunque tandem aliis animae corporisve molestiis visitare atque exercere dignatus es. Ne illos in ip-(79)sorum afflictionibus deseras, sed aut mitiges crucem eorum pro tua paterna benignitate et misericordia, aut illis robur addas et patientiam, ut forti infractoque animo perferant omnia, quae in eos pro beneplacito tuo clementer permittis, — ut sa probari abs te intelligant, velut a Patre clementissimo, in suis afflictionibus pro tuo erga se amore [1]). Nimirum quos diligis, eosdem in vita hac etiam per afflictiones corrigis atque exerces [2]), ut deinceps puriores probatioresque appareant [3]), conformes alioqui facti filio tuo in afflictionibus ipsius, quem tu aeterno tuo prorsusque admirabili consilio in nostrae omnium salutis principem per afflictiones consecrasti [4]).

Haec abs te nos impetraturos esse confidimus, o, Pater noster coelestis! pro tua paterna in nos pietate et misericordia, atque ea spe nomen sanctum tuum per unice tibi dilectum tuum filium, praescripta nobis ab ipso precatione, supplices invocamus: Pater noster qui es in coelis etc."

Hic observandum est, interseri non (80) raro et alias preces, priusquam Dominica precatio dicatur, praesertim si quae peculiares necessitates Ecclesiae se forte offerant atque id quoquomodo postulare videantur.

Absoluta vero Dominica precatione, aut Baptismus habetur si quos ad baptismum offerri contingat, aut Coena Domini peragitur siquidem eo tempore sit peragenda, aut iunguntur matrimonia si qui id petant. Aut si quid omnino eiusmodi incidit, quod publice coram Ecclesia geri oporteat, id totum fit mox post absolutam hanc Dominicam precationem. Quodsi nihil huius se offerat, tum qui ad id sunt peculiariter ordinati, auspicantur magna gravitate Psalmum aliquem lingua vulgari, quibus mox pari gravitate succinit tota Ecclesia, tantaque moderatione canitur quidquid omnino canitur a tota Ecclesia, ut omnia quae canuntur intelligi ab omnibus, qui linguam modo norunt, facile possint.

[1]) Rom. 5. 1 Cor. 13. Heb. 13. [2]) Pro. 3. [3]) 1 Pet. 1. [4]) Heb. 2.

Porro Psalmo decantato dimittitur ab Ecclesiaste tota Ecclesia cum pace, pauperum commendatione et benedictione hisce verbis: (81)

„Memineritis pauperum vestrorum et alii pro aliis invicem precemini [1]. Deus autem misereatur vestri et benedicat vobis. Illucescat Divini vultus sui luce inter vos ad nominis sancti sui gloriam et custodiat vos in sancta ac salutari pace sua. Amen."

Dum autem haec ab Ecclesiaste ita dicuntur, Diaconi iuxta suas vices in portis templi ordine consistunt, eleemosynas in ipsis templi portis, postquam dimissa est Ecclesia, diligenter colligunt ac protinus demum in templo ipso, quidquid collegerunt, conscribunt. Id quod in omnibus etiam aliis Ecclesiae coetibus semper alioqui observari solet.

Eadem porro est forma omnium aliarum concionum cuiuscunque diei et in omnibus coetibus Ecclesiae, nisi quod Decalogi recitatio, precatio item complectens in se confessionem pariter atque absolutionem et Symboli praeterea recitatio in aliis concionibus omnibus omittuntur. Sed post absolutam mox concionem, simulatque prima precatio finita est, orditur continuo Ecclesiastes preces publicas pro Ecclesiae necessitatibus. Atque ita demum ad-(82)dita precatione Dominica et Psalmo decantato dimittitur Ecclesia cum suprascripta benedictione: Memineritis pauperum etc.

In pomeridianis vero concionibus dierum Dominicorum forma quidem concionum eadem plane est, sed posteaquam textus scripturae populo praelectae explicatus est (quod interim sit unius duntaxat dimidiatae horae spatio), Ecclesiastes orditur Catechismi maioris explicationem, quem pueri, ut in libellis Ecclesiae aeditus habetur, lingua vulgari recitant iuxta suos ordines, ubi priore concione cessatum fuerat. Qua de re plura, ubi de usu Catechismi peculiariter agetur.

Absoluta autem Catechismi explicatione, finitur demum concio suprascriptis precibus et Psalmi decantatione, omissa interim Decalogi precationisque, quae eius confessionem cum absolutione complectitur et Symboli recitatione, quae matutinis duntaxat dierum Dominicorum concionibus adhibetur.

Caeterum diebus Iovis ordinarie publici etiam Ecclesiae coetus habentur publicaeque conciones, praeterquam si in diem Mercurii aut Veneris proximum festus ali-(83)quis dies incidat, quorum observatio aboleri nondum hic potuit. Tum enim concio in eum ipsum diem festum transfertur non propter dierum ulla discrimina, sed ne populus,

[1] Iacobi 5. Psa. 66.

qui operas tum suas non exercet, diem illum in otio perdat, non audita ex verbo Dei ulla admonitione. Fit tamen non raro etiam, ut et festis diebus, siquando in hebdomado forto incidant, et diobus etiam Iovis nihilominus concio publica habeatur, pro eo ac id Ecclesiae commodum esse videtur.

Atquo eadem sauo forma concionum diebus Iovis etiam observatur, quao et aliis per bebdomadem diebus observari solet, uisi quod, concionο absoluta ot precibus etiam Ecclesiao publicis absolutis, priusquam Psalmus docantetur, instituitur publica scripturarum lingua vulgari collatio, quam Prophetiam vocamus, in qua doctrina praeteritarum tota ea hebdomado concionum excutitur publice et approbatur per locorum in scripturis accuratam collationem unanimisquo doctrinae consensus per totam Ecclesiam retinetur. Extrahitur autem haec talis Propbetia seu doctrinoe examiuatio ad horae unius spatium et Psal-(84)mus deinde canitur. Quo finito dimittitur Ecclesia more suprascripto cum benedictione. Sed quoniam duplicem habemus Prophetiae usum, alterum in Germanica, alterum vero in Gallica Ecclesia, utrunque sane et utilem Ecclesiac et scripturis consentaneum, utriusquo ratio nobis explicanda etiam erit. Primum autem de Germanicae, deinde vero do Gallicae Prophetiae usu atquo rationo dicemus, ubi prius exposuerimus Catechismi usum ot examinationem.

De usu et forma Catechismi.

Quemadmodum in vetere Israelis Ecclesia satis non erat infantes circumcidisse, iuxta Divinam ordinationem, sed extabant nihilominus mandata, multis Scripturae locis repetita, de pueris, ubi adolevissent, summa diligentia instituendis in Legis Divinae cognitione et ceremoniarum eius temporis observatione [1], adeoque et inter causas publicarum Ecclesiae illius calamitatum eam quoque recenseri audimus, quod parentes (85) circa puerorum in religione institutionem negligentiores essent, — ita et in Christi nunc Ecclesia satis proculdubio non est, infantes nostros baptizari, nisi, posteaquam baptizati iam adolescere coeperunt, summa etiam fide ac diligentia in Baptismi mysteriis aliisque verae religionis capitibus instituantur. Enimvero praeterquam quod multa in Euangelicis atque Apostolicis literis de pueris recte instituendis habemus [2], ipse etiam Paedobaptismus nostri nos hac in parte officii commonefacere plane videtur. Cum enim membra in uno eodemquo corpore omnia non possunt alia pro aliis

[1]) Gen. 18. Exodi 12, 13. Deuter 4, 6, 11. Psal. 78, 5. Ier. 4, 7. Ephes. 6.
[2]) Matth. 18, 19. Marc. 9, 10. Luc. 18.

non semper esse sollicita, sed mutuam inter sese invicem curam alia pro aliis habent, nosque omnes una cum nostris infantibus in unum atque idem Christi Domini corpus Spiritu sancto autore baptizemur, perspicuum est, curam infantium in Ecclesia, posteaquam sunt baptizati, ad totam Ecclesiam, imprimis vero ad parentes ipsorum pertinere. Et res ipsa docet, nihil tam esse utile ac necessarium toti Ecclesiae, quam ut pueri ipsius recte in Domino instituantur. Abit enim in mores fere, quod in pueritia discitur, habetque momenti plurimum per omnem vitam nostram recta educatio. Sed omnium maxime nos excitare merito deberet ad fideliter et diligenter instituendos nostros liberos in (86) vera religione dignitas ipsa nostrae omnium simulque et nostrorum infantium cum Christo Domino consociationis in corpore et sanguine ipsius, ad quam, ut dictum est, Paedobaptismus ipse nostros etiam infantes omnino pertinere testatur. Profitemur Paedobaptismo nostro infantes nostros esse membra Christi, esse foederatos, adeoque et filios Dei in Christo. Quid praetexemus igitur, quominus inter Christi Domini et Dei contemptores censeamur[1]), dum aut nullam propemodum, aut nimium certe tenuem curam (quod ad Divinorum institutionem attinet) membrorum Christi foederatorum, adeoque et filiorum Dei habemus? Res profecto gravior est, quam plerisque videatur. Et tamen passim negligi videmus teneram aetatem illam in divinorum institutione, multosque videmus, qui, neglecta liberorum suorum (dum adolescunt) in rebus divinis institutione, de coacervandis duntaxat opibus honoribusque illorum solliciti esse malunt, suoque se officio praeclare defunctos esse arbitrantur, si omnia sua studia omnesque suas cogitationes ponant in accumulandis liberorum suorum honoribus ac fortunis. Certe qui tales sunt, re ipsa declarant, recepta se tantum vulgo consuetudine, non autem fide ulla Divinarum promissionum de salutari ipsius (87) nobiscum foedere, infantes suos ad Baptismum attulisse, aut suam sibi ipsimet culpam procuIdubio congeminant, si in tanta sua circa liberos incuria ac negligentia de sua nihilominus erga Deum fide deque Divinorum mysteriorum cognitione ullo modo glorientur. Ut interim taceam, quantum hic damnum detur Ecclesiae, dum semen illius in ipsa plane semente, aut suffocatur, aut, male alioqui cultum, in herbas noxias degenerat. Neque est recens hoc malum, sed iam olim nescio quo modo passim inveteratum. Inde enim factum est hauddubie post ipsa etiam mox Apostolorum tempora, ut Catechistae publici in Ecclesiis instituerentur, qui pueros, tam baptizatos, quam etiam baptizandos (quorum praesertim parentes infideles adhuc erant), in religione e-

[1]) 1 Sam. 2. 1 Tim. 5.

rudirent. Atque sane ex veterum monumentis facile apparet, summa olim fide ac diligentia observatam fuisse publicam Catechesim, qua parentum negligentiae Ecclesia mederi conabatur. Sed hic tandem non dormiit Satan atque optimum illud purioris Ecclesiae institutum Romani Antichristi technis in novum idolum quoddam vertit, quod nescio quam baptismi confirmatio-(88)nem vocant, in qua publicae illius catecheseos usum magica nescio qua, conceptis verbis, rancidi cuiuspiam olei unctione atque alapae impactione, commutatum videmus. At vero nunc sane, si unquam alias, maxime est necessarius publicae catecheseos usus in Christi Ecclesia sub hac corruptela omnis propemodum religionis, sub tanta sectarum multitudine et sub exoriente ubique fere Atheismo quodam, ad quem nunc nescio quo modo maxima fere hominum pars propendere ita videtur, ut, nisi a teneris usque unguiculis, quod dicitur, malo huic eatur obviam, studiumque verae religionis summa cura ac diligentia animis hominum ex verbo Dei penitus infigatur atque inculcetur, periculum sit proculdubio, ne totus orbis illius contagione inficiatur. Proinde et nos, post datam nobis hic potestatem instituendi Peregrinorum ecclesiam, iuxta doctrinam Christi Domini et Apostolicam observationem, omnem nobis nostram operam in hoc etiam dandam esse existimavimus, ut in usum puerorum publicam in nostra Ecclesia catechesim institueremus, ne nostra negligentia et aetas illa periret et nos toti Ecclesiae Divinam accerseremus ultionem. Scimus autem varios haberi posse ritus ac modos publicae catecheseos, pro eo ac id cuiusque Ecclesiae commoditas postulare videtur. Quare et nos eum nobis ritum illius in nostra Ecclesia observandum esse putavimus, qui nostrae Ecclesiae omnium maxime utilis ac commodus esse videbatur, quemque iam ordine suo exponemus.

Duos Catechismos in nostra Ecclesia habemus, Minorem alterum, alterum vero Maiorem. Minor ediscitur a pueris, quintum aut sextum annum superegressis, priusquam ad Coenae Dominicae usum admittantur. Maior autem Dominicis diebus in concione pomeridiana a pueris paulo iam adultioribus atque ad Coenae usum admissis exigitur et per Ecclesiasten explicatur. Continet enim maior hic Catechismus quae et Seniores scire expedit, nedum ut a paulo adultioribus tantum ediscantur. Minoris igitur Catechismi examinatio atque explicatio ad hunc modum in nostra Ecclesia observatur.

Ritus exigendi atque explicandi Minoris Catechismi. (90)

Posteaquam infantes sexus utriusque quintum annum in nostra Ecclesia attigerunt, nomina illorum per Ministros publice censentur

bis in anno quolibet et in libro ad id peculiari conscribantur; nempe ultima Dominica mensis Februarii et rursum ultima Dominica mensis Augusti post absolutam prorsus pomeridianam et concionem et maioris catechismi explicationem, de quo postea dicetur. Quae sane res continet in officio parentes omnes, nisi coram tota Ecclesia publice ad extremum reprehendi velint. Ministri enim dum puerorum nomina ad eum modum censent et conscribunt, facile observant eorum parentes, num vel in deducendis illis, vel etiam instituendis, suum, ut debent, officium praestent. Et si quos negligentiores vident, primum illos eius rei admonent: deinde vero, si res ita postulet, iuxta gradus Disciplinae etiam Ecclesiasticae reprehendunt.

Quia vero nostra Ecclesia per totam urbem ita est dispersa, ut omnes simul Ecclesiae totius pueri commode examinari non possint, Ecclesiam totam in tres prae-(91)cipuas partes quasdam partimur. Prima eos complectitur, qui ultra pontem Londinensem in vico, cui nomen est Southwerke, habitant. Altera eos omnes, qui citra pontem, extra moenia et portas urbis circumquaque degunt. Postrema vero pars eos omnes complectitur, qui intra portas et moenia urbis ubilibet domicilia sua habent. Iuxta hanc igitur Ecclesiae partitionem, pueri omnes, quintum superegressi annum, eorum, qui in Southwerk habitant, in medio Ecclesiae coetu coram Ministris sistuntur per parentes ipsorum, aut qui parentum loco sunt, ultima Dominica mensis Februarii nominaque illorum in catalogo conscribuntur. Prima vero Dominica Martii publice examinantur. Qui vero citra pontem extra portas et moenia urbis circunquaque habitant, hi pueros suos omnes sexus utriusque in praedicta aetate constitutos, ultima Dominica Martii ad eundem modum, ut dictum est, sistunt, qui prima demum Dominica Aprilis publice examinantur. Ac rursum qui intra portas et moenia urbis ubilibet habitant, hi, ut iam dictum est, pueros suos coram Ministris Ecclesiae publice sistunt, ultima Domini-(92)ca Aprilis, ut prima Dominica Maii iuxta praedictam modum examinentur.

Ita vero etiam ultima Dominica Augusti rursus repetitur eiusmodi census ac conscriptio puerorum et prima Dominica Septembris illorum examinatio, iuxta praedictam Ecclesiae partitionem et menstruis intervallis rursum iuxta modum iam supra dictum continuatur, sic ut bis in anno omnes totius Ecclesiae pueri utriusque sexus, quintum annum superegressi, ad eum modum examinentur.

Quodsi quo modo forte fiat, ut constitutus aliquis dies ad censum et conscriptionem puerorum impendi huic rei non possit, tum puerorum illorum qui sisti debebant conscriptio in ultimam Dominicam mensis proxime subsequentis, examinatio vero in primam Dominicam alterius, qui succedit, mensis differtur. Atque ita demum menstruis

postea intervallis iuxta suprascriptos puerorum ordines continuatur. Monentur autem iuxta praedictam Ecclesiae partitionem parentes puerorum quartodecimo die ante examinationem, ut illos octavo die sistant ante examinatio-(93)nem nominaque illorum tradant. Indicent praeterea, quousque in minore Catechismo sunt progressi, qui illum ediscere iam coeperunt, ut Ecclesiastes sciat, quid ab illis exigere debeat, ne qua confusio in examinatione suboriatur.

Docentur autem ante omnia pueri, ut precationem Dominicam, Symbolum (quod Apostolicum vocant) et Decalogum recitare possint. Atque haec primum omnium etiam ab iis in eorum examinatione exiguntur. Deinde iubentur minorem Catechismum ediscere, atque in eo demum etiam examinantur, pro eo ac quisque in illo est progressus. Et monentur parentes puerorum ac ludimagistri, ut pueros diligenter in minori Catechismo instituant, ut ab illis ediscatur, prinsquam ad tredecimum aetatis suae annum perveniant atque ad Coenae Dominicae usum admittantur. Ipsa vero examinatio puerorum peragitur ad hunc modum.

Posteaquam dies examinationis venit, disponuntur scamna longa suis ordinibus in medio Ecclesiae coetu e regione suggesti, unde pueri et ab Ecclesiaste et ab Ecclesia audiri commodissime possunt, in quibus suggesto proximis (94) consident pueri illi, qui precationem Dominicam, Symbolum et Decalogum recitare possunt. In aliis vero consident pueri illi, qui in minore iam Catechismo erudiuntur. Id vero totum fit ante ipsam pomeridianam concionem, ne postea Ecclesia perturbetur. Habet autem Ecclesiastes catalogum puerorum utrorumque et qui recitare tantum debent Precationem Dominicam, Symbolum ac Decalogum et qui in minore etiam Catechismo instituuntur, et, postquam dimidiatam horam concioni publicae impendit, ad puerorum examinationem se convertit, factaque brevi ad Dominum precatiuncula, pueros exhortatur ad alacrem eorum, de quibus sunt interrogandi, responsionem. Primumque a singulis illis, qui proxime suggestum consident, exigit ordine iuxta traditum sibi nominum catalogum Precationis Dominicae, Symboli et Decalogi recitationem, sic ut alii aut precationem Dominicam tantum aut Symbolum aut Decalogum recitent, alii vero simul omnia, pro eo ac Ecclesiastes unumquenque institutum esse novit. Deinde vero ad eos quoque progreditur, qui minorem Catechismum ediscere coeperunt, et a singulis in illo exi-(95)git, pro eo ac quenque progressum esse novit.

Quodsi qui pueri apte atque expedite ad interrogationes responderunt, collaudantur parentes ipsorum, quod tam seduli fuerint in instituendis suis liberis, moneunturque, ut in ea ipsa sedulitate instituendi suos liberos porro perseverent. Commendantur illis praeterea pueri

ipsi studiumque illorum, dignum videlicet, quod puerilibus aliquibus premiolis pensetur atque alatur. Qui vero suum officium non bene in respondendo praestiterunt, horum parentes corripiuntur verbis gravioribus monenturque, ut liberos suos deinceps diligentius aut ipsimet instituant aut per didascalos institui curent: et, si postea quoque negligentiores fuisse deprehendantur, iuxta gradus disciplinae Ecclesiasticae publica reprehenduntur.

Absolutis autem interrogationibus et responsionibus puerorum omnibus factisque ad parentes illorum, ut res postulat, admonitionibus, Ecclesiastes invitat totam Ecclesiam ad gratiarum actionem, ad hunc modum: (96).

Gratiarum actio post habitam catechesim minoris Catechismi.

„Agimus tibi gratias, omnipotens et misericors Pater! per Iesum Christum filium tuum, quod salutis nostrae mysteria hisce nostrae Ecclesiae pueris in tenera hac ipsorum aetate revelaveris, ostenderisque verum esse, quod filius tuus de te testatur: nempe te illa abscondisse a sapientibus et prudentibus huius saeculi et parvulis duntaxat revelare voluisse [1]). Teque supplices oramus, ut pueros hosce nostros, qui tuam erga nos omnes in filio tuo beneficentiam ore ipsorum puerili contestati sunt [2]), nosque simul etiam omnes Spiritu sancto tuo ita gubernare digneris, ut Regnum filii tui in nostra Ecclesia indies magis ac magis multiplicetur. Amen."

Finita hac gratiarum actione Ecclesiastes prosequitur publicas preces. Quibus absolutis canitur Psalmus ab Ecclesia, quemadmodum circa conciones pome-(97)ridianas diebus Dominicis aliis fieri solet, et tandem dimittitur Ecclesia in pace cum benedictione et egenorum commendatione.

Ritus exigendi atque explicandi maioris Catechismi.

Quoniam in minore Catechismo praecipua tantum capita quaedam religionis et quidem breviter exponuntur, ut a pueris adhuc teneribus commode edisci possent: multa vero attacta non sunt, quae a paulo adultioribus (ne quid de Senioribus dicam) ignorari in Christi Ecclesia non debent, habemus etiam in nostra Ecclesia maiorem Catechismum, qui pleniorem continet capitum religionis propemodum

[1]) Matth. 11. Luc. 10. 1 Cor. 1. [2]) Psalm 8.

totius explicationem. Is vero singulis diebus Dominicis ordinarie, nisi quid aliud interveniat, iuxta capitum ordinem ét exigitur a pueris paulo iam adultioribus ét per Ecclesiasten explicatur, ad hunc modum.

Posteaquam Ecclesiastes in pomeridiana concione explicando scripturae, quam e-(98)narrat, textui (quo loco mane substiterat) dimidiatam plus minus horam impendit, reliquum tempus insumit in exigendo et explicando maiore Catechismo, pergens ubi proxima ante concione desierat. Consident autem e regione suggesti pueri utriusque sexus, qui, posteaquam minorem Catechismum edidicerunt, in maiore etiam Catechismo aut per parentes suos aut per didascalos instituuntur. Horum nomina Ecclesiastes in catalogo conscripta habet, qui praesertim iuxta vices quasdam capita Catechismi explicanda recitare debent. Ab his igitur ordine suo omnibus, ut in catalogo conscripti habentur, iubet Ecclesiastes recitari, quae explicaturus est, Catechismi capita singula et recitata ordine etiam explicat fontesque illorum in scripturis, unde sunt desumpta, commonstrat, sic ut non ad pueros tantum, sed ad maiores quoque fructus pertineat eiusmodi explicationis, et pueri interim ab ipsis fere incunabulis ét domi a parentibus et a ludimagistris ét publice item in coetu Ecclesiae in religione instituantur.

Exigitur vero simul et explicatur mai-(99)or hic Catechismus ad spatium dimidiatae plus minus horae, pro eo ac tempus fert. Et demum Ecclesiastes orditur preces publicas Ecclesiae, quibus absolutis psalmus canitur et demum dimittitur Ecclesia cum benedictione et pauperum commendatione, quemadmodum supra dictum est circa ritum concionum, quae diebus Dominicis habentur.

Forma admittendi adolescentes pueritiam supergressos ad Coenae Dominicae usum.

Pueri, qui annum quartumdecimum iam attigerunt, et in religione ita sunt instituti, ut ad praecipua religionis capita respondere possint, ad usum Coenae Dominicae cum reliqua Ecclesia admittuntur. Octo diebus tamen, antequam Coena sit peragenda, reddunt publice coram tota Ecclesia fidei suae confessionem, ad hunc modum.

Proxima Dominica, antequam Coena peragenda sit, hoc est, octavo ante Coenam die, post absolutam concionem pomeridianam cum (100) Catechismi explicatione et publicis Ecclesiae precibus omnibus, priusquam Psalmus canatur, pueri, qui primum omnium ad Coenam sunt admittendi, in conspectu totius Ecclesiae per parentes suos aut qui parentum loco sunt, iussu Ministri producuntur atque, adstantibus illis ipsorum

parentibus aut qui parentum sunt loco, haec ab illis per Ecclesiasten publice petuntur.

1. Ut ad praecipua religionis capita, de quibus iuxta minoris Catechismi ordinem interrogantur, compendio singuli respondeant.

2. Velintne etiam in ea fidei confessione per gratiam Dei perstare ac iuxta illam vitam suam instituere mundoque ac Satanae cum omnibus pompis ipsius renunciare?

3. Velintne praeterea disciplinae sese Ecclesiasticae ex verbo Dei ultro ac sponte sua subiicere? Nempe ut, sicubi peccent, admonitiones, tum privatas, tum publicas, et a Ministris et ab uno quolibet ex Ecclesia amanter et aequo animo accipiant atque alios vicissim fratres peccantes admoneant. Aut, si ferre nolint Ecclesiasticas admonitiones, ut observatis disciplinae gradibus ad extremum excommunicentur (101) et ex Ecclesia eiecti Diabolo in interitum carnis tradantur.

Respondent ad haec omnia: „Etiam."

Postea Ecclesiastes invitat Ecclesiam ad precationem et ea in genua procumbente clara voce precatur, ad hunc modum:

„Omnipotens Deus, misericors Pater! qui non vis, ut vel unus e parvulis tuis pereat, quos ad tui nominis gloriam in tuo unigenito filio Iesu Christo a morte in vitam aeternam secundum copiosam tuam misericordiam regenuisti [1]), — agimus tibi gratias, quod pueros hosce nostros per Spiritum sanctum tuum salutari cognitione, quae vera demum est sapientia, imbuisti. Teque supplices oramus, sanctissime Pater! qui solus alioqui in nobis efficis, ut, quae tibi sunt placita, et velimus et perficiamus, — ut pueros hosce nostros nosque pariter omnes oculis tuae misericordiae deinceps etiam intueri digneris. Ut omnes pariter indies magis ac magis in vera tui cognitione et observantia (102) per Spiritum sanctum tuum promoveamus inque illa ad finem usque tuo beneficio per assidua pietatis incrementa perseveremus, neve ullis falsis doctrinis a veritate tua abducamur aut ullis item mundi huius carnisque nostrae illecebris praestigiisve a viis tuis ullo modo abducamur, sed, augmenta semper in filio tuo sumentes, te perpetuo in nostra Ecclesia glorificemus. Amen."

Finita precatione Ecclesiastes modeste collaudat puerorum illorum parentes aut qui parentum loco sunt, pro sedulitate ipsorum circa puerorum institutionem amanterque illos monet, ne de sua erga illos cura quidquam remittant, ne quo modo per ipsorum negligentiam,

---

[1]) Matth. 18. 1 Petri 1.

ab his, quae iam professi sunt, quoquomodo deficiant. Aliorum vero puerorum parentes exhortatur ad istorum imitationem.

Admonet praeterea etiam eos ipsos pueros, qui confessionem fidei suae fecerunt, ut Dominum Deum timere perpetuo pergant. Vitent malam societatem, parentibus obediant, cum omnibus charitatem habeant et assiduis precibus sese (103) Domino Deo commendent. Satanam enim non dormire, ad quem si relabantur, gravius illos iudicium manere, quam si cum aliis rerum divinarum prorsus ignaris peccarent [1]).

Postea Psalmus decantatur ab Ecclesia, quae demum dimittitur cum benedictione et egenorum commendatione, ut supra scriptum habetur.

Appendix de adolescentibus dissolutis et imperitis.

Si qui adolescentes, in nostra Ecclesia baptizati, post annum quartumdecimum, aut non satis in religione instituti esse aut vitam nonnihil dissolutam agere deprehendantur, sic ut vel non possint ad Coenae usum admitti, vel, semel admissi, arceri rursum propter vitae impuritatem debeant, tum Ministri Ecclesiae illos ad se vocant vocatosque ex verbo Dei reprehendunt, et sciscitantur de causis vel imperitiae vel insolentiae ipsorum. Quodsi aliqua culpae pars in parentibus esse videatur, monentur primum parentes ipsi, deinde, si admonitiones (104) negligant et sint ex Ecclesia, iuxta gradus disciplinae Ecclesiasticae reprehenduntur. Si vero nullam in parentibus culpam esse constet, sed culpa sit in ipsis liberis, qui non raro ita insolescunt in adolescentia, ut non magnopere moreantur parentes ipsos, nedum illorum admonitiones aut etiam castigationes, tum consolandi sunt parentes ipsi et cum eis capiendum consilium, si quomodo iuvenili liberorum insolentiae frenum adhiberi possit. Puer vero seu adolescens severiter interim a Ministris obiurgabitur ex verbo Dei, propositis illi videlicet minis divinis, nisi resipiscat, et a Coenae Dominicae usu suspendetur.

Si vero aliquis sit, qui neque istinsmodi obiurgatione neque item suspensione a Coenae usu moveatur, sed quotidie deterior atque intractabilior fiat, ubi ad annum octavumdecimum aut vigesimum pervenerit et Ecclesiasticas admonitiones contemnere nihilominus pergat, cum publico totius Ecclesiae luctu excommunicabitur. Etenim cum Deus olim parentibus id praeceperit [2]), ut praefractos ac rebelles suos liberos ad Magistratum deferrent, ut, tanquam Dei ipsius in mandato ipsius de parenti-(105)bus honorandis contemptores, morte plecteren-

[1]) Luc. 11. 2 Pet. 2. [2]) Deut. 21.

tur, quo pacto ferendi ac non potius per excommunicationem resecandi sunt a reliquo Ecclesiae corpore, qui, ut membra Christi in eius Ecclesia baptizati, Christum Dominum ipsummet contumelia destinata afficiunt, dum Ecclesiam ipsius publicumque eius ministerium intra sese rident ac contemnunt? Sed de excommunicatione postea plura. Nunc satis est ostendisse, quonam modo pueri in sua adolescentia, si sint protervi atque insolentes, coerceantur, et, priusquam ad Coenae Dominicae usum admittantur, et, posteaquam sunt admissi iam, propter insolentiam ab illa rursum arceantur.

Quodsi qui parentes per inopiam sumptum in liberos instituendos facere non possint, Diaconorum ministerio illis succurritur, modo illis res indicetur.

Atque haec est ratio catechizandi continendique in officio pueros et adolescentes in nostra Ecclesia, quam sane fructum non contemnendum et iam videmus attulisse et adhuc allaturum esse per Dei gratiam non dubitamus. Restat iam, ut de modo ac ratione tam Germanicae quam Gallicae Pro-(106)phetiae dicamus.

[*De Prophetiis, quae dicuntur.*]

De modo ac ratione Prophetiae in Germanorum Ecclesia diebus Iovis.

Ratio Prophetiae in Germanorum Ecclesia haec est visa fore maxime utilis toti Ecclesiae, ut in illa excuterentur et approbarentur omnia per mutuam locorum e scripturis collationem, quae in totius eius hebdomadis concionibus videri poterant vel non recte vel non ad plenum omnino fuisse explicata, aut qualemcunque tandem in animis auditorum dubitationem forte adhuc reliquissent. Cum enim nusquam aliunde plus imminere posse periculi constet in omnibus Ecclesiis, quam ex doctrinae dissidiis, nihil sane aeque etiam utile esse potest in omnibus Ecclesiis, quam ut unanimis doctrinae consensus in illis ex verbo Dei retineatur. Ad quem equidem retinendum atque etiam alendum vix quidquam haberi excogitarique potest aut melius aut commodius aut etiam efficaeius hac tali publica do-(107) ctrinae Ministrorum examinatione atque approbatione.

Die Iovis igitur sub finem concionis, quae hora propemodum nona ante meridiem habetur, Ecclesiastes ipse hortatur Seniores Ecclesiae et omnes eos, qui ad proponendas obiectiones designati sunt, ad proferendum in medium aliquid cum omni modestia et gravitate ad Ecclesiae aedificationem, non autem ad vanam ostentationem. Ac tum Ministri rationem reddunt doctrinae suae in eius hebdomadis concionibus traditae, si quid adversus illam obiiciatur.

Et ut omnia ordine ac decenter citraque ullam confusionem gerantur [1]), ne item fenestram aperire voluisse dicamur per istiusmodi examinationes inducendis curiosis quibusdam, ut nunc sunt tempora, et noxiis quaestionibus, quae aliud nihil quam pugnas gignerent et Ecclesiam demum etiam perturbarent [2]), — designati habentur e Senioribus ac Diaconis adeoque et ex reliquo etiam Ecclesiae coetu viri quidam pii graves et modesti, quosque certum est ét in scripturis bene versatos esse ét aliud non quaerere, quam gloriam Dei (108) et Ecclesiae publicam aedificationem, quibus solis potestas facta est proponendi suo ordine in Prophetiis, quidquid omnino proponi debet. Vitari enim non possent turbae ac confusiones in Ecclesia ullo modo, si quibuslibet proponere omnia liceret, cum nusquam alioqui desint hisce nostris potissimum temporibus homines contentiosi praefracti curiosi et supra modum arrogantes, a quibus sibi modis sane omnibus Ecclesia cavere debet: denique non desint etiam fanatici plerique homines, per quos hauddubio omnia tentaret Satan ad dissipandam Christi Ecclesiam, si omnia quibuslibet sine delectu ac discrimine ullo publice in medio Ecclesiae coetu proponere liceret.

Interim tamen ut toti Ecclesiae libertas sua constet, et ne quis sibi delectorum illorum ad id peculiariter virorum designationem fraudi esse queratur, libertas permittitur omnibus, qui sunt ex Ecclesia, ut omnes suas dubitationes aut obiectiones designatis viris illis sive verbis sive scripto exponant, adiectis ex verbo Dei dubitationum obiectionumque istiusmodi suarum rationibus. Quae demum om-(109)nia per designatos illos in Prophetia proponuntur, quatenus sane verbo Dei consentanea esse et ad Ecclesiae aedificationem facere videntur.

Ne tamen et inter illos ipsos designatos viros aliqua ullo modo confusio oriatur, aut alii alios in proponendo impediant, conveniunt inter sese designati illi paulo ante eius diei concionem atque inter sese conferunt, quo quid ordine proponi ab illis debeat. Et, si quid sit eiusmodi, quod aliquo modo controversum esse videatur, admonentur illius in tempore Ministri ac Seniores omnes, ut praemeditati respondeant, aut res differtur in aliam Prophetiam, si sit opus, ut omnia ordine decenter et cum Ecclesiae aedificatione fiant.

Quantus autem sit huius talis Prophetiae fructus, id res ipsa clarius multo testatur, quam ut ullis verbis explicari possit.

Primum enim confirmantur animi totius Ecclesiae in retinenda tuendaque etiam sana doctrina, posteaquam illam ita et excuti et approbari videt, et animantur praeterea atque etiam armantur omnes

[1]) 1 Cor. 14. [2]) 1 Tim. 4, 6. 2 Tim. 4. Titum 3.

adversus sectas omnes, quibus nunc sunt fere plena ubique omnia, atque unanimis in tota Ec-(110)clesia doctrinae consensus retinetur.

Deinde Ministris verbi excutitur torpor atque otium. Coguntur summo studio advigilare, ut in tradenda doctrina fideliter prudenter et magna circumspectione ministerio suo fungantur, ne quid temere videlicet apud Ecclesiam effutiisse novaque ulla dogmata praecipitanter in medium protulisse videri possint. Nimirum vox illa Apostolica in officio illos continet: Caeteri diiudicent, et alioqui intelligunt etiam in tali doctrinae examinatione Spiritus Prophetarum aliis Prophetis subiectos esse oportere [1]). Praeterea multi, per imperitiam alias ad sectas pertracti, facile lucrifiunt. Cum enim rationes sectariorum confutari, idque sine conviciis, et sanam praeterea doctrinam approbari audiunt ex verbo Dei, facile ad agnoscendum errorem suum et veram resipiscentiam inducuntur, id quod iam pluribus exemplis experti sumus. Ad haec Seniores Ecclesiae sese etiam non vulgariter exercent in scripturarum explicatione. Si qui enim loci occurrant, qui variam admittant expositionem, quisque Seniorum proferre potest suam, quam sibi habet revelatam, ex-(111)positionem, non sine magna Ecclesiae aedificatione. Postremo praefractis atque obstinatis adversariis et sectis omnibus obstruitur os hoc tali Prophetiae genere, dum sibi omnem excusationem eripi vident, cum apud Deum, tum apud homines, pertinaciae suae atque obstinationis. Negare enim non possunt, libertatem esse proponendi publice argumenta ipsorum omnia per designatos illos viros pro eo ac ipsimet volunt, modo ne turbas in Ecclesia moveant, sed ordine et decenter omnia fiant, ac deinde refutari omnia, donec toti Ecclesiae modis plane omnibus satisfiat ipsaque id suo silentio publice attestetur. Sed quemadmodum Christus ait, omnes qui male sibi sunt conscii, lucem ferre non posse adeoque et refugere, denique et odisse [2]), ita sane et isti ad talem disputationum et Prophetiae lucem prodire recusant, sed in angulis interim suis traducere non cessant nostram Ecclesiam et, lucis odio excaecati, damnant tandem, quod in sua ipsorum conscientia convincuntur accusari eam haudquaquam posse, atque ita ad extremum αὐτοκατακρίτοι cum sint, in mentem reprobam iusto Dei iudicio tradun-(112)tur [3]).

Hisce itaque causis adducti hunc talem Prophetiae modum in Germanorum Ecclesia instituendum hic esse putavimus, quod huic Ecclesiae maxime et utilis et necessarius esse videretur.

Est autem et alia Prophetiae ratio, in qua liber aliquis Biblicus ordine suo explicandus sumitur, non tantum per verbi Ministros, sed

[1]) 1 Cor. 14. [2]) Ioan. 3. [3]) 2 Tim. 3. Titum 3.

etiam Seniores ac Diaconos, iuxta ordines ipsorum, aut plures etiam delectos ad id viros quosdam graves et pios ex reliquo Ecclesiae coetu. Atque haec talis Prophetiae ratio in Gallorum Ecclesia observatur lingua vulgari ipsorum, ad hunc modum.

De modo seu ritu Prophetiae in Ecclesia Gallorum.

Cum et in Germanorum Ecclesia multi sint, qui Gallice loquantur, et in Gallica item Ecclesia multi, qui Germanicam linguam sic satis norint, utile id fore existimavimus, ut aliis omnino diebus Prophetia apud Gallos in hebdomade, quam (113) apud Germanos observaretur, ut videlicet ét Galli qui vellent Germanicae ét Germani vicissim Gallicae Prophetiae commodius interesse possent. Atque ita, quoniam in Germanorum Ecclesia diebus Iovis prophetia, ut dictum est, haberi solet, Gallicae Prophetiae dies Martis destinatus est.

Visum est etiam utile fore utrique Ecclesiae, ut varietas haec Prophetiae ita in illis retineretur. Ut enim doctrinae per hebdomadem traditae examinatio atque approbatio (de qua iam diximûs) plurimum fructus habet in Ecclesia, ita fieri etiam non potest, quin maximo cum fructu scripturae tractentur, si ad cuiusque lectionis explicationem multae multorum interpretationes, inter sese nihilominus consentientes, atque inde deductae vel exhortationes vel consolationes adhibeantur. Manifeste enim conspicitur opulentia donorum Spiritus sancti in Ecclesia in concordi multarum interpretationum circa unum quemlibet scripturae locum varietate et exhortationum simul ac consolationum multarum inde petitarum accommodatione. Deinde est non vulgare exercitium hoc in Ecclesia, quo fit, ut multi semper assuescant scripturarum expli-(114)cationi, sic ut nunquam sint verbi Ministri in Ecclesia defuturi. Postremo Ecclesia tota in fide scripturae confirmatur, quam a tot simul viris tam varie tamque interim consentienter explicari audit.

Singulis igitur diebus Martis in hebdomade in templo Gallorum post absolutam publicam concionem et preces Ecclesiae publicas, priusquam Psalmus extremus decantetur, consident ordine in conspectu totius Ecclesiae verbi Ministri et Seniores eius Ecclesiae, simulque etiam illi, qui ex reliquo Ecclesiae coetu ad id designati sunt. Atque unus aliquis ex Ministris Senioribusve aut designatis illis aliis iuxta suas vices sumpto eo libro, qui ad eum modum per Prophetiam explicari coepit, prosequitur eius lectionem suo ordine, ubi in priore Prophetia cessatum fuerat, ac demum explicationem textui addit pro doni sui mensura et admonet Ecclesiam eorum, quae illi in praelecto textu observatione digna esse videntur. Huic vero, ubi dicendi finem fecit, succedit alius proxime assidens et ad eiusdem

ipsius textus explicationem adiicit, si quid a priore omissum esse putat. Ac rursum secun-(115)do succedit tertius et tertio quartus, usque dum neque inter verbi Ministros neque inter Seniores aut designatos illos e coetu Ecclesiae alios quisquam sit, qui aliquid in medium proferre velit. Posteaquam vero nemo amplius habet quod proferat, Minister, qui publicam concionem habuit, iubet decantari Psalmum aliquem, quemadmodum in superioribus dictum est, et tandem cum benedictione dimittet Ecclesiam in pace.

Atque de publico verbi in peregrinis Ecclesiis ministerio tantum. Habentur autem in templo Germanorum praeterea diebus Lunae et Mercurii latinae praelectiones et latinae item Prophetiae seu scripturarum collationes, in quibus doctrina ipsa praelectionum excutitur atque approbatur, perinde atque in Prophetia Germanica. Sed quoniam huiusmodi praelectiones non proprie pertinent ad Peregrinorum Ecclesias, neque certum est, eas ita semper observari posse, non existimavimus illas in parte aliqua publici verbi ministerii in Ecclesiis ponendas esse. Iam igitur nobis de Sacramentorum ministerio ritûque ac modo illius dicendum erit, primamque de ritu ac forma Baptismi, deinde vero (116) de usu ac ceremonia Coenae Dominicae, quemadmodum in nostris Ecclesiis observatur.

[DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.]

Forma ac ritus administrandi Baptismi, in Ecclesia peregrinorum Londini.

Baptismus in nostra Ecclesia in publico potissimum Ecclesiae coetu sub finem concionis publicae administrari solet. Cum enim Baptismus ad totam omnino Ecclesiam ita pertineat, ut nemo qui sit e corpore Ecclesiae a Baptismo arceri, neque item admitti ad illum quisquam, qui non sit membrum illius, debeat, aequum sane est, ut, quod ad totam simul pertinet Ecclesiam, in totius etiam Ecclesiae coetu peragatur. Testatur autem Paulus, Ecclesiam ipsam Christo autore Baptismi ministerio mundam censeri sine ullius membri sui exceptione. Unde sane facile est videre, Baptismum neque ad eos, qui omnino sunt extra Ecclesiam, pertinere, neque ullos item Ecclesiae membris negari posse.

Cum autem ita sint hic divino insti-(117)tutae beneficio nostrae Ecclesiae per Maiestatem Regiam, ut sint veluti una quaedam parochia dispersorum per totam urbem peregrinorum omnium, seu unum corpus corporatum, quemadmodum in Regio Diplomate habetur, et non omnes interim peregrini nostris sese Ecclesiis adiungant, — imo vero multi sint, qui dum omnes Ecclesias aversantur ac refugiunt,

apud Anglicas Ecclesias nobis, apud nos vero Anglicis se Ecclesiis adiunctos esse fingunt, atque ita et Anglicis et nostris pariter Ecclesiis imponunt, — nos, ne Anglicae Ecclesiae earumque Ministri imposturis talium hominum fallantur idque sub fuco nostrarum Ecclesiarum, eorum duntaxat infantes baptizamus, qui sese nostris Ecclesiis per publicam fidei confessionem disciplinaeque Ecclesiasticae observationem adiunxerunt. Sed omnium nostrorum infantes baptizamus interim, ne Anabaptistis occasionem aliquam subducendi a Baptismo infantes suos in Anglicis Ecclesiis, praetextu nostrarum Ecclesiarum praebeamus, aut nos etiam sub obtentu Anglicarum Ecclesiarum fallamur.

Ut autem nostrae Ecclesiae certae esse pos-(118)sint, infantes, qui sunt baptizandi, esse eorum semen, qui se nostris, ita ut est dictum, Ecclesiis adiunxerunt, pater ipse infantis baptizandi, si quo modo id facere potest, aut aliquot alii spectatae fidei in Ecclesia viri ac mulieres infantem ipsum ad Baptismum offerunt, eumque semen Ecclesiae esse, publice profitentur. Neminem autem peregrinorum patimur infantes suos ad Baptismum offerre in nostris Ecclesiis, qui non fidem apud nos suam publice professus esset disciplinaeque sese Ecclesiasticae ultro subiecisset, ne, qui infantes suos ad nostrum alioqui Baptismum secus obtulissent, causari demum possent, se ad nostras Ecclesias pertinere atque ita fallerent postea Anglicas Ecclesias earumque Ministros. Sed tamen ut aperte testemur, et Anglicas et nostras Ecclesias unam atque eandem Ecclesiam esse, etiamsi ab illis et lingua et ceremoniis nonnihil variemus, non recusamus, quominus Angli infantes nostrorum ad Baptismum, ut publici Ecclesiae testes, offerant in nostris Ecclesiis, si modo habeant et usum linguarum nostrarum et certum pietatis suae testimonium, quemadmodum nostri vicissim in Anglicis Ecclesiis infan-(119)tes Anglicos ad Baptismum offerre solent.

Habetur autem peculiaris liber, in quo nomina infantium omnium, qui baptizantur, parentum etiam ipsorum nomina locusque mansionis ipsorum, deinde annus etiam, mensis ac dies Baptismi adscribuntur, quo facilius demum infantes, ubi adoleverint, ad Catechismum ediscendum inducantur, si parentes aut e vivis interea excedant aut sint etiam hac in parte negligentiores. Qua de re plura sunt dicta, circa catecheseos explicationem.

Quodsi adultus quispiam sit baptizandus, qui nondum alioqui baptizatus sit, vel a Iudaismo, vel ab Ethnicismo, aut etiam ab Anabaptistis ad nostram Ecclesiam venire seque illi adiungere et in illa baptizari velit, tum is in fide primum instrui publicamque illius confessionem coram Ecclesia aedere et Ecclesiasticae sese disciplinae

subiicere debebit, priusquam baptizetur. Etenim de adultorum salute Ecclesia ex fidei potissimum confessione et usu disciplinae indicare potest.

Cum igitur Baptismus in nostris Ecclesiis administrandus est, iubet Ecclesiastes sub finem concionis, priusquam Psalmus (120) decantetur, infantes baptizandos proferre in totius Ecclesiae conspectum per publicos illos Ecclesiae testes, qui infantes baptizandos semen nostrae Ecclesiae esse, patribus infantium adstantibus, profiteri debent. Quibus demum omnibus in conspectu Ecclesiae ita constitutis, Ecclesiastes in hunc modum adhortatur Ecclesiam ad diligentem mysteriorum in Baptismo nostro considerationem:

Admonitio circa Baptismi administrationem.

»Posteaquam nobis Baptismus iam administrandus est, viri fratres! danda est nobis opera, ut illum iuxta Christi Domini institutionem et Apostolorum observationem administremus, ne per nostrum ministerium sacrosancta haec Christi institutio profanetur, praesertim cum certum sit, Deum multam non sinere institutionum in Ecclesia suarum profanationem. Ut autem Baptismum hunc iuxta Christi Domini institutionem re vera administremus, mens ipsa ac voluntas illius, (121) verbo suo patefacta, intuenda nobis potisismum atque etiam sequenda erit, nempe ut ita Baptismum hunc administremus, quemadmodum illum ab ipso imperatum habemus.

Duo vero nobis praecipit Christus Dominus in Baptismi institutione. Primum, ut aqua baptizemus eos, quos ad eius Ecclesiam certo pertinere scimus. Deinde, ut non quovis modo id, sed in nomen Dei Patris, Filii et Spiritus sancti faciamus [1]). In hisce duobus igitur observandis sequenda nobis erit mens ac voluntas Christi Domini circa huius Baptismi nostri administrationem, ne quo modo divinam institutionem profanemus.

Aquam igitur iam paratam videtis, ut infantes istos tanquam membra nostrae Ecclesiae et Christi ipsius iuxta eius mandatum baptizemus. Superest ergo hoc tantum, ut eos non quovis modo, sed in nomen Dei Patris et Filii et Spiritus sancti vere et fideliter baptizemus, hoc est, ut Baptismo hoc testificemur et declaremus, totam Christi Ecclesiam cum omnibus membris ipsius pertinere proculdubio ad Deum Patrem, Filium et Spi-(122)ritum sanctum, mundatam videlicet omni ex parte sanguine Christi Domini, ut in ea tota una cum membris eius omnibus nullo omnino macula aut ruga coram oculis

[1]) 1 Cor. 12. Eph. 5. Matth. 28. Mar. 13.

Dei cerni possit. Porro ut ostendamus, nos omnia nostrae Ecclesiae membra per nostrum hoc ministerium in nomen Dei Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare, haec ita de Baptismo apud vos testificamur:

1. quod Baptismus iste non tantum ad infantes hosce, qui ad illum offeruntur, sed ad catholicam etiam Christi Ecclesiam ita pertineat, ut illam totam cum omnibus ubilibet membris suis mundam prorsus apud Patrem Deum censeri testetur propter Christum [1]), et proinde esse id debiti officiique nostrum omnium, qui hunc Baptismum intuemur, ut non minus illum ad nos omnes pertinere cogitemus, quam si una cum hisce infantibus pariter omnes baptizaremur, et ut quisque nostrum magnitudinem bonitatis et misericordiae gratuitae Dei secum perpendat cum debita gratiarum actione [2]), simulque cogitet de approbanda Deo eorum eius Ecclesia gratitudine sua per veram resipiscentiam et vi-(123)tae seriam emendationem. Neminem igitur debere esse omnino otiosum Baptismi cuiuslibet spectatorem, nisi qui inter Dominicae institutionis profanatores numerari proque Christi ipsius Domini contemptore haberi et proinde reus etiam corporis et sanguinis Christi esse velit. Sed unumquemquam, dum Baptismum aliorum intuetur, omnes suas cogitationes intendere debere ad perpendendam gratuitam Dei erga nos omnes bonitatem ac misericordiam in Christo et ad curam ac sollicitudinem approbandae nostrae vicissim erga Deum gratitudinis per veram resipiscentiam nostram et vitae emendationem, perinde atque si omnes pariter baptizaremur.

2. quod ea nostra mundities, quam tinctio nostra in Baptismo designat, non sit ex nobis ipsis, quandoquidem unius alterius emundatione mundi sumus, qua sane non egeremus, si ullam omnino ex nobis ipsis munditiem habere possemus [3]). Evinci ergo Baptismi testimonio, omnes nos, quod in nobis quidem est, impuros esse omnino per peccatum ab ipso etiam matrum nostrarum utero coram oculis Dei [4]), neque nos ab ea impuritate eiusque condem-(124)natione repurgari liberarive posse ullo modo, sed per alium oportuisse nos emundari, ut mundi esse possemus.

3. quod ea ipsa nostra mundities ex nullius hominis aut creaturae alterius omnino virtute merito aut dignitate, praeterquam ex gratuito solius Christi Domini dono ac beneficio nobis contingat [5]), nempe per donatam nobis ab ipso iustitiae meriti et gloriae suae in carne nostra partae communionem [6]). Ille enim nos solus emundavit

[1]) 1 Cor. 12. Eph. 5. [2]) Rom. 5, 7. Eph. 2. 1 Cor. 15.
[3]) Tit. 3. [4]) Eph. 2. Psal. 51. [5]) Tit. 3.
[6]) Rom. 3, 5, 8. 1 Cor. 1. 1 Ioan. 1. Heb. 1, 10. Eph. 2. Coloss. 2.

per sanguinem suum. Ille expiatum morte sua nostrum peccatum tegit suae iustitiae plenisufficientia meritumque suum nobis imputari vult in Patris sui iudicio et suam nobis gloriam gratuito donat. Atque hoc ipsum plane est summum Baptismi mysterium, quod externa aquae tinctione illa designatur quodque nobis scriptura pluries commendat, dum Baptismum lavacrum regenerationis ac remissionis peccatorum vocat [1]), dum baptizatos Christum induisse testatur, et dum nos in mortem Christi baptizari docet. Ut intelligamus mortem Christi meritumque omne illius nobis cum ipso ex dono suo commune esse, at (125)que per eam ipsam nostram cum Christo communionem in morte ipsius, nos etiam deductos esse in aeternam et gloriosam communionem eorum in coelis, quae sunt Patris et Filii et Spiritus sancti, et proinde nos mandato Christi Domini baptizari in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti [2]).

4. quod collatum hoc in nos a Christo Domino nostrae munditiei donum requirat nostram pro tanto beneficio gratitudinem. Nempe ut donatam nobis munditiem, peccatorum nostrorum sordibus nostris ne rursum ultro ac sponte impuremus [3]). Et proinde debiti officiique nostri esse, ut nostram illam cum Christo Domino in morte sepultura ac resurrectione sua communionem, per quam servati sumus, vita etiam nostra pro nostra virili coram eius Ecclesia exprimamus, crucifigentes videlicet in nobis ipsis assidue veterem nostrum hominem, affectusque ipsius una cum Christo Domino sepelientes, quoad fieri potest, atque in vitae novitatem virtute Spiritus sancti indies magis ac magis resurgentes. Si quando vero nos pro nostra infirmitate lapsos esse peccatorumque nostrorum mole premi videmus, non ideo nobis de-(126)sperandum esse neque item quaerenda ulla alia peccatorum nostrorum remedia, sed intuendam nobis esse emundationem nostri in sanguine Christi, quam Baptismus ipse contestatur. Qua fit, ut non huius tantum aut illius temporis peccata nostra, sed quae per omnem vitam nostram ex infirmitate nostra patramus, nobis gratuito condonentur, si nobis diffisi cum nostri ipsorum displicentia atque accusatione veniam illorum supplices ad thronum gratiae Dei petamus.

Haec ita vobis de Baptismo testificamur, ut intelligatis ét infantes istos ad eum modum baptizari ét vos iam olim baptizatos esse in nomen Patris èt Filii et Spiritus sancti.

Quamquam autem infantes omnes nihil horum percipere, ne dicam praestare possint, non ideo tamen a Baptismo arceri debent; postre-

[1]) Tit. 3. Act. 9. Gal. 3. Rom. 6. [2]) Matth. 28.
[3]) Rom. 6. Ephe. 4. Coloss. 3. Heb. 10.

mum est enim et in Baptismo et in aliis Sacramentis omnibus id quod nos pro debito officioque nostro erga Dominum Deum nostrum praestare debemus [1]). Sed nobis ante omnia intuendum est Dei opus erga nos in Christo, nempe acceptatio nostri et nostri seminis gratuita in gratiam (127) Dei propter Christum, quae nobis per Baptismum designatur. Ad quam cum infantes nostri quoque indubitato pertineant, testimonio institutae olim a Deo circumcisionis et manifestae alioqui promissionis „Ut sim Deus tuus et Deus seminis tui post te", — [2]) non fideliter ministerio nostro fungeremur, si a signo acceptationis nostrae infantes nostros arceremus, quos Deus ipse et promissionis et circumcisionis testimonio luculentissimo sibi gratos acceptosque esse expresse testatur. Quodque ad baptizandorum adnatam infirmitatem attinet, eam sane clementer fert Deus neque illis imputat propter Christum, sic ut adnata nobis naturae nostrae infirmitate a gratuita illa nostri propter Christum acceptatione et proinde ab usu Baptismi etiam haudquaquam excludamur. Alioqui si propter adnatam naturae nostrae infirmitatem infantes a Baptismo arcendi essent, eo quod credere et poenitere non possunt, simul quoque et adulti omnes arcendi essent. Neque enim inter adultos etiam quisquam est, qui vere ac plene credere aut poenitere possit. Imo magis multo adulti omnes a Baptismo arcendi essent, eo quod patratis iam per se ipsos pluri-(128)mis et gravissimis sceleribus omnibus infantibus multo sese reddiderint impuriores, quemadmodum Cyprianus docet.

Amplectimur ergo infantes omnes ad Baptismum in nostra Ecclesia ad attestandam et nostri simul et illorum gratuitam acceptationem in gratiam Dei propter Christum. Et, quanquam natura sua sint revera filii irae, concepti et nati in peccato [3]), quemadmodum et nos omnes, Christi tamen beneficio peccatum ipsorum illis, quemadmodum et nobis nostrum, non imputatur ad condemnationem, propter quem etiam in foedere esse censentur.

Et ut certi simus infantes nostros in foedere Dei censeri, quod in se alioqui complectitur eam communionem cum Deo Patre et Filio et Spiritu sancto, in quam mandato Christi omnes baptizari iubemur, verbi divini ea de re testimonia audiamus. Primum igitur Deus ipsemet ad Abrahamum sic ait, cum illi circumcisionem in gente deinceps sua observandam imperaret (Gen. 17.): „Ego constabiliam, inquit Dominus, pactum meum inter te et me, et inter semen tuum post te in generationibus (129) suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus et Deus seminis tui post te."

[1]) Rom. 4. [2]) Gen. 17. [3]) Eph. 2. Psal. 51.

Hoc porro Dei pactum sacramentalemque illius in Circumcisione obfirmationem atque obsignationem haudquaquam abolevit Christus Dominus in sua Ecclesia, etiamsi typicum Circumcisionis elementum, externam inquam praeputii accisionem, aquae lavacro commutatam esse videamus [1]), ut, quod olim promissum expectabatur adhuc in Christo venturo, id iam in ipso exhibito praestitum cumulatissime intelligamus. Alioqui Paulus et veterem Ecclesiam, quae circumcidebatur, sub typica rei futurae adumbratione baptizatam, et nos item qui baptizamur, completo iam in nobis per Christum Circumcisionis typicae mysterio, circumcisos esse docet. Multo minus autem arctavit Christus Dominus foederis divini erga nos gratiam in sua Ecclesia prae Ecclesia Israelis, cum una sit semper eademque catholica Dei Ecclesia et unum item atque idem aeternum Dei foedus in illa. Quo sane nomine Christus Dominus in Abrahae semine censetur et nos per illam omnes, quemadmodum Paulus (130) docet [2]). Sed foedus ipsum, quod antea ad solos Iudaeos peculiariter pertinebat Circumcisionis testimonio, protensum est per Christum Dominum in omnes totius orbis terrarum gentes Baptismi institutione, sic ut quemadmodum in Israelis olim Ecclesia Deus aperte testatus est, se, non tantum adultorum, sed etiam infantium Deum esse [3]), — ita et Christus Dominus in sua nunc Ecclesia infantes nostros sibi placere atque ad se pertinere testetur. Id quod et aliis multis locis et imprimis apud Marcum expresse legimus cap. 10, ad hunc modum. „Et attulerunt ad eum infantes, ut illos capesseret. Discipuli vero obiurgabant ipsos infantium gestatores. Id porro cum vidisset Iesus indigne tulit et ait ad discipulos: Sinite infantes venire ad me et ne prohibete illos, talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicunque non acceperit Regnum Dei, quemadmodum infans, haudquaquam ingredietur illud. Et cum illos in ulvas accepisset, positis super eos manibus benedixit illis".

Ex Christi Domini et verbis hisce et exemplo perspicuum est, infantes ei gratos (131) atque acceptos esse in sua Ecclesia, et proinde, illos cum ad foedus ipsum Dei nobiscum, tum etiam ad signa ipsius a Christo instituta proculdubio pertinere. Cum igitur Christus Dominus in sua Ecclesia Baptismum instituerit, ut esset signum atque obsignaculum divini propter se foederis nobiscum, quatenus sane eos omnes, ad quos ius alioqui ac ministerium Euangelii ipsius quoquomodo pertinet, in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti baptizari iubet, — equidem perspicuum est, infantes nostros ad Baptismum per Ecclesiam offerri cum publica eius gratulatione et ab illius Ministris

[1]) Colos. 2. [2]) Gal. 3. Hebre. 2 [3]) Matth. 28. Ephe. 3.

baptizari etiam oportere. Ut ergo Baptismum istorum infantium rite et cum fructu iuxta Christi Domini institutionem peragamus, nomen Domini supplices invocemus, ut hosce infantes nosque pariter omnes in Divino foedere suo constabiliat atque obsignet, ad hunc modum:

Precatio circa Baptismi administrationem. (132)

„Omnipotens aeterne Deus, misericors Pater! qui nos per unigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum docuisti, ut te in omnibus nostris actionibus invocemus, eaque pollicitus, te nos per ipsius nomen precantes semper auditurum esse [1], —respice quaesumus super hanc familiae tuae congregationem, quae Baptismi huius ministerium a filio tuo institutum intuetur, et super hoc semen nostrum, quod in medio Ecclesiae nostrae coetu tibi offertur, Cuius alioqui te Deum esse tu ipsemet testatus es [2], et filius tuus amplexu illud suo suaque benedictione dignatus est. Velisque nos una cum nostro semine per Spiritum sanctum tuum ita gubernare, ut in vera ac salutari tui et nostri cognitione indies magis ac magis promovere possimus, ut omnes intelligant, te vere esse nostrum pariter ac seminis nostri Deum, nosque vicissim una cum nostro semine esse populum tuum in Christo Iesu dilecto tuo filio, cum quo ac sancto tuo Spiritu vivis et regnas Deus (133) trinus et unus, benedictus in saecula. Amen."

Finita hac precatione convertit orationem suam Ecclesiastes ad eos, qui infantes ad Baptismum unum pluresve offerunt, iubetque ut ad infrascriptas interrogationes una cum infantium patribus, si adsint, coram tota Ecclesia respondeant, tanquam publici testes et veluti manus quaedam totius Ecclesiae in offerendis illius infantibus ad Baptismum, in hunc modum:

„Audivistis, fratres! Baptismi lavacrum esse institutum a Christo Domino in sua Ecclesia obsignaculum divini foederis nobiscum, a quo arceri neque debeant neque possint infantes nostri, quos in illo comprehensos esse constat, nisi si et Ecclesia tota neglectae Dominicae institutionis et Ministri illius non satis fideliter administrati sui ministerii accusari velint. Cum igitur vos totius Ecclesiae huius nomine infantes istos — *si plures infantes offerantur* — ad Baptismum adferatis, ego pro fide mei ministerii a vobis postulo, ut mihi in conspectu totius Ecclesiae tanquam testes publici ipsius testificemini: (134)

[1]) Ioan. 4. [2]) Gen. 17. Marc. 10.

1. an infantes isti, quos offertis, sint etiam semen nostrae huius Ecclesiae, ut per nostrum ministerium hic legitime baptizentur?

Respondent: Etiam.

2. agnoscitisne etiam doctrinam nostram, quam de Baptismo et eius mysteriis audistis, veram esse, et quod nostri infantes natura quidem sua, ut et nos omnes, irae ac mortis filii [1]), iam tamen divino nobiscum foederi propter Christum inclusi, instituto a Christo et ipsi acceptationis iustitiaeque suae sigillo, Baptismo inquam, debeant omnino obsignari?

Respondent: Etiam.

3. postremo agnoscitisne esse id vestri et totius simul Ecclesiae debiti atque officii, imprimis autem vos Patres — *si Patres ipsi praesentes adsint* — una cum vestris uxoribus, infantium istorum matribus, ut oblati infantes isti, ubi adolescere coeperint, in vera Dei notitia et religione instituantur?

Respondent: Etiam."

Absolutis hisce interrogationibus et responsionibus, Ecclesiastes de infantium — *si plures sint* — nominibus inquirit ac demum illos ordine suo proferri ad Baptis-(135)mum iubet, singulosque illorum nomine suo compellans, aqua pura in fronte tingit coram tota Ecclesia, dicens:

„Ego te baptizo N. in nomen Dei Patris et Filii et Spiritus sancti. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi obsignet te et nos pariter omnes in dono nostrae omnium in Christo regenerationis et iustitiae per Spiritum sanctum suum ad vitam aeternam. Amen."

Postea invitat Ecclesiastes ad gratiarum actionem totam Ecclesiam, qua in genua procumbente precatur in huno modum:

Gratiarum actio post Baptismum administratum.

„Agimus tibi gratias omnipotens Pater! per Iesum Christum filium tuum, quod nos una cum nostro semine a morte aeterna liberatos ad vitam rursus aeternam Baptismi testimonio reduxeris per gratuitam nostri omnium in sanguine Filii tui unigeniti ex-(136) piationem. Teque supplices oramus per eundem ipsum tuum filium, ut hos infantes nostros — *si sint plures* — qui tui proculdubio sunt Baptismi huius testimonio, Spiritu etiam sancto tuo gubernare deinceps donisque illius salutaribus, ubi adoleverint, ita ornare digneris, ut tuam hanc erga se et nos pariter omnes vere aeternam benignitatem ac misericordiam olim probe agnoscant, inque omni demum sanctitate et iustitia vivant sub Rege ac Pontifice nostro omnium Christo Iesu, qui

[1]) Ephe. 2.

tecum et cum sancto tuo Spiritu est verus unus atque aeternus Deus, laudandus in saecula. Amen."

Finita hac gratiarum actione admonetur paucis Ecclesia, ut infantes suos ad Baptismum offerat, non ex vulgari ulla consuetudine aut superstitione, sed ex fide eius promissionis, quae non tantum adultos, sed ipsorum semen etiam in Ecclesia Divino nobiscum foederi inclusum esse atque ad plenitudinem mystici corporis Christi pertinere testatur. Ita enim summam quisque in Ecclesia consolationem ex infantium suorum Baptismo accipiet et ad omnia forti (137) animo toleranda excitabitur, quaecumque vel in se, vel in suos infantes a Domino immitti videbit.

Atque ita demum canitur Psalmus ab Ecclesia et, eo decantato, dimittitur Ecclesia cum benedictione et pauperum commendatione, quemadmodum circa conciones, Dominicis diebus haberi solitas, supra scriptum habetur.

Ritus Coenae Dominicae in Ecclesia peregrinorum Londini.

Coenae Dominicae usum summo olim studio summaque religione sub Apostolis observatum esse, facile e scripturis apperet. Siquidem Paulinae illae apud Corinthios κατηχήσεις abunde testantur, quam puram voluerit esse Paulus Coenae Dominicae administrationem; et quam frequens tum fuerit Coenae Dominicae usus, id sane ex actis Apostolicis non obscure colligi potest. Caeterum post ipsa mox Apostolorum tempora ita ubique refrixit studium eo cura verae religionis, ut neque ritus ullus observatae per Apostolos Coenae Dominicae (138) nobis sit plene proditus, usque quod equidem sciri possit, et usus ipse Coenae abierit non multo post in gravissimam superstitionem. Unde demum et varii Coenae ritus invecti sunt, haud ita multum theatricis spectaculis absimiles, et usus illius rarior esse coepit. Postea adficta est propitiatoriae in Coena oblationis imaginatio, quae consistere non potuit, nisi realis etiam iuxta substantiam ipsam corporis et sanguinis Christi naturalis praesentia in Coenae elementis statueretur. Qua constituta cessare hic adhuc noluit Satan, donec novum nobis idolum, neque unquam antea (etiam inter omnium maxime barbaras gentes) auditum, in Coenae elementis obtruserit per Papisticam transubstantiationem. Atque ita sane non modo sublatus est frequens ac legitimus Coenae usus, reservata solis nescio quibus Sacrificis elementorum Coenae et consecratione simul et oblatione, sed et contactus illorum convivis Coenae (execrabili plebi scilicet) magno

supercilio interdictus est, commutatusque ad extremum Coenae usus est idololatrica elementorum illius adoratione.

In ea porro Coenae Dominicae profanatione cum utrinque offendicula videremus, (139) sive nimium frequentem, sive etiam paulo rariorem Coenae usum in nostra Ecclesia instituissemus, — mediam nobis viam hic sequendam esse putavimus, quae nostrae nunc alioqui Ecclesiae commodissima esse videbatur. Nempe ut per singulos menses in nostra Ecclesia (alternis inter Germanos et Gallos vicibus) Coena Domini administretur, sic ut, si in templo Germanorum Coena Domini peragatur prima Dominica Ianuarii, prima rursus Dominica Februarii in templo Gallorum habeatur. Neque vero hac tali ordinatione ereptam volumus Ecclesiae suam libertatem, quominus utrobique, et in Germanorum et in Gallorum Ecclesia, quoties ex usu sit Ecclesiae, aliis quoque temporibus Coena Domini instituatur. Omnia enim nostra sunt [1]). Sabbatumque ipsum propter hominem institutum est, non homo propter Sabbatum.

Adhaec Coenam Domini publice potissimum in totius Ecclesiae coetu administramus, ét quod id Paulus ita observari apud Corinthios voluerit, ét quod privato Coenae usu (ne dicam abusu) publicum illius usum ab Apostolis observatum, non modo obscuratum, sed pene abolitum, adeo-(140)que et profanatum esse videamus.

Praeterea non quoslibet temere ad Coenam Dominicam admittimus, sed eos tantum, qui, aedita publice fidei suae confessione, Disciplinae sese etiam Ecclesiasticae ultro ac sponte subiecerunt, suntque testati, se cum nemine ullam omnino simultatem aut controversiam habere. Qua de re plura circa praeparationem ad Coenam Dominicam dicentur.

Postremo id dedimus operam, ut ad puritatem Apostolicam et Christi Domini exemplum in Coenae suae administratione quam proxime accederemus, quod equidem nostri esse officii putavimus, cum id nobis praesertim Regio diplomate permissum esset. Omisimus igitur omnes Papisticas reliquias omnemque theatricum apparatum et, quantum simplicitatem potuimus, Coenae Dominicae adhibuimus in ceremonia ipsius. Mensa in conspectu totius Ecclesiae posita habetur panno lineo tecta. Huic accumbunt et Ministri et convivae Coenae per suas vices omnes atque accumbentes mensae e Ministri accumbentis manibus Coenam Domini sumunt, quemadmodum a Christo factum videmus.

Neque vero ideo alias Ecclesias restitu-(141)tas aut contemnimus quoquo modo, aut ullis nostris praeiudiciis gravatas volumus, quod in eis et plures et nonnihil diversae ceremoniae circa Coenae Domi-

[1]) 1 Corin. 3. Marc. 2.

nicae usum habeantur. Imo vero cum Augustino indignum esse statuimus, ut propter ea, quae nos Deo neque digniores, neque indigniores possunt facere, alii alios vel contemnamus vel iudicemus. Sed suam Ecclesiis hac in parte libertatem permittimus, et nostram nobis etiam permitti optamus, cum sit nobis praesertim concessa publica Magistratus autoritate, et oramus, ut nos invicem in Christiana charitate et tolerantia perferamus. Ne tamen aliquid temere hic egisse videamur, reddemus eorum rationem paucis, quibus nonnulli forte offendi utcunque posse videntur.

Vestes, dubium mysticasne magis an vero magicas, ut in Papismo quidem habentur, — cereos item ac nolas Coenae Dominicae non adhibemus, neque hic multis nobis opus esse putamus ad approbandam consilii nostri rationem. Non dubitamus enim satis constare piis omnibus, haec nihil facere ed Christi institutionem, facere autem non parum ad alendem in multis adhuc su-(142)perstitionem, quam tolli omnino praestaret, si id ullo modo fieri posset.

Altaria vero mensis non nos primi commutavimus, tametsi nullam omnino culpam deprecaremur, etiamsi primi hic fuissemus. Sed nos repurgatum prorsus omni Papismo templum nostrum a Regia Maiestate accepimus, quo sane nomine Domino Deo nostro imprimis, deinde vero Regiae etiam Maiestati ingentes gratias habemus. Sublatis igitur altaribus mensam substituimus, quod et Coenae peragendae convenientior esset, et quod a Paulo Coenam Domini mensae titulo ornari videremus.

Praeterea consessum publicum genuflexioni ac stationi, denique et ambulationi in Coenae usu anteposuimus, eiusque rei nobis multas causas easque non leves habuisse videmur. Longum eutem fuerit commemorare omnes, neque id nostri nunc instituti esse videtur; sed tamen aliquot recensebimus, ne id temere fecisse existimemur, hoc interim adiecto, quod nos consessum publicum non ita perpetuum in Coenae usu habemus, quin dum preces funduntur ad Dominum in genua procumbamus, sed in ipsa actione mystica, in instituta inquam a Christo (143) Domino panis et poculi distributione et participatione mensae accumbimus, quicunque illi participamus, idque eas potissimum ob causas.

Primum in confesso est, omnibus Ecclesiae Ministris id potissimum in ipsorum ministerio sequendum esse, quod certo constat magis facere ad Ecclesiae aedificationem [1], neque dubium est, ea ad veram Ecclesiae aedificationem magis multo facere, quorum fontes in verbo Dei palam conspiciuntur, quam quae rationis duntaxat nostrae

[1]) Ro. 14, 15. 1 Cor. 14. 2 Cor. 10, 12, 13.

iudicio extra verbum Dei speciosa esse videntur. Cum igitur negari non possit, consessum seu accubitum in Coenae actione ipsa manifestos fontes suos habere in Christi Domini exemplo et Apostolorum observatione scripturae testimonio [1], qui fontes alioqui neque in statione neque in genuflexione neque etiam in ambulatione commonstrari possunt, — sane quatenus Ministri Ecclesiae officium suum in suo ministerio praestare volunt, perspicuum est illos, si id eis ullo modo liceat, consessum potius seu accubitum in Coenae Dominicae actione retinere debere, quam aut stationem aut genuflectionem aut ambulationem, — et proinde erat (144) etiam debiti officiique nostri (post permissam nobis praesertim Regia autoritate nostramlibertatem) consessum potius in nostris Ecclesiis in Coenae usu retinere, quam aut stationem aut genuflectionem aut ambulationem.

Deinde id quoque extra omnem controversiam positum esse constat, magis multo Christianum esse, ut Christum Dominum nihil omnino vane atque otiose vel egisse vel docuisse putemus in Coenae suae institutione, et proinde nihil quoque eorum, quae ille tum aut egit aut docuit, immutandum quoquomodo esse, quam si ipsum vane atque otiose egisse docuisseve aliquid et proinde id nobis pro nostro arbitrio mutandum esse dicamus. Cumque satis constet ex historica Euangelistarum narratione, Christum Dominum exemplo nobis suo consessum seu accubitum in Coenae suae actione commendasse, certe, quatenus nos eum ipsum consessum neque vane neque otiose a Christo Domino in Coena sua observatum esse credimus, hactenus illum nobis, quoad eius fieri queat, retinendum potius, quam reiiciendum esse intelligemus, — aut certe re ipsa testabimur, quidquid hic omnino (145) praetendamus, consessum illum vane atque otiose a Christo Domino observatum fuisse, si illum pro nostro arbitrio sine necessitate ulla tolli aut quoquo modo permutari posse statuamus. Imo vero cum in typica illa agni olim Paschalis coena existimandum non est, ullam omnino actionem observatam fuisse, quae non suum aliquod et quidem minime contemnendum mysterium haberet, equidem sine Christi Domini indignitate facere non possumus, ut ea, quae ipse in sua cum Apostolis suis coena, novi testamenti sui obsignaculo, observavit, aut suis mysteriis, et quidem multo sublimioribus, carere, aut si non careant, abiici a nobis posse arbitremur. Et quemadmodum cogitandum non est, vanum atque otiosum fuisse olim in coenae Paschalis apud Iudaeos observatione, lumbis accinctis baculisque in manus sumptis agnum typicum edere [2]; — nimirum haec testabantur et designabant, magnum adhuc populo iter reliquum

[1]) Matth. 26. Marci 16. Luc. 22. Ioan. 13. [2]) Exod. 12.

fuisse, prinsquam typicam suam promissionis terram oculis suis conspecturi essent, admonebantque praeterea illum populum, ut ad emetiendum iter illud accinctus semper expeditusque esset, siquidem eo pervenire vel-(146)let; — ita et nune alienum id a nobis maxime esse oportet, ut observatum a Christo Domino eiusque demum etiam Apostolis consessum in Coena novi testamenti ipsius, vanum otiosum omnique mysterio vacuum esse imaginemur. Sed est potius nobis summa religione observandum longe praestantissimum illud plenumque summae consolationis mysterium nostrae iam quietis in Christo, ipsiusmet Christi Domini verbis nobis commendatum. Nempe non esse nobis amplius cum Iudaeis quaerendum alibi in terris aliam ullam promissionis terram; sed nos iam per Christum Dominum, verum nostrum Iosue, mortis suae merito in vera promissionis terra (salute videlicet nostra aeterna) collocatos, residere iam prorsusque quiescere debere, intuentes perpetuo meritum mortis et resurrectionis Christi ac donatam nobis gratuito salutarem illius communionem, cuius equidem vim ac dignitatem publicus noster in Coenae Dominicae usu consessus symbolo nobis suo adumbrat attestatur et commendat, quatenus sane Coenam Domini nostrae cum Christo communionis et proinde nostrae quoque in illo quietis certum ac (147) salutare obsignaculum esse iuxta eius institutionem non dubitamus. Id vero si qui secum animo Christiano perpendere volent, facile intelligent, nos in observando circa Coenae usum consessu publico in nostris Ecclesiis iustam satis nostri consilii rationem sequutos esse, facta nobis praesertim potestate, ut Christi Domini doctrinam hic atque Apostolorum observationem sequeremur.

Praeterea ipsa etiam Coenae ac mensae Dominicae voces, Paulo alioqui Apostolo familiares, consessum potius, quam aut stationem genuflexionem aut ambulationem requirere videntur. Nemo enim hac fini coenam aut convivium usquam instituit neque item convivas ita excipit quisquam, ut, qui convivio sunt adhibendi, aut stare aut ambulare aut genuflectentes convivari debeant, sed accumbere considereve iubentur convivae omnes, ut compositis ad quietem et corporibus et animis pariter omnes epulentur. Ministrorum est, non convivarum, mensis adstare aut circum illas ambulare, et genuflexio ad altaris adhuc ministerium potius, quam ad coenae apparatum videtur pertinere, ubi, dum (148) victimae pro populo offerebantur, vota quoque flexis genibus fiebant, ut oblatio acceptaretur. At vero nullum amplius in terris altare novit Christi Ecclesia, estque longe alia mensarum ac conviviorum, ut est dictum, et proinde Coenae quoque Dominicae, quam altaris ratio. Quam sane sequutus Paulus epulari nos iubet ut convivas, eo quod verus

iam demum agnus noster ille Paschalis Christus Dominus sit, pro nobis oblatus [1]), atque in cibum animarum nostrarum Coenae suae testimonio propositus, ut illo ad vitam aeternam per fidem pascamur, quemadmodum Christus ipsemet apud Ioannem docet [2]). Et vanum id praeterea etiam videri non debet, quod Christus Dominus regni nobis coelestis sui foelicitatem sub convivii imagine quadam, cum alibi, tum vero etiam in Cocna sua adumbrare se nobis voluisse testatur [3]). Quemadmodum enim in Coena sua Apostolis ad mensam accumbentibus panem ac poculum Coenae administravit, ita illis olim etiam, nobisque sub eorum nomine omnibus, accumbentibus edentibus ac bibentibus in coelesti sua mensa ministraturum se esse pollicetur, ut coenam ipsius hic vel-(149)uti typum quendam ab ipso institutum esse intelligamus coelestis nostrae olim gloriae, adumbratae nobis sub convivii cuiusdam imagine, in quo nobis cum Abrahamo Isaaco et Iacobo pariter accumbentibus atque epulantibus ministraturum se esse testatur. Quam sane foelicitatis nostrae aeternae in coelesti olim gloria imaginem, convivialis consessus symbolo nobis ab ipsomet Christo Domino ad indicibilem piorum omnium consolationem commendatam, obliterare in Ecclesia velle, sublato (dum retineri potest) illius symbolo, equidem haud scio, an id quisquam, gloriae Christi et foelicitatis aeternae illius studiosus, in animum suum inducere possit.

Postremo vero, non tantum nobis commendatur consessus noster in Coenae Dominicae usu exemplo Christi Domini mysteriique sui, quietis inquam nostrae hic in Christo, designatione, aut futurae olim nostrae in regno Dei gloriae typica quadam per convivialem accubitum adumbratione, sed praecipi nobis etiam propemodum mandato illo Dominico videtur: „Hoc facite." Neque enim negari potest, hoc mandato comprehendi id totum, quod Christus Domi-(150)nus tum et docuit et fecit. Cumque extra omnem controversiam sit, Christum accumbentibus suis Apostolis Coenam suam instituisse, negari sane etiam non potest, accubitum illum seu consessum partem fuisse omnino actionis in ipsa Coenae institutione, et proinde a mandato illo „hoc facite" excludi hauquaquam posse.

Praetexuntur hic quidem multa ad elevandam mandati huius hac in parte autoritatem, ut est semper valde ingeniosa in divinis mandatis elevandis nostra ratio, sed non suo loco dicuntur illa omnia. Commemorabimus tantum hic praecipua quaedam atque eadem paucis etiam refellemus. Praetexitur primum omnium ciborum Paschalis Coenae olim apparatus, pedum lotio, temporis item vespertini et

[1]) 1 Cor. 5. [2]) Ioan. 6. [3]) Luc. 12, 13, 22.

loci (coenaculi inquam Hierosolymitani) observatio et ignorata alioqui accubitus illius forma, qua Christus Dominus cum Apostolis suis sit usus in Coenae suae institutione. Haec nobis omnia revocanda esse ad Coenae usum contendunt quidam, si mandatum Christi illud „hoc facito" ad consessum in Coena retinendum urgere volimus. Ad haec igitur respondemus. Primum quod (151) ad ciborum Paschalium apparatum et pedum lotionem attinet, Paulus ita nobis Coenam Domini certis suis finibus circumscribit, ut neque cibos Paschales neque pedum lotionem ad Coenae institutionem quidquam omnino pertinere videamus. Orditur enim illam a pane per Christum Dominum in manus sumpto, et finem illius facit in eius ipsius panis ac poculi Coenae a Domino sumpti mystica participatione. Aut igitur Paulo Coenam finibus suis circumscribenti credimus, et tum sane fateri cogemur, haec non suo loco ab istis urgeri. Aut certo nos Paulo Apostolo non credere ostendemus, si contra ipsius narrationem vel cibos Paschales vel pedum lotionem in parte Coenae Dominicae ponere velimus. Ne quid hic de Euangelistarum narratione dicamus, ex qua sane colligi potest et Coenam Paschalem et pedum lotionem diversam sane prorsusque separatam actionem fuisse, et utramque etiam priorem fuisse ipsa Coenae institutione, etiamsi Cyprianus aliter sensisse videatur.

Deinde multo minus in loco urgetur adhuc temporis vespertini et loci observatio. Neque enim recte tempus aut locus (152) consessui opponitur in coenae usu, cum et tempus et locus non sint actio ipsa, ut sub verbis mandati illius „hoc facite" comprehendi possint, quemadmodum consessum ipsum comprehendi omnino, adeoque et partem ipsam esse observatae a Domino mysticae suae actionis negari non potest: estque in confesso, omnia temporum locorum personarum discrimina luce Euangelii dispulsa iam prorsusque abrogata esse. Quam equidem abrogationem, quod ad tempus potissimum attinet, diserte nobis commonstrat Paulus in ipsa Coenae institutione, dum ait: „Hoc facite quoties biberitis, etc". Neque temporis igitur neque loci item mutatione violatur Coenae institutio, quemadmodum sane consessu sublato violari videtur, quem Symbolicam alioqui actionem esse et Christi imprimis exemplo et Apostolica etiam observatione et mysterii praeterea excellentia insigniter commendatum, denique et mandato Christi Domini illo „hoc facite" imperatum nobis esse videmus.

Postremo omnium sane minime in loco urgetur ignorata consessus seu accubitus Christi cum Apostolis forma in prima illa Coenae institutione. (153) Quis enim nos doceat, ad quem modum peracta sit tum prima illa etiam vel poculi propinatio vel panis ipsa fractio ac distri-

butio? An vero, propterea quod haec ignoremus, Coenae usus nobis intermittendus erit? Equidem certo doceri non potest, qua materia aut forma fuerit poculum illud, quod Christus Dominus in Coena sua propinabat, neque item primusne ipse, an vero postremus biberit. Multo minus autem de pane doceri potest, quonam modo fractus sit, cultellone an manibus tantum. Quo item modo in cibum oblatus, collectusne per frusta in discum, ubi iam fractus esset, ut suum quisque sibi frustulum sumeret, an vero cultello aut fuscinulae infixus, aut nudis manibus in manus sigillatim unicuique porrectus. Haec sane certo doceri omnia non possunt. et tamen non ideo tollimus in Coena sive poculi propinationem sive panis fractionem distributionem et participationem: quae sane tolli omnia oporteret, si consessus sit tollendus propter ignoratam formam ipsius.

At vero Paulus, quemadmodum neque in poculi propinandi, neque in panis frangendi distribuendique forma a Christo Domi-(154)no observata ita anxius erat, ut, propterea quod illam non nosset, a Coenae sibi usu abstinendum esse putaret, sed vulgari istorum omnium forma contentus Coenam nihilominus a Corinthiis observari voluit, — ita et de primi illius Christi cum Apostolis accubitus forma nihil solicitus satis habuit, receptum vulgo consessum publicum in Coenae usu retinuisse. Porro neque Tertullianus, neque Chrysostomus, neque Augustinus mutati usquam consessus vulgaris in Coenae usu, sive apud Graecos, sive apud Latinos meminerunt, sed receptum ubique consessus modum in Coenae Dominicae usu ad sua usque tempora observatum esse testantur. Et res ipsa loquitur haec praetexi, non tam ut forma illa observati a Christo Domino consessus commendetur ac in Coenae usu revocetur, quam potius, ut peccatum sublati a Coena consessus publici utcunque excusetur.

Non obstant igitur praedictae obiectiones omnes, quominus illis postbabitis consessus publicus in Coenae Dominicae actione, dum fieri potest, observetur. Primum propter Christi et Apostolorum exemplum, quod sane imitari praestat quam abrogare. (155) Deinde propter plenum summae consolationis mysterium partae iam nobis pacis et quietis nostrae in Christo per mortem ipsius. Praeterea, propter typum coelestis nostrae olim gloriae, conviviali hic accubitu adumbratae. Postremo propter mandatum illud Christi Domini: „hoc facite," a quo consessus alioqui seu accubitus, dum retineri potest, excludi omnino non debet.

Sed non ideo tamen Ecclesias eas omnes violatae Divinae institutionis accusamus, ut antea quoque diximus, quae in Coenae Dominicae usu consessum adhuc publicum non observant. Aliud est enim illum sine ulla necessitate sustulisse, aliud vero, per alios sublatum,

restituere adhuc non posse sine magna Ecclesiarum perturbatione. Fatemur filium hominis esse Dominum etiam ipsius sabbati [1]), et cum Augustino non putamus scindendas esse Ecclesias propter ea, quae nos ex se neque digniores neque indigniores coram Deo facere possunt. Sed officium fidelium in Ecclesia Ministrorum esse dicimus, ut Divinas omnes institutiones, pro summa virili sua iuxta fidem sui ministerii ad puritatem illam primaevam doctrinae et observationis Apostolicae reducere semper per (156) omnem occasionem conentur. Quod ipsum equidem nos etiam nobis in consessu Coenae Dominicae restituendo sequendum esse existimavimus, praesertim cum illum Christi Domini exemplo Apostolicaque observatione, mysterii item excellentia et typica coelestis nostrae olim gloriae adumbratione, denique et mandato ipso Dominico non temere proculdubio commendatum esse, et proinde etiam ad Ecclesiae aedificationem plurimum facere videremus: et quidem cum nobis eius rei potestas Regia autoritate facta esset.

Haec vero ita de restituto hic per nos in nostris Ecclesiis Coenae Dominicae consessu suo publico commemorare voluimus, ut consilii hac in parte nostri rationem piis omnibus redderemus. Multa autem omisimus, quae ad eam rem adferri adhuc poterant, quod his satisfactum piis omnibus fore non dubitemus. Iam ergo ad eam, quam observamus, praeparationem ad Coenam Domini veniamus.

De Praeparatione ad Coenam Domini. (157)

Priusquam Coena Domini sit instituenda, quintodecimo antea die id toti Ecclesiae denunciatur et dies designatur, quo administrari debeat, moneturque tota Ecclesia, ne quisquam se a Coenae usu subducat, nisi aut per valetudinem, aut per coactam alioqui necessitatem aliquam impediatur. Ut enim nihil merito ab homine quovis aegroto praetexi potest, quominus morbo suo remedia adhibeat, quoties et medicus et remedia praesto habentur, nisi si suam quis valetudinem studio negligere velit. Ita cum Coenae Dominicae usus praestantissimum sit diffidentiae nostrae remedium ex Christi Domini institutione, nosque sine exceptione omnes sub diffidentiam natura nostra ita conclusi simus, ut illius nomine aliud esse non possimus, quod in nobis est, quam irae et mortis filii [2]), qui equidem est exitialis morbus nostrum omnium, — nemo nostrum profecto subducere sese a Coenae Dominicae usu potest, praeterquam si aut per morbum aut per coactam similem aliquam necessitatem impediatur, nisi si suam

[1]) Marc. 2. [2]) Ephe. 2.

quisque salutem eiusque autorem Christum Dominum negligere (158) omnino velit.

Monetur item Ecclesia, ut quisquam se diligenter iuxta Pauli doctrinam probet [1], qua sane in re summa fere omnis nostrae ad Coenam Dominicam praeparationis consistit. Probationem porro nostri constare potissimum diligenti nostri ipsorum exploratione, num veram Dei et nostri pariter cognitionem nos habere intra nos ipsos sentiamus. Quodque ad Dei primum cognitionem attinet, explorare nos ipsos debemus, num in corde nostro eum affectum sentiamus, ut statuamus, Deum esse simul et Dominum nostrum, qui mandatorum in nobis suorum obedientiam pro dominatus in nos sui iure omnino requirat: esse et iudicem iustissimum, qui nostram rebellionem iusto suo iudicio puniat, et esse servatorem, qui nostram omnium infirmitatem nobis imputare nolit pro gratuita eaque indicibili sua misericordia, sed eius culpam, in filium suum unigenitum translatam, nobis gratuito condonet atque in suam nobis gratiam acceptatis propter eundem ipsum suum filium vitam quoque aeternam ac coelestem gloriam donet [2]. Haec sane simul omnia de Deo nobis observanda sunt circa nostri in (159) vera eius cognitione explorationem. Neque sunt ab invicem haec separanda quoquo modo, nisi nos fallere hac in parte ipsimet velimus. Sic enim non profuit Sauli regi, Deum ut iudicem ac servatorem suum agnovisse, dum illum Dominum suum esse non vere agnovit, hoc est, dum mandati Divini transgressionem pro peccato agnoscere uoluit, sed peccasse se in ipsa mandati transgressione negavit, perinde atque si mandatum a Deo quidem, sed non ut a Domino, cui omnem deberet obedientiam, accepisset [3]. Sic neque Haevae profuit, Deum ut Dominum ac servatorem agnovisse, dum et in transgressione mandati Divini peccati culpam agnoscit et de venia non desperat, praepostere a serpente insidiatore de Dei benignitate persuasa [4]. Posteaquam enim dubitat de punienda iuxta decretum Dei sua inobedientia, simul Deum iustum quoque iudicem esse non agnoscit, experiturque demum non suo tantum, sed nostrum etiam omnium malo, Deum vere iustum iudicem esse, quod initio in corde suo certo statuere nolebat. Sic rursum etiam non profuit Caino, Deum ut Dominum ac iudicem agnovisse, posteaquam non simul etiam illum (160) servatorem suum esse agnovit [5]. Dum enim in homicidio suo et peccati culpam agnoscit et certum exitium expectat, fatetur sane Deum esse vere et Dominum, qui requirat obedientiam, et iudicem qui scelera puniat, — sed dum peccatum ita suum exaggerat,

[1]) 1 Cor. 11. [2]) Ioan. 3. Ephe. 2. Esa. 25. Coloss. 3. Rom. 3. 1 Ioan. 2.
[3]) 1 Sam. 17. [4]) Gene. 3. [5]) Gene. 4.

ut nulla omnino, etiam a Deo ipso ordinata, propitiatrice hostia expiari posse credat, simul iam negat Deum, quem Dominum ac iudicem esse agnovit, esse praeterea etiam et servatorem. Talibus igitur exemplis ostendit Minister, haec nobis de Deo simul et coniunctim observanda semper, neque ab invicem quoquo modo separanda esse circa nostri in vera ac salutari ipsius cognitione explorationem.

Quod vero ad nostri ipsorum cognitionem attinet, haec in tribus etiam praecipuis capitibus posita esse videtur. Nempe ut sciamus, quidnam in nobis ipsis iam simus, quid item simus in Christo per gratuitam nostri propter illum in gratiam Patris Dei acceptationem [1], et quid Deus in nobis in vita hac nostra requirat. Nos videlicet post primi parentis nostri peccatum esse iam, quod in nobis est, irae et mortis filios [2], Satanae et peccati mancipia, qui (161) aliud nihil possimus quam peccare, et proinde aliud nihil etiam tota vita nostra promereamur, quam aeternam condemnationem. Sed esse nos rursum in Christo filios Dei [3], per translatam in ipsum morteque demum sua expiatam omnem infirmitatis nostrae nobis adnatae condemnationem [4], et donatam nobis gratuito vicissim omnis suae innocentiae iustitiae meriti, denique et gloriae suae salutarem communionem [5]. Requiri autem in nobis fidem et gratitudinem nostram, ut hoc tantum Dei beneficium amplectamur nostramque erga illum gratitudinem pro nostra infirmitate declaremus. In his inquam posita est praecipue vera nostri cognitio, in qua nos ipsos explorare diligenter debemus circa nostram ad Coenae Dominicae usum praeparationem. Nempe, num in corde nostro miseriae et condemnationis nostrae magnitudinem propter peccata nostra sentiamus, nobisque ita demum plane diffisi atque abiecta omni prorsus dignitatis nostrae opinione, opem ac veniam apud thronum gratiae Dei supplices cum nostri accusatione imploremus. Rursus, num gustum aliquem acceptationis nostrae in gratiam Dei propter Christum in cor-(162)de nostro ita sentiamus, ut, etsi nobis ipsi prorsus diffidere cogamur, in donata nobis tamen salutari innocentiae iustitiae meriti et gloriae Christi communione, pacificatae per fidem conscientiae nostrae testimonio, conquiescamus [6]. Postremo, num fides illa, quae nostram conscientiam tranquillam reddit, sit vera ac salutaris fides, non autem intra nos ipsos rationis nostrae iudicio collecta praesumptio. Verae enim ac salutaris nostrae fidei autor est non nostra ratio, sed Spiritus sanctus, qui corda nostra excitat, ut Divinis promissionibus acquiescamus, illis nos consolemus, illis nitamur, inque illis nobis propter Christum Dominum

[1]) Ephe. 2. [2]) Rom. 7. [3]) Ioan. 1. [4]) Psal. 51. Esa. 53.
[5]) Mar. 16. [6]) Rom. 5.

placeamus. Idem porro etiam Spiritus sanctus accendit corda nostra ad amorem tam benefici Dei, ut illum et sua amemus omnia, condelectemur legi sanctae ipsius inque illius obedientiam toti omni nostra cura studio ac sollicitudine incumbamus per veteris in nobis nostri hominis mortificationem et mentis affectuumque nostrorum innovationem [1]. Horum ita monetur Ecclesia de nostri probatione ante Coenae usum quintodecimo die.

Postremo monentur in Ecclesia omnes (163), ut, si quisquam omnino simultatem ullam iurgiave aut dissidia ulla, ullamve omnino controversiam habeat, omnes modos ac vias reconciliandi se quaerat [2]. Esse enim mandatum ut cum omnibus pacem habeamus, quod in nobis est, quatenus id ullo modo fieri potest [3]. Et Coena Domini est communionis nostrae invicem omnium ac societatis coena [4], non dissidiorum aut simultatum, omnesque nos unum, non divisum dissidiis panem, unum item corpus compactorum, non autem dissidentium quoquomodo membrorum esse oportet, quicunque Coenae Dominicae participamus.

Et quoniam ita est corrupta nostra omnium natura [5], ut veram nostri probationem aut non intelligat fere, aut intellectam etiam frigide admodum ac negligenter curet: praeterea, ut sint, qui illam curent, saepe numero tamen hypocritae sese bonis ita admisceant, ut facile discerni non possint: postremo cum rudes quoque ac prorsus imperiti rerum Divinarum homines ad coelestia haec mysteria sine fide adeoque et sine fronte ulla adcurrant, — nos, ne nostra incuria id fieret, ut digni pariter atque indigni sine discrimine ullo ad Coenam (164) Domini sub nostro ministerio irrumperent, aliam quoque nobis curam in admittendis ad Coenae usum in nostris Ecclesiis omnibus adhibendam esse putavimus praeter eas, quas recensuimus, admonitiones.

Primum non alios ad Coenae usum admittimus, id quod antea quoque testati sumus, quam qui publice coram Ecclesia aut Ministris saltem ac Senioribus fidei suae confessionem ediderunt seque ultro ac sponte disciplinae Ecclesiasticae subiecerunt.

Deinde eorum ipsorum catalogum denuo semper Ministri Ecclesiae conficiunt, quoties Coena est administranda, advocatis per vices omnibus, atque confectus denuo catalogus ille cum prioribus confertur, ut Ecclesiae incrementa aut decrementa facile conspici possint, et illi praeterea etiam reprehendantur iuxta gradus admonitionum, qui, non reddita apud Ministros ac Seniores causa ulla suae absentiae, a Coenae usu sese temere subducunt.

---

[1]) Rom. 6. Ephe. 4. Colos. 3. Heb. 12. 1 Pet. 2. 1 Cor. 6. 2 Tim. 2. [2]) Matth. 5. [3]) Rom. 12. 2 Cor. 13. 1 Pet. 3. Heb. 12. [4]) 1 Cor. 10. [5]) Gen. 6.

Sed quia plerique etiam reperiuntur, qui, ad Coenae usum spe maioris circa religionem studii admissi, segniores nihilominus esse postea videntur in ediscendis prae-(165)cipuis verae religionis capitibus, eos sane reprehensa ipsorum segnitie ac indiligentia a Coenae usu suspendimus, donec specimen aliquod studii sui dent circa religionem et pietatem.

Et publice profitemur, nos non aliorum Germanorum Ministros esse in nostris Ecclesiis, nisi qui suae fidei confessionem aediderunt et sese ultro ac sponte Ecclesiasticae disciplinae subiecerunt. Horum sane omnium nos et seminis ipsorum Ministros esse agnoscimus. Caeterum qui se nostris ad eum modum Ecclesiis adiungere nolunt, eos testamur Deum olim iudicem suum habituros esse, qui suae alioqui Ecclesiae contemptum impunem esse suo tempore non sinet.

Porro quoniam et adolescentes tredecimum annum superegressos in nostris Ecclesiis a Coenae usu non arcemus, quos praesertim in religione pro aetate probe instructos esse constet, et fit etiam indies, ut plures sese nostris adiungant Ecclesiis, qui Coenae demum Dominicae nobiscum participare velint, — eorum sane utrorumque peculiarem examinationem observamus. Ac de adolescentium quidem talium exami-(166)natione, priusquam ad Coenam Domini admittantur, dictum est iam antea in Catechismi explicatione. Nunc igitur de eorum exploratione dicemus, qui in Ecclesiam primum omnium recipiuntur Coenaeque Dominicae participare debent.

Forma examinandi eos, qui recens in Ecclesiam recipi Coenaeque Domini primum omnium participare volunt.

Qui sese recens nostris adiungunt Ecclesiis atque ad Coenae Dominicae usum admitti postulant, iubentur post factam Coenae denunciationem intra quindecim dies illos, priusquam Coena administretur, venire ad Ministros et Seniores Ecclesiae in templo ipso sub finem pomeridianae alicuius concionis. Ubi postquam venerunt, Minister verbi aut Seniorum aliquis illos alloquitur in eam sententiam.

Non posse ullis verbis explicari magnitudinem beneficii Dei, quod semper coetum aliquem extare passim velit, in quo (167) publice sonet vox Dei in Euangelio Christi, per quam mirabili Dei providentia vocamur ad veram Dei et nostri cognitionem atque ad vitam aeternam in Christo Domino nobis gratuito delatam: modo ne tantum Dei beneficium contemnamus nostraque illud impietate a nobis propellamus. Esse autem hoc non postremum contemptus nostri argumentum, si institutam alicubi Ecclesiam Christi, in qua eam ipsam Dei vocem sonare audimus, negligamus nosque illi non protinus, ubi possumus,

cum alacritate animi et gratiarum sedula actione adiungamus. Fieri sane non posse, quia in Satanae Ecclesia simus, si eo loco versemur, ubi Christi Ecclesiam institutam esse constet, et nos illi interim adiungere recusemus. Fieri non posse item, ut Christum quis ex animo amet, qui coetum in nomine suo collectum negligit contemnit ac traducit.

Qui igitur Christiani et vocari vero et esse etiam volunt, horum sane officium esse, ut, dum eo loco versantur, ubi Ecclesiam Christi nomine collectam esse sciunt, illi sese protinus adiungant inque illa pro sua virili gloriam Dei et regnum filii sui promoveant iuxta doctrinam Euange-(168)lii ipsius.

Hicque versa ad eos oratione, qui sese Ecclesiae adiungere volunt, aget gratias Deo, qui illis eam mentem dederit, ut se cupiant adiungere Ecclesiae Christi, gratulabiturque illis eam mentem totius Ecclesiae nomine, et petet, ut sua ipsorum confessione ad Ecclesiae totius aedificationem singuli attestentur fidem suam, ut constet toti Ecclesiae, ipsos vere esse membra mystici corporis Christi et proinde illos ab Ecclesia pro fratribus deinceps agnosci oportere: id vero ut faciant per infrascriptas interrogationes et responsiones. Orditur ergo unus e Ministris aut Senioribus interrogationes, ad quas singuli, qui Ecclesiae adiungi cupiunt, respondent ad hunc modum:

---

1. Interrogatio. Undenam certo es persuasus in animo tuo, te revera esse membrum Ecclesiae Christi?

Responsio. Sentio Spiritus sancti testimonium in spiritu meo ipsius, quod sim filius Patris Dei, adoptatus ab illo gratuito propter filium ipsius, summum sacerdotem nostrum Christum Iesum, qui me sacrosancti corporis sui sacrificio et in-(169)nocentissimi sanguinis sui effusione ab omnibus peccatis meis repurgatum Patri suo coelesti reconciliavit. Sentio item, me per eundem ipsum Spiritum sanctum ad legis Divinae obedientiam excitari et commoveri [1].

2. Interro. Quaenam est lex illa, ad cuius obedientiam omnes tenemur, ad quam tu etiam te, ut dicis, excitari commoverique sentis?

Respon. Lex Dei proposita est nobis summatim in Decalogo, Exodi 20° capite, ad hunc modum: » Ego sum Dominus Deus tuus etc." *Hic recitantur verba Decalogi, ut supra, pagina 68.*

3. Interro. Quomodo dividitur hic decalogus?

Respon. Dividitur Decalogus in duas tabulas, quarum prior Deum, posterior proximum intuetur [2].

---

[1]) Ioan. 1. Rom. 8. Heb. 7. 1 Ioan. 1. Gal. 4.

[2]) Exod. 24, 31, 34. Deut. 9.

4. Interro. Quidnam docemur in prioris tabulae praeceptis?

Respon. Primum, quod, omissis omnibus creaturis omnino [1], in solum nos Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, credere, illi fidere, illum invocare oporteat [2]. Secundo, quod cum ipsum Deum non (170) sub ullis omnino imaginibus, neque item per excogitatum a nobis cultum ullum, sed in spiritu duntaxat et veritate colere atque adorare debemus [3]. Tertio, quod nos adorandum nomen et verbum illius summa cum observantia usurpare reverenterque in rebus omnibus nostris illud celebrare oporteat. Quarto, quod omnes illius institutiones Ecclesiasticas diligenter observare inque illis nos summa cura exercere debeamus iuxta ipsius ordinationem [4].

5. Interro. Quid vero docemur in posterioris tabula praeceptis?

Respon. Primo, quod nos parentibus nostris omnem honorem obedientiam et adiumentum praestare omnino oporteat, praeterquam si quo modo id cum Dei gloria pugnare constet [5]. Sub parentum vero nomine comprehenduntur Magistratus, domini in quorum familia versamur, praeceptores et qui ullo modo nostri curam parentum instar habent, aut quorum ope atque opera ullo modo sublevamur [6]. Deinde vero in reliquis praeceptis eius tabulae docemur, ut proximum nostrum quemlibet vere et ex animo diligamus [7], nullam omnino illius quoquo modo laedendi occasionem (171) scientes ac volentes praebeamus, sive in fama, sive in fortunis aut aliis quibuscunque tandem rebus ipsius, sed eum iuvare potius illique commodare modis omnibus pro nostra virili conemur.

6. Interro. Quid vero nobis praecipitur ultimo secundae tabulae praecepto?

Respon. Ne ullum omnino pravum affectum ullamve concupiscentiam, cum Dei gloria et proximi commodis ullo modo pugnantem, in corde nostro haerere patiamur [8].

7. Interro. Astringimurne omnes ad plenam legis huius obedientiam sub poena condemnationis?

Respon. Omnino. Siquidem maledictum esse ait scriptura, qui non permanet in his omnibus, quae in libro legis huius sunt scripta, ut faciat ea [9].

8. Interro. Potestne quisquam eam ipsam Dei legem, ut est tradita, omni ex parte per suam obedientiam praestare?

Respon. Nequaquam. Lex enim ipsa in sese spiritalis est [10], nos

[1]) Matth. 4. [2])Ioan. 4. Esa. 29. [3]) Matth. 15. Psal. 115.
[4]) Ezec. 20. Num. 15. Iere. 17. [5]) Levit. 19. Ephe. 6. Prov. 23.
[6]) Gal. 3. 1 Pet. 2. Rom. 13. [7]) Luc. 6. Rom. 12. [8]) Rom. 7.
[9]) Deut. 27. Gala. 3. [10]) Rom. 5, 7, 8.

vero omnes, quod in nobis est, carnales sumus, et proinde etiam lex ipsa in nostra carne infirma esse docetur. Est tamen in piis ac fide-(172)libus omnibus initium quoddam studiumque obedientiae erga legem Dei, sed perfectam obedientiam nemo sibi, praeterquam in Christo, arrogare potest, quae praesertim subsistat in iudicio Dei [1]).

9. Interro. Quo pacto ergo servari possumus?

Respon. Gratis, per Christum Iesum. Nempe cum in animis nostris, per Spiritum sanctum excitatis, certo atque indubitato statuimus, Deum Patrem nostrum coelestem nobis propter meritum mortis filii sui placatum prorsus propitiumque esse [2]).

10. Interro. Oportet igitur bonis nostris operibus omnibus fidem quoque adiunctam esse?

Respon. Imo vero ante omnia credere nos oportet [3]), ut bona opera omnia ex ipsa fide profluant, etenim sine fide impossibile est placere Deo, ut, quidquid aliunde quam ex ipso fidei fonte profluit, est peccatum omnino, etiamsi iuxta rationis nostrae iudicium speciosissimum esse videatur [4]).

11. Interro. Quid est fides?

Respon. Fides est motus nostri animi per Spiritum sanctum excitati, quo (173) proditis nobis in verbo Dei salutis nostrae ac vitae aeternae in Christo promissionibus assentimur illisque confidimus, illis nos consolamur et in illis toti conquiescimus omnino [5]).

12. Interro. Quidnam igitur nobis est credendum, ut servari possimus?

Respon. Id totum et id solum, quod nobis scriptura sancta de bona Dei Patris erga nos in Christo voluntate testatur. Id vero compendio nobis in certa quaedam capita collectum in eo Symbolo habemus, quod Apostolicum vocant.

13. Interro. Recita Symbolum illud?

Respon. Credo in Deum Patrem omnipotentem, etc. *Hic recitatur totum Symbolum. Pag. 72.*

14 .Interro. Quid credis in prima illa huius Symboli parte, quae de Deo Patre disserit?

Respon. Credo in Deum Patrem. Hoc est, omnem meam fiduciam in aeterno illo et vero Deo Patre meo colloco, certo in corde meo persuasus, illum mihi in omnibus animae et corporis mei periculis ac necessitatibus haudquaquam esse defuturum, cum sit simul et omnipotens et beneficentissi-(174a)mus pater erga nos omnes [6]).

15. Interro. Quid sub illis verbis credis: „Et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum?"

---

[1]) Psal. 143, 130. Philip. 3. [2]) Rom. 3, 5, 8. Gal. 3. 1. Ioan. 2, 5. [3]) Heb. 11.
[4]) Rom. 10. [5]) Hebr. 11. [6]) Gen. 17.

Respon. Hoc est, colloco etiam simul omnem meam fiduciam in filio Dei Iesu Christo, perinde atque in Patre ipso, cum sit proprius atque unigenitus filius ipsius, verus nimirum Deus, laudandus in saecula. Amen [1].

16. Interro. Quid credis sub illis verbis: „Qui conceptus est e Spiritu sancto, natus ex Maria virgine?"

Respon. Credo, Filium Dei non tantum esse Deum, sed esse simul etiam verum hominem, assumpta videlicet carne nostra et nostro sanguine ex matre virgine autore Spiritu sancto, sic ut iam habeamus verum atque unicum Dei et nostri mediatorem Iesum Christum, verum Deum ex Patre Deo et verum item hominem ex homine [2]) nempe matre virgine conceptum et natum Spiritus sancti opificio, ut mori posset, et peccata nostra omnia morte sua innocentissima expiaret.

17. Interro. Quid credis sub illis verbis: „Qui passus est sub Pontio Pilato, crucifixus mortuus et sepultus, descendit-(175ª)que in infernum"?

Respon. Credo quod idem ipse filius Dei Christus Iesus mortem ignominiosissimam in sanctissimo suo corpore pro peccatis nostris pertulerit [3]). In anima autem sua simul etiam senserit saeveritatem iudicii divini ad extremam usque anxietatem et poenas inferni, ut nos ab illis liberaret.

18. Interro. Quid est, quod dicis: „Tertia die resurrexit a mortuis?"

Respon. Credo quod sacrosanctum ipsius corpus nullam prorsus in sepulchro senserit corruptionem, quodque anima ipsius neque in anxietate illa extrema ac infernali sit derelicta, neque amplius etiam quam intra triduum a corpore per mortem divulsa fuerit [4]): sed die tertio rursum ipse corpore simul et anima ex mortuis vere surrexerit, gloriosus iam victor in carne nostra peccati, mortis et inferni, expiata iam per mortem suam omni nostra, sub quam conclusi omnes fueramus, condemnatione.

19. Interro. Quid sub hisce verbis credis: „Ascendit in coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, unde demum (174ᵇ) est venturus, iudicare vivos et mortuos?"

Respon. Credo quod Iesus Christus non amplius sit in terris iuxta humanitatis suae naturam [5]), — nam alioqui verus ille Pontifex non esset, siquidem adhuc in terris esset, quemadmodum Paulus do-

[1]) Ioan. 5, 15. Rom. 8. Ioan. 13. Rom. 9. Ioan. 20. 1 Ioan. 3.

[2]) Ioan. 1. Hebr. 2. Matth. 1. Luc. 1. Heb. 4. Phil. 1, 2. Heb. 1, 2. Rom. 1, 9. Gal. 4.

[3]) Gal. 1, 2. 1 Pet. 2. Matth. 27. Phil. 2. Luc. 22.

[4]) Act. 2, 13. Psal. 15. 1 Cor. 15. Ioan. 11. Gal. 3. Rom. 4.

[5]) Act. 1, Heb. 3. 7, 8.

cet, — sed quod iam sit in supercoelestibus ad dextram Patris sui in aeterna gloria collocatus. Unde etiam nunc Divina sua potentia suam Ecclesiam ad saeculi usque consummationem regit ac defendit. Et tum demum in gloria ac Maiestate sua veniet ad iudicandum vivos et mortuos [1].

20. Interro. Quid est, quod dicis: „Credo in Spiritum sanctum?"

Respon. Quemadmodum Deo Patri et unigenito eius filio Christo Iesu confido, ita meam omnem fiduciam simul etiam colloco in Deo Spiritu sancto, tertia in Divinis persona, sine cuius afflatu Divino nemo purus sanctusque esse ac ne ullam quidem veram se salutarem Dei cognitionem habere ullamve item inde consolationem concipere omnino potest [2].

21. Interro. Credis igitur et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse unum vi-(175ᵇ)vum atque aeternum Deum?

Respon. Credo omnino, ita tamen, ut in una atque eadem Divinitatis henado distinctum prorsus trium personarum discrimen etiam agnoscam, iuxta quod videlicet in nomen et Patris et Filii et Spiritus sancti baptizamur [3].

22. Interro. Quomodo vero in una eademque Divinitatis existentia trinitas personarum agnosci potest?

Respon. Cum scriptura expressis verbis testetur, unum duntaxat esse Deum, qui hanc gloriam nulli extra se alteri dare velit [4], et hanc ipsam unius Dei gloriam eadem scriptura etiam tribuat Deo et Patri et Filio et Spiritui sancto, ego, reducto in captivitatem omni rationis meae iudicio, iuxta scripturas certo et indubitato credo, quod sit revera unus duntaxat iuxta suam divinam existentiam, et trinus nihilominus iuxta personarum distinctionem Deus, nempe et Pater et Filius et Spiritus sanctus [5].

23. Interro. Quid credis sub illis verbis: „Sanctam Ecclesiam catholicam?"

Respon. Credo, Filium Dei Christum Dominum habuisse ab ipso mundi initio (176) habereque etiamnum et usque ad saeculi consummationem semper habiturum esse unum quendam coetum fidelium, in suo nomine ubique terrarum collectum, cuius me quoque membrum esse agnosco [6].

24. Interro. Quidnam interest inter hunc talem coetum et alios omnes hominum in terris coetus?

Respon. Quod hic talis coetus prae aliis omnibus solus habeat promissam sibi verbo Dei, quod mentiri non potest, Sanctorum com-

[1]) Matth. 28, 25. [2]) 1 Cor. 2, 12. Ioan. 14, 16. [3]) Matth. 3, 28. Marc. 16.
[4]) Deut. 6. Marc. 12. Esa. 18. [5]) Matth. 3. [6]) Matth. 16, 28. Ioan. 10.

munionem, remissionem peccatorum, carnis gloriosam resurrectionem, et vitam aeternam.

25. Interro. Quid inde consolationis haberi potest?

Respon. Primum quod omnes in hoc tali coetu constituti certi sunt ex verbi divini promissionibus [1]), omnia Christi Domini beneficia ad se perinde atque ad alios sanctos omnes in coelo et in terra pertinere. Deinde quod certa fiducia semper obtinent indubitatam omnium peccatorum suorum remissionem in omni sua per nomen Christi instituta invocatione [2]). Postremo quod, etsi se in mundo hoc contemptos atque invisos modis omnibus esse videant, certi sunt (177) tamen, se gloriose olim in suis corporibus resurrecturos esse [3]), et quidem non ad ullam deinceps condemnationem, quemadmodum impii et Christo adversarii homines, sed ad vitam et gloriam aeternam [4]).

26. Interro. Suntne ullae externae huius talis coetus Ecclesiastici notae, per quas haec Christi Ecclesia agnosci atque ab aliis hominum coetibus discerni possit?

Respon. Tribus praecipuis notis insignitam vult esse Christus Dominus suam Ecclesiam, ut ab aliis hominum coetibus discernatur: nempe ministerio verbi, ministerio Sacramentorum et usu Ecclesiasticae disciplinae, quae quidem ab invicem inter sese ita propendent, ut aliud sine alio plene observari non possit.

27. Interro. Quibus in rebus potissimum consistit verbi ministerium?

Respon. In legis divinae et Euangelii pura et fideli praedicatione.

28. Interro. Quid est lex?

Respon. Est aeterna divinae voluntatis, Decalogo nobis patefacta, constitutio, quae nobis ostendit, quid nos vel facere vel vitare oporteat, simulque etiam condemnat omnes, qui illam ad plenum praestare (178) non possunt [5]).

29. Interro. Quid est Euangelium?

Respon. Est laetum nuncium de certa peccatorum remissione per meritum summi nostri Pontificis Christi Iesu, quatenus per carnis nostrae adnatam nobis infirmitatem legi Dei satisfacere non valemus [6]).

30. Interro. Quid sunt Sacramenta Ecclesiae Christi?

Respon. Sunt institutae a Christo Domino certae actiones sacrae (veluti verbi appendices quaedam) certis ceremoniis praescriptae, quae sub signorum visibilium involucro nobis ob oculos quodammodo ponunt, nos per meritum duntaxat mortis Christi habere veram et plenam omnium peccatorum nostrorum remissionem.

---

[1]) Gal. 3. Col. 3. [2]) Ioan. 1, 2. Heb. 7. [3]) 2 Cor. 4. Ioan. 5, 6. 1 Cor. 15.
[4]) Phil. 3. Dan. 9. Matth. 25. Act. 24. [5]) Deut. 27. Lev. 26. Gal. 3.
[6]) Luc. 2. Rom. 3. Eph. 2. Col. 2. Heb. 7, 10.

31. Interro. Quae sunt eiusmodi Sacramenta?

Respon. Duo, Baptismus et Coena Domini.

32. Interro. Quid est Baptismus?

Respon. Baptismus est sacra Dei institutio, iuxta quam omnia Ecclesiae membra sive in infantia sive in adulta aetate aqua baptizari debent in nomen Dei Patris et Filii et Spiritus sancti [1]. (179)

33. Interro. Quam consolationem adfert Baptismi usus in Ecclesia Christi?

Respon. Primum obsignatur Ecclesia tota in fide certissima emundationis suae per sanguinem Christi: nempe omnia sua membra tam certo munda atque abluta esse sanguine Christi, quam certo aqua illa baptizari videt. Deinde baptizatus quisque, posteaquam suum et Christi Baptismum unum eundemque esse intelligit, credit verba illa, ad Christum a Patre Deo post eius Baptismum dicta, ad se etiam in Christo ipso pertinere [2]. Nempe quod sit dilectus Dei Patris filius, qui nihil unquam possit ab illo per nomen Christi petere, quod non certo sit impetraturus, potissimum autem peccatorum remissionem et vitam aeternam [3].

34. Interro. Quid praeterea utilitatis adfert Baptismi usus in Ecclesia Christi?

Respon. Admonet nos, quoties illum intuemur, nostri officii nostraeque gratitudinis erga Deum. Ne videlicet emundationem nostri illam, per sanguinem Christi factam, flagitiis deinceps nostris contaminemus, sed per assiduam carnis nostrae et eius concupiscentiae mortificatio-(180)nem in vitae novitate pro summa virili nostra ambulare studeamus [4].

35. Interro. Quid est Coena Domini?

Respon. Coena Domini est Christi Domini institutio, in qua per panis et poculi Coenae participationem salutaris ipsius mors visibiliter suo modo annunciatur [5].

36. Interro. Quomodo?

Respon. Panis fractio testatur, corpus Christi Domini pro nobis fractum ac in mortem traditum esse, et poculum testatur, sanguinem Christi in morte ipsius pro nobis effusum esse in remissionem peccatorum nostrorum.

37. Interro. Quid consolationis adfert Coenae usus in Ecclesia Christi?

Respon. Quod propter traditum in mortem sacrosanctum corpus Christi et fusum ipsius innocentissimum sanguinem [6], certissimam ha-

[1]) Ioan. 3, 4. Matth. 23. Marc. 16. Eph. 5. [2]) Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.
[3]) 1 Ioan. 2. Heb. 7. [4]) Rom. 6. [5]) Matth. 28. Marc. 14. Luc. 22. 1 Cor. 11.
[6]) Heb. 7. Ioan. 9.

beamus peccatorum omnium remissionem, et quod Coenae Dominicae testimonio pascamur ad vitam aeternam, donata nobis gratuito eius ipsius corporis et sanguinis Christi communione, dum de pane et poculo Coenae participamus, quemadmodum quotidiano cibo et (181) potu corpora hic nostra iuxta cursum naturae sustentantur.

38. Interro. Quid adfert praeterea utilitatis Coenae Dominicae usus in Ecclesia Christi?

Respon. Admonet nos nostri officii nostraeque gratitudinis erga Deum, ne quomodo dignitatem corporis et sanguinis Christi, cui participamus, in nobis profanemus, sed nostram pro tanto beneficio gratitudinem vitae nostrae innovatione et charitatis erga omnes officiis contestari et declarare conemur, ad quam sane utranque rem plurimum conducit disciplinae Ecclesiasticae usus.

39. Interro. Quid est Ecclesiastica disciplina?

Respon. Est Christi Domini institutio [1]), iuxta quam unusquisque in Ecclesia alius alium ex verbo Dei in fraterna charitate admonere aliusque ab alio admonitionem accipere debet [2]), et qui neutrum horum animo pertinaci velit facere, ut in Ecclesia, observatis admonitionum gradibus, ne feratur.

40. Interro. An vero gladii ministerium in parte disciplinae Ecclesiasticae positum (182) sit in Ecclesia Christi?

Respon. Etiam omnino, sed in ea disciplinae parte positum est gladii ministerium, quae non ad verbi Ministros pertinet, sed ad Magistratum, qui et ipse Dei minister est in Ecclesia et non frustra gladium gestat [3]).

41. Interro. Est igitur Magistratus minister gladii in Ecclesia Christi, perinde atque Doctores ac Pastores sunt verbi Divini Ministri, ut quemadmodum isti flagitia omnia verbi Divini autoritate ex Ecclesia profligare debent iuxta disciplinae Apostolicae usum, ita Magistratus quoque per gladii ministerium illa puniat et publicam tranquillitatem cum omni pietate coniunctam tueatur [4])?

Respon. Ita prorsus. Docemur enim Magistratui gladium a Domino tradi ad laudem bonorum et ad metum ac vindictam facinorosorum [5]).

42. Interro. Num vero omnes illi sunt revera filii Dei, qui sese ad hunc modum externae Christi Ecclesiae adiunxerunt?

Respon. Haudquaquam. Sunt enim plurimi hypocritae et semper fuerunt (183) in Ecclesia [6]), sed illi demum sunt vere filii Dei et viva Ecclesiae membra, qui fide non ficta aut simulata in Ecclesia ver-

[1]) Matth. 18. [2]) 1 Cor. 5. [3]) Rom. 13. [4]) 1 Tim. 2.
[5]) Rom. 13. 1 Pet. 2. [6]) Matth. 13.

santur, Deumque assidue precantur pro perpetuis incrementis fidei et pietatis.

43. Interro. Quomodo precari debemus in nostris necessisatibus?

Respon. Ad eum potissimum modum, quem Christus Dominus Apostolis suis et proinde nobis quoque omnibus praescripsit Matth. 6, nempe: Pater noster etc. *Hic recitatur precatio Dominica.*

44. Interro. Quidnam petimus a Deo hac tali precatione?

Respon. Primum, ut quae ad promovendam Dei regnique sui gloriam potissimum videntur pertinere, ea omnia assidua sua incrementa sumant, ac rursum extirpentur atque aboleantur, quae illam remorantur aut impediunt quoquo modo Divinaeque eius voluntati adversantur. Deinde auxilium ac subsidium postulamus in omni animae et corporis nostri necessitate, cui perpetuo subiacemus. Postremo adversus dolos ac tyrannidem Satanae malaque omnia nobis impendentia opera supplices imploramus. (184)

45. Interro. Quid sibi vult vox illa ad finem precationis addita: Amen?

Respon. Perinde est ac si dicamus: Ita fiat. Docet autem Deum solum esse, qui haec quae petimus omnia nobis largiri et possit, ut omnipotens Dominus, et velit, ut Pater clementissimus. Et simul testatur, nos tam certa fiducia autore Spiritu sancto persuasos esse, quod in nostra tali precatione a Patre Deo propter unigenitum suum filium proculdubio exaudiamur [1]).

Haec ita ab omnibus exiguntur, qui se nostris Ecclesiis adiungere Sacramentisque nostris participare nobiscum volunt, etsi qui non satis commode ad ea respondere possunt, non reiiciuntur quidem a coetu nostro, sed tempus illis praescribitur, intra quod haec melius ediscant, ac tum demum denuo explorantur, donec ad praedicta utcunque respondere possint.

Si qui vero sic satis apte ad praedicta respondeant, rogantur, num aliqua adhuc in parte doctrinae nostrae haereant, et, si quae proferant, explicantur approbanturque eis omnia, in quibus sibi haerere videntur. Si vero nihil proferant, tum Minister totius Ecclesiae nomine ab illis quaerit: pri-(185)mum, num statuerint in corde suo adhaerere ex animo doctrinae Euangelii Christi pro summa virili sua, quatenus id per suam infirmitatem praestare possint, vitamque deinceps suam etiam iuxta eandem ipsam doctrinam instituere, neglecto mundo hoc cum omnibus illecebris ac pompis ipsius. Deinde, velintne ultro ac sponte sua Ecclesiasticae sese disciplinae iuxta

[1]) Ioan. 16.

verbum Dei subiicere. Postremo, velintne omnia dissidia, si quae ullo modo cum aliis habeant, ex animo remittere omnesque occasiones Christianas quaerere, ut omnino componantur, si id ullo modo fieri possit.

Respondent singuli: „Etiam."

Tum demum vero nomina illorum libro ad id peculiariter ordinato inscribuntur, adnotato simul loco habitationis ipsorum, ut facile, si quando sit opus, inveniri ac in vita praeterea ac conversatione ipsorum a tota Ecclesia observari possint, atque ita recipiantur in societatem Ecclesiasticam et ad Coenae usum tandem etiam admittantur.

Catalogus vero omnium nostrorum in nostris Ecclesiis per paroecias urbis distinctus est, ut Pastores paroeciarum An-(186)glicarum de numero nostrorum, qui in ipsorum paroeciis habitant, admoneri possint. Sunt enim hic plurimi Peregrini, neque confluere etiamnum cessant, qui aut Papisticae adhuc superstitioni addicti, aut variis alioqui sectis infecti, aut etiam Epicuraei prorsus homines, et Dei et omnis religionis contemptores nullis sese Ecclesiis adiungunt, atque sub fuco nostrarum Ecclesiarum Ministros Ecclesiarum Anglicarum fallunt, et sectas interim suas passim alunt. Ut igitur talium impostorum dolis occurreremus, et ne Ministri Anglicarum Ecclesiarum praetextu nostrarum Ecclesiarum ullo modo fallerentur, catalogum nostrorum omnium, qui in nostris sunt Ecclesiis, per paroecias urbis digestum habemus, ut singulos paroecos, de nostris omnibus in ipsorum paroeciis habitantibus, quotiescunque id postulant, certiores facere possimus, illique in omnes Peregrinos, qui in nostro Catalogo non habentur, inquirere pro debito officioque suo possint.

Atque haec nostra est ratio admittendi Peregrinos omnes in nostras Ecclesias, qui se istis adiungere volunt, quorum etiam ita iam admissorum curam sedulam habe-(187)mus. Aliorum vero peregrinorum omnium cura pertinet, non ad nos, sed paroeciarum urbis Ministros et Pastores. Nos enim nostrorum, ut dictum est, duntaxat curam habemus.

Quodsi post factam illam primam Coenae Dominicae denunciationem nemo sese recens, aut Ecclesiis nostris adiungere, aut ex adolescentibus Ecclesiae ad Coenam admitti postulet, tum nihilominus intra quindecim dies illos praedictos admonitio semper ad eos, qui sunt in Ecclesia, habetur post pomeridianam quamlibet concionem de nostri ipsorum exploratione, ad hunc modum.

Consident una Ministri et Seniores omnes in totius Ecclesiae conspectu, et, quemadmodum in superioribus recensuimus, Ecclesiam nostram, propterea quod per totam urbem dispersa sit, in tres partes

distinctam esse, ita pars quaeque Ecclesiae per suas vices admonitioni huic adesse iubetur, ut. qui in ea Ecclesiae parte censentur, quae adesse iubetur, et admonitionem ipsam audiant et nomina demum sua omnes in novum catalogum conscribi sinant. (188)

Admonitionem porro facit Minister aut Seniorum aliquis in hanc sententiam.

Primum monetur Ecclesia, ut quisque sit diligens circa sui ipsius probationem, quemadmodum nostri probatio in prima admonitione circa Coenae denunciationem explicata habetur, atque, collocata in Christum omni fiducia, peccata quisque sua agnoscat ac deploret, et in animo suo proponat seriam vitae suae emendationem.

Deinde monentur omnes ad reconciliationem cum proximis suis sive eos ipsi laeserunt, sive etiam ab ipsis sint laesi. Ut videlicet ét veniam ab iis quos laeserunt petant, positis privatis affectibus omnibus, ét illis etiam condonent culpam ipsorum, a quibus sibi laesi esse videntur.

Postremo monentur omnes de observando diligenter inter sese usu Ecclesiasticae disciplinae. Nempe ut si quis fratrem suum non recto pede incedere videat, sive in verbo, sive in vitae conversatione, illum ex verbo Dei admoneat, et, si admonitiones suas contemni videat, gradus admonitionum a Christo praescriptos observet. Quibus si se nihil adhuc proficere posse videt, ut istiusmodi contemptores admo-(189)nitionum ad Ministros et Seniores Ecclesiae adferat. Hoc enim esse officium omnium in Ecclesia, si ad Coenam Domini indigne accedere nolint. Et, qui hac in parte negligentiores fuerint, ut culpam hic suam agnoscant, deincepsque ita negligentes esse non pergant.

Facta istiusmodi admonitione, iubentur qui adsunt ordine suo omnes ad Ministros et Seniores Ecclesiae, alii post alios, accedere, ut nomina omnium, qui Coenae Dominicae participare volunt, denuo adnotentur. Ibi vero Seniores singulos observant, et quos aut admonitione aliqua, aut consolatione, aut etiam reprehensione opus habere norunt, eos modeste ac graviter admonent, consolantur, aut reprehendunt, neque prius nomen cuiusque adnotatur, quam per Seniores omnes approbetur. Quodsi quis privata eaque longiore admonitione opus habere videatur, aut alicubi alioqui in doctrina ita haereat, ut paucis instrui non possit, tum huic tali tempus constituitur, ut aliquem Ministrorum aut Seniorum ante Coenae administrationem conveniat, aut simul ad omnes Ministros et Seniores in coetibus ipsorum vocatur, siquidem id (190) res postulare videtur.

Seniores autem Ecclesiae sedulі sunt toto interea tempore in inquirendis et componendis in tota Ecclesia dissidiis et in corripiendis

item atque ad resipiscentiam revocandis contemptoribus omnibus privatarum admonitionum, si qui sint ad illos hoc nomine delati, priusquam ad excommunicationem perveniatur.

Estque haec talis cura Ecclesiae valde utilis et plane necessaria, id quod nos indies magis ac magis experimur. Continet enim in officio et Ministros Ecclesiae omnes et totam vicissim Ecclesiam, facitque ut magna familiaritas inter Ministros et Ecclesiam totam ineatur et omnia Ecclesiae incrementa aut decrementa semper ob oculos Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae ponit.

Quid pridie Coenae fiat.

Pridie Coenae convocatur Ecclesia ad horam pomeridianam secundam illicque concio publica rursus de Coena Domini habetur. Priusquam autem concio incipiat, con-(191)veniunt una Ministri et Seniores omnes, atque inter se inquirunt, num quis sit in Ecclesia, qui iustam aliquam ob causam a Coena Domini publice arceri debeat, sive suppresso adhuc, sive etiam addito illius nomine, pro eo ac observati antea admonitionum gradus postulare videntur. Fit enim ut a Coena arceantur, quorum flagitia Ministris duntaxat ac Senioribus Ecclesiae cognita sint, sic ut flagitia quidem illorum Ecclesiae indicari nonnumquam oporteat, suppresso tamen adhuc eorum nomine, si quomodo forte, flagitio quidem indicato, nomine autem autoris suppresso, ad resipiscentiam is reduci possit, prinsquam nomen eius traducatur.

Quodsi qui tales sint, qui a Coena Domini, ut est dictum, arceri debeant, indicantur Ministro illi, qui est concionem habiturus, ut huius admoneatur Ecclesia, sive flagitia sola sine autorum nomine, sive etiam addito nomine debeant indicari.

In ipsa vero pridiana ante Coenae usum concione summatim ea repetuntur, quae quartodecimo antea die dicta fuerant circa primam Coenae administrandae denunciationem, de nostri videlicet vera ac sa-(192)lutari exploratione. Et ostenditur, illa omnia nobis ipsa etiam Coenae actione συμβολικῶς designari, ad hunc modum.

Argumentum pridianae ante Coenae Dominicae usum publicaeque admonitionis.

Primum monetur tota Ecclesia, ut se quisque diligenter ac serio exploret, num in corde suo vere et sine ulla hypocrisi statuat Deum, Dominum nostrum esse, qui legis suae plenam atque absolutam obedientiam omnino requirat, et esse pariter iustissimum etiam iudicem,

qui omnem nostram puniat inobedientiam iuxta aeternum atque immutabile decretum suae sanctissimae voluntatis. Nempe ut eam nostram inobedientiam, quae a contumaci prorsusque rebelli ac destinato omnino contemptu Dei provenit aeterna nostri condemnatione plectat. Quae vero ab adnata nobis infirmitate proficiscitur, sub quam alioqui omnes primi parentis nostri peccato conclusi sumus, eam sane in Christum Dominum translatam, innocentissimo e (193)ius sanguine etiam expiatam modis omnibus esse velit. Et proinde esse servatorem nostrum beneficentissimum, ut, etsi nos omnes ad gloriam Divini sui nominis sub peccatum concluserit, nolit tamen interea mortem peccatoris, sed potius ut resipiscat et vivat, quemadmodum per Prophetam testatur [1]).

Deinde monetur Ecclesia, ut nos ipsos exploremus, posteaquam eiusmodi iam testimonium de Deo Optimo Maximo intra nos ipsi vere sentimus, num in corde nostro etiam vere et ex animo profiteamur, nos plane peccatores et aliud nihil omnino quam peccatores esse: an vero ulla adhuc meritorum nostrorum nostraeque qualiscunque dignitatis opinione in nostro animo intra nos quoquomodo titillemur.

Postremo monetur Ecclesia, ut nos ipsos exploremus, posteaquam nos aliud nihil quam peccatores esse agnovimus, atque hoc nomine nos ipsos morte aeterna dignos esse iudicavimus. Num interim certam aliquam fiduciam nihilominus, non equidem in nobis ullave parte nostri, sed in Dei illa plena consolationis promissione, intra nos ipsi in corde nostro sentiamus. (194) Quod ipse videlicet vere nolit mortem peccatoris pro sua ineffabili misericordia, sed potius ut resipiscat et vivat. Eam porro suam promissionem eum non alibi praestiterit Deus, quam in unigenito suo filio Christo Iesu, non alibi nos etiam fiduciam nostram de hac Dei promissione explorare intra nos possumus, aut facilius, aut etiam certius, quam in accurata ac diligenti beneficiorum a Christo Domino in nos collatorum reputatione. In Christo namque Domino solo omnes salutis nostrae promissiones suum Amen suumque Etiam obtinuerunt atque in aeternum obtinebunt [2]). Et hic est unicus ille animarum nostrarum cibus, in quo nobis Pater Deus omnes suas promissiones omnemque adeo nostram salutem ab aeterno obsignavit, translata in ipsum videlicet tota peccati nostri, sanguine suo innocentissimo expiati, condemnatione. Ad hanc talem igitur fiduciae nostrae in Divina illa promissione explorationem excitatur Ecclesia per accuratam seriamque ac diligentem beneficiorum Christi reputationem.

[1]) Ezech. 18. [2]) 2 Cor. 1.

Docetur praeterea Ecclesia, haec nobis omnia designari ipsa Coenae actione, si il-(195)lius mysteria paulo diligentius observemus.

Primum enim quatenus panis in Coena fractio poculique propinatio symbolo nobis suo adumbrat corporis Christi passionem, quod pro nobis fractum est, et sanguinis sui in morte sua effusionem, haetenus sane panis illa fractio et poculi propinatio adumbrant nobis testanturque et designant suoque quodam modo visibiliter annunciant Deum Dominum pariter ac Iudicem nostrum omnium esse, qui nostram omnino requirat obedientiam et inobedientiem contra puniat iuxta decretum aeternum suae sanctissimae voluntatis. Quorsum enim morti ita atroci filium suum destinasset Deus, si non iudex esset, qui nostram in filio suo inobedientiam puniret? Aut quorsum nostram in Christo puniret inobedientiam, si non suam in nobis obedientiam, ut Dominus noster, requireret? Perspicuum esse igitur, necessariam esse nostri explorationem circa Coenae usum, num Deum Dominum pariter ac iudicem esse credamus, nisi indigne Coenam ipsam adire velimus.

Deinde, quatenus eadem ipsa panis fractio in Coena et poculi propinatio symbo-(196)la sunt fracti pro nobis corporis et fusi sanguinis Christi, Christusque Dominus (quantus erat) corpore simul et anima omni ex parte pro nobis passus est, hactenus sane et nos toto nostro corpore et tota nostra anima cum omnibus illius potentiis dotibus atque ornamentis morti aeternae, quod in nobis est, subiecti sumus et proinde aliud nihil quam peccatores. Peccati enim stipendium est mors ipsa, cui equidem ea parte subiecti non essemus, qua non essemus aliquo etiam minimo modo peccatores. Christum porro totum iuxta carnem corpore videlicet et anima mortuum esse docemur Coenae testimonio: docemur ergo simul etiam Coenae ipsius testimonio, nos omnes aliud nihil esse, quod in nobis est, quam deploratos prorsus peccatores, et proinde nostri quoque hac in parte explorationem necessariam esse, ut digne Coenae Dominicae participemus.

Postremo, quatenus panis ille in Coena Dominica fractus, poculum item propinatum nobis Christi nomine exhibetur atque per nos accipitur editur ac bibitur, illaque panis et poculi exhibitio acceptio et participatio symbola sunt nostrae societatis (197) cum Christo Domino in corpore ipsius, pro nobis in mortem tradito, et sanguine ipsius, pro nobis in morte sua effuso, per donatam nobis ab illo gratuito omnis meriti omnisque gloriae suae communionem, — hactenus sane panis illa iam fracti poculique propinati exhibitio perceptio et participatio, nobis adumbrant attestantur designant ac visibiliter suo symbolo annunciant verissimam esse divinam illam promissionem:

„Nolo mortem peccatoris, sed potius ut resipiscat et vivat," ipseque adeo Spiritus sanctus, perpetuus alioqui glorificator ac testis Christi in omni sua institutione, sub hac tali panis ac poculi participatione obsignat nostros animos divino afflatu suo in fide eius ipsius promissionis, ut quod pro nostra infirmitate credimus, id firmiter etiam impressum cordibus nostris teneamus. Unde demum facile est videre, quam sit necessaria nostri ipsorum exploratio in fide divinae illius promissionis: Nolo mortem peccatoris, circa Coenae Dominicae usum, idque per diligentem beneficiorum Christi reputationem, quae quidem Spiritum sanctum autorem suum habeat. Circa nostri igitur in fide ve-(198)ra explorationem autorem imprimis nostrae fidei intueri oportet, nempe, num animum nostrum ad fidendum divinae promissioni autore sancto illo adorandoque Spititu, teste perpetuo et glorificatore Christi, an vero impostore illo Spiritu, qui se in lucis Spiritum transfigurare conatur, aut etiam carnis nostrae affectu, per rationis nostrae indicium recitato, commoveri sentiamus. Porro Spiritus sanctus ita nos vult affectos esse proculdubio, ut ipsemet perpetuo affectus est, nempe ut extra Christum arguamus atque accusemus mundum universum et quidquid in illo est, ac proinde nos ipsos etiam, — Christi vero solius testes ac glorificatores simus, dum doctrinam ipsius et oris nostri confessione et verae pietatis studio et vitae totius innovatione profitemur. Quare, si nos intra nos ipsos in vera promissionum divinarum fide explorare volumus, si item certo esse volumus, num Spiritu sancto autore ad reputationem beneficiorum Christi excitemur, hunc talem affectum in corde nostro perquirere debemus. Nempe ut vere et ex animo nobis mundus hic totus et, quidquid in illo est, ita displiceat, et (199) proinde nos quoque ipsi nobis ita displiceamus extra Christum, ut et mundum totum et nos ipsos aliud nihil quam accusemus atque arguamus, — Christum vero solum et vita et doctrina nostra perpetuo glorificare pro summa virili nostra studeamus. Sic enim explorata atque reperta etiam in corde nostro fide nostra ét Coenae Dominicae digne participabimus ét fructum olim proculdubio nostrae cum Christo communionis, in cuius fide Coenae usu obsignamur, in coelesti gloria sentiemus.

Absoluta ad hunc modum concione et recitatis consuetis precibus, priusquam Psalmus extremus canatur, Ecclesiastes, pro eo ac ex reliquis Ministris et Senioribus Ecclesiae intellexit, denunciat, quinam sint a Coenae usu arcendi, si quos arcendos esse constet, sive flagitiis tantum indicatis, sive nominibus etiam autorum additis, quemadmodum antea paulo expositum habetur.

Addit praeterea hanc talem denunciationem non alio consilio fieri, quam ut facinorosi illi homines publica istiusmodi reprehensione et

pudefactione ad resipiscentiam revocentur, aut, nisi resipiscant, tandem (200) cum publico Ecclesiae luctu excommunicentur.

Si vero nemo sit, qui a Coenae usu Seniorum iudicio arceri debeat, Ecclesiastes, priusquam Psalmus extremus decantetur, aget hoc nomine gratias Deo et precabitur, ut id ita perpetuum in Ecclesia esse possit. Admonet tamen de hypocrisi totam Ecclesiam, ut sibi quisque ab illa caveat. Nihil enim prodesse hypocritis, quod ad Coenae usum indicio Ministrorum Ecclesiae admittantur. Illi namque non norunt, quid in homine lateat, sed iuxta id duntaxat, quod audiunt et vident, indicant. At vero Deum non effugient hypocritae, qui omnia, quae sunt in homine, penitus novit et hypocritas a regno suo exclusurum se esse testatur. Oportere quidem tritico semper hic in vita hac admixtas esse paleas, sed ad extremum paleas reiici omnes, solum autem triticum in horreum reponi.

Atque ita finitis istiusmodi admonitionibus canitur Psalmus aliquis Ecclesiaque demum demittitur in pace cum benedictione et pauperum commendatione, quemadmodum in superioribus est dictum. (201)

Quae ipso Coenae Dominicae die fiant.

Eo ipso die, quo Coena Domini administrari debet, priusquam conveniat Ecclesia, mensa, quae est in totius Ecclesiae prospectu, panno lineo mundo insternitur tota, in cuius meditullio quatuor vitra circum tres lances stanneas circumponuntur. In una vero trium illarum lancium cibarius panis albus in usum Coenae reponitur ac mundo linteo contegitur. Duae vero lances minores ab utroque maioris lancis, in qua panis repositus est, latere ponuntur vacuae, ut in illas postea in ipso Coenae usu panis fractus per Ministrum reponatur et ad mensae demum finem utrinque in cibum his, qui accumbunt, protrudatur. Mensa porro ad hunc modum instructa, convenit Ecclesia circa horam octavam matutinam, Ministrique ac Seniores et Diaconi omnes iuxta suos ordines consident eo loco, ubi mensa instructa habetur, ut a tota Ecclesia conspici possint. Tum demum vero suggestum conscendit unus ex Ministris et publicam orditur concionem, in qua expo-(202)nit, quidnam potissimum nobis sit considerandum in sacra Coenae Dominicae actione, posteaquam nos iam, ut antea dictum est, exploravimus, tam in Dei nostrique pariter cognitione, quam etiam in fidei nostrae intra nos ipsos investigatione, ad hunc modum.

Argumentum concionis, quae ipso die Coenae habetur, ante eius administrationem.

Monetur Ecclesia, Coenam Domini non esse nudam otiosamve aut theatricam ullam actionem, sed esse divinam in Christi Ecclesia institutionem, salutarem omnibus, qui mentem ac voluntatem Christi Domini in illa iuxta doctrinam ipsius observare volunt. Mentem vero ac voluntatem Christi potissimum observari, si veram rationem ét signi in Coena, quod in sensus nostros incurrit, ét mysterii, quod adumbratur signo visibili, ét finem item, propter quem Coena haec sit potissimum instituta, in ipsiusmet Christi Domini verbis intueamur. (203) Signum porro esse in Coena Dominica, non equidem panem aut vinum ipsum, sed totam illam externam, suis interim partibus constantem, Coenae formam ceremoniam atque actionem, nempe institutam a Christo Domino panis et poculi certa ceremonia participationem. Mysterium vero Coenae Dominicae esse id, quod nobis per institutam panis ac poculi istiusmodi participationem adumbratur, nempe veram ac salutarem piis omnibus cum Christo Domino nostram in corpore et sanguine ipsius communionem.

Finem autem Coenae Dominicae esse eum, quem Christus ipsemet verbis suis nobis commendat, nempe sui et mortis suae rememorationem. Haec sane omnia nobis diligenter observanda esse, si vim dignitatem ac fructum Coenae Dominicae recte considerare velimus. Primum igitur de signo Coenae Ecclesia monetur.

De signo Coenae Dominicae.

Signum Coenae Dominicae esse docetur, non panis aut vinum ipsum, ut iam diximus, quod ad substantiam quidem illorum at-(204) tinet, sed instituta a Christo Domino peculiari quadam ceremonia panis et vini participatio. De actione enim tota mandatum extat: „Hoc facite," in quo omne alioqui pondus Dominicae institutionis consistit, quod ad panis ipsam aut vini substantiam referri non potest. Ad eundem vero modum in aliis etiam Sacramentis omnibus, non res, quae actioni adhibentur, sed institutam a Deo externam actionem, signum Sacramenti esse videmus. Ità in circumcisionis Sacramento signum erat, non cultellus ipse, non praeputium, neque res ulla, quae actioni illi adhibebatur, sed Divini cum Abrahamo et eius familia foederis signum erat actio ipsa a Deo instituta, nempe praeputii cultello adhibito amputatio. Ita et in Paschali olim Coena Divinae erga Israelem benevolentiae signum erat, non agnellina caro ipsa, quod ad substantiam eius attinet, sed imperata a Deo illius

mactatio, postium sanguine eius cruentatio et praescriptus certa ceremonia esus illius. Ita et in Baptismo nostro nostrae in sanguine Christi emundationis signum est, non sane aquae substantia ipsa, sive sit fluens, sive in vase quocunque (205) reposita, sed instituta per Christum in aqua tinctio, quae quidem fiat in nomen Patris, Filii et Spiritus sancti, quemadmodum id circa Baptismi explicationem clarius expositum habetur.

Constat autem hoc Coenae Dominicae signum certis suis partibus, nempe iis omnibus, quae Christum Dominum cum suis Apostolis tunc egisse nobisque, ut se imitemur, praecepisse Euangelistarum et Pauli testimonio videmus. Sic ut quod Christus Dominus egit, Minister Ecclesiae, qui eius locum in ministerio suo obtinet, in Coenae usu faciat, ac convivae rursum id etiam faciant, quod Apostoli, Christi Domini in Coena sua convivae, fecerunt. Partes signi igitur in ipso Ministri opere sunt circa Coenae usum: panis et poculi in manus Ministri sumptio, gratiarum actio, panis fractio, poculi propinatio, horum utrorumque in cibum ac potum convivarum exhibitio sive distributio cum testificatione de tradito in mortem pro nobis corpore et fuso item sanguine Christi. In ipso vero convivarum opere partes signi sunt: accubitus ad mensam Dominicam, panis et poculi e Ministri manibus sumptio et (206) eorum participatio. Haec tota, inquam, actio ac ceremonia tam in Ministri, quam in convivarum opere posita, est signum Coenae Dominicae, ad cuius observationem mandato illo Dominico „hoc facite" commonemur.

Et sane danda est opera piis omnibus, imprimis vero Ministris ac gubernatoribus Ecclesiarum, ne ulla signi huius pars in Coenae Dominicae usu praetermittatur, tum propter mandatum hoc atque institutionem Christi, quae sine illius indignitate mutari non potest, tum propter signi ipsius mysterium, quod nobis singulis eius partibus insigniter commendatur. Est tamen nobis interim etiam observandum discrimen quoddam inter ipsas signi partes. Nempe ut sciamus, quasnam necessario omnino urgendas, quas item non usque adeo necessario requirendas esse, statuere debeamus, praesertim si, quae ita sint abolitae, sive temporum iniuria, sive tyrannide Antichristiana, ut subito ac repente cum pace Ecclesiae revocari non possint. Discrimen autem hoc constitui oportet ex mysterii, quod Coenae usu adumbratur, consideratione, quatenus videlicet aliqua partium illud expressius nobis ac significantius designetur, (207) ut intelligamus Coenae Dominicae usum ideo nobis prorsus intermittendum non esse, quod omnes ac singulas signi in illa partes observare, ut vellemus, non possimus, modo ne illae omittantur, in quibus praecipuum mysterii pondus consistit. Tametsi eos, qui omnes et singulas signi in

Coena Dominica partes observare eum pace Ecclesiae possunt et id facere nolunt, culpa hauddubie obscurati Coenae mysterii liberare non possimus. Iam vero de ipso Coenae Dominicae mysterio videamus.

De Coenae Dominicae mysterio et ad quem modum multis nominibus in Coenae usu commendetur.

Cum unus sit atque idem ab aeterno et in aeternum Deus, unum item atque idem illius nobiscum foedus aeternum, quatenus sane in utraque Ecclesia omnes Abrahae filii esse censemur, unus denique Dei et hominum mediator Deus pariter atque homo Christus Iesus, et una atque eadem omnium in ipso salutis ratio, — unum sane (208) atque idem sit etiam necesse est mysterium omnium Sacramentorum. Sed quemadmodum unum in genere Coenae Dominicae signum, externa, inquam, illius actio seu ceremonia, multis nihilominus partibus constat, quarum unaquaeque suum mysterium adumbrat, ita unum illud atque idem etiam omnium Sacramentorum mysterium suis quibusdam partibus constat. Non quod in partes ullas dividatur, sed quod multis nobis nominibus, veluti partibus quibusdam suis, divino beneficio commendetur. Sic ut in qualibet signi in Coena Dominica parte peculiaris semper aliqua mysterii Coenae commendatio ob oculos nostros symbolica adumbratione ponatur. Ita tamen, ut inter partes ipsas signi Coenae totius aliae aliis expressius significantiusque nobis mysterium ipsum designent ac repraesentent.

Unum porro illud atque idem omnium Sacramentorum mysterium, et proinde Coenae quoque Dominicae, est nostra eum Christo Domino gratuito nobis delata communio in corpore et sanguine ipsius, quae quidem etiam unicum est prorsusque solum medium salutis nostrae omnium, siquidem (209) illud destinato ae rebelli contemptu nostro ipsimet a nobis non propellamus. Neque vero nostra haec eum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communio tum primum coepit institui, cum Christus Dominus in Coena sua Apostolis suis panem ac poculum Coenae exhiberet, sed initium suum habet ante tempora aeterna, quatenus sane ante tempora aeterna in Christo Domino ad vitam aeternam electi atque in filios Dei iuxta Pauli doctrinam adoptati sumus [1]). Eligi enim aut adoptari in Christo non potuimus, si non aliquam eum illo iam tum, in divina providentia, communionem habuissemus. Neque alia communio nostra cum Christo Domino habetur, quam ea, quae est in corpore et sanguine ipsius,

[1]) Eph. 1. 2 Tim. 1.

quatenus videlicet omnes unus atque idem homo in Christo, coram oculis Patris Dei esse censemur, quemadmodum Paulus docet [1]). Haec autem ipsa communio nostra cum Christo perinde erat olim circumcisionis et coenae Paschalis mysterium, atque nunc est in Christi Ecclesia et Baptismi mysterium et Dominicae Coenae, etiamsi aliis atque aliis signis adumbraretur, nisi quod tum venturi adhuc Christi commu-(210)nio designabatur, nunc autem exhibiti adumbratur. Ita in circumcisione cruenta illa praeputii amputatio nostram cum Christo Domino communionem in corpore et sanguine ipsius adumbrabat, quatenus testabatur condemnationem nostram accisi praeputii symbolo in Christi corpore (quod carnis nostrae corpus futurum erat) amputandam esse cum propitiatoria sanguinis ipsius effusione. Ita et in agni Paschalis coena, agni mactatio, postium cruentatio ad plagae evitationem, agni ipsius typicus esus adumbrabat suo symbolo nostrae atque illius iam tunc Ecclesiae communionem cum Christo in corpore et sanguine ipsius, quatenus sane et esus agni ipse communionem cum vero nostro agno Christo Domino et postium cruentatio in sanguine agni expiationem nostram per sanguinem Christi suo symbolo designabat. Ita vero et nunc in Baptismo nostro tinctio nostra in mortem Christi, adeoque in Christum ipsum, quemadmodum Paulus ait [2]), nostram nobis cum Christo Domino communionem proculdubio adumbrat. Alioqui sane in Christum baptizari non possemus, si non aliquam cum illo communionem in cor-(211)pore et sanguine ipsius haberemus.

Ad eundem modum igitur etiam eadem ipsa nostra cum Christo Domino communio Coenae Dominicae usu adumbratur, quod ad externam illius actionem seu ceremoniam attinet, iuxta singulas partes ipsius, quemadmodum mox ostendemus.

Hoc autem communionis nostrae cum Christo mysterium potens atque efficax est, ut in aliis Sacramentis, ita in Coenae quoque Dominicae usu, exeritque vim suam proculdubio, si vera fide in nostris cordibus apprehendatur. Admonet nos nimirum omnes nostri vicissim erga Deum officii nostraeque gratitudinis erga illum pro tantis illius erga nos in Christo beneficiis, ne inter contemptores eius olim numeremur. Quatenus ergo Coenae Dominicae et aliorum Sacramentorum usu Ecclesia per fidem in sua cum Christo Domino communione obsignatur, ac rursum quatenus obsignata ad hunc modum in nostris animis communio haec nostri nos vicissim officii nostraeque erga Deum gratitudinis admonet, hactenus nos duo quaedam mysteria, seu duas mysterii unius partes no-(212)bis designari dicimus, in usu

[1]) Gal. 3. [2]) Rom. 6. Gal. 3.

et Coenae Dominicae et aliorum Sacramentorum, sic ut partim obsignemur Coenae usu in fide nostrae cum Christo communionis, partim vero nostrae vicissim erga illum gratitudinis nostrique officii admoneamur. Sive igitur duo quodammodo mysteria, obsignatorium videlicet et admonitorium, sive duas unius mysterii partes esse dicamus in Coenae usu, perinde est, modo ut vim ac dignitatem Sacramentorum in ipsorum mysterio recte observemus, intelligamusque usum Sacramentorum non esse vanam otiosamque ac scenicam quandam theatricamve actionem.

Iam ut praestantiora esse censentur, quae aliquam causarum rationem in se habere, quam quae veluti effecta quaedam esse videntur, ita praestantius est etiam in Sacramentorum usu, dum in fide communionis nostrae cum Christo Ecclesia tota obsignatur, quam dum vi eius ipsius obsignationis suae vicissim gratitudinis suique officii admonetur. Etenim sine certo in corde nostro per fidem testimonio nostrae cum Christo Domino communionis nihil prodest omnino ea observasse omnia, quorum Coenae u-(213)su admonemur. Contra vero, si certum in corde nostro testimonium obfirmari Coenae usu sentiamus, nostrae cum Christo Domino communionis, sine maximo fructu id fieri non potest, etiamsi ea, quorum admonemur, in declaranda nostra gratitudine, non ita, ut debemus, omnia praestemus.

Sed et ea, quae ad obsignandam nostram cum Christo communionem in Coenae actione pertinent, alia aliis praestantiora sunt, quotenus aut alio aliis tacite includuntur, etiamsi nullis peculiaribus symbolis adumbrentur, aut alia item aliis fini Coenae Dominicae, ad quem est instituta, luculentius multo significantiusve subserviunt ac respondent, quemadmodum circa finem Coenae Dominicae clarius exponetur. Iam quid singulis signi Coenae Dominicae partibus in eius mysterio iuxta partes illius nobis adumbretur, ordine suo videamus.

Primum igitur in his signi Coenae partibus, quae in Ministri opere sunt positae, ipsa panis ac poculi in manus Ministri sumptio, priusquam aut panis frangatur aut poculum exhibeatur, designat nobis ipsummet Christum Dominum solum esse et neminem praeterea alium, qui nos omnes (214) ad salutarem hanc nostram secum communionem vocare potuerit, atque eundem ipsum esse etiam, qui nos omnes ad illam non vocaverit modo, sed etiam amantissime pro ineffabili sua misericordia factus homo invitarit, ut ab illo solo tanquam unico mediatore, pastore ac capite nostro ét fidem veram in vita hac nostra ét olim demum etiam fructum nostrae huius secum communionis, vitam inquam aeternam, petendam nobis atque expectandam esse intelligamus. Quare, dum in Coenae Dominicae administratione panem ac poculum in Ministri manibus videmus, Christi Domini opus in

Ministri opere oculis fidei intueri debemus, et cogitare, quod a solo duntaxat Christo Domino, velut ex ipsius manibus, et fidei nostrae incrementa per Spiritum sanctum suum, et fructum olim etiam nostrae secum communionis certo atque indubitato expectare debeamus.

Deinde gratiarum actoria mysterii Coenae per Ministrum Euangelicis atque Apostolicis verbis commendatio, ante panis et poculi exhibitionem, refert nobis extremam illam Christi Domini in Coena sua gratiarum actionem, qua nobis ille ineffabilem (215) suam erga nos charitatem attestari dignatus est. Nimirum, etsi atrocissimam mortem mox iam pro nobis oppetere debuerit atque illius faciem velut ob oculos suos positam cerneret, summa tamen alacritate et sibi ipse et suis Apostolis nobisque sub illorum nomine omnibus gratulabatur, ac, mortem suam sui glorificationem esse affirmans, Deo Patri suo gratias agebat de completo iam salutaris suae oblationis pro nobis tempore, ut doceret nostram sibi vitam sua ipsius vita gratiorem multo fuisse, et, quanquam certus esset vitam nostram non potuisse nisi morte sua eaque et crudelissima et ignominiosissima redimi, magis tamen de reddita in se nobis vita nostra gaudebat et gratulabatur, gratiarum actionis suae testimonio, quam ut vel cruciatuum (quos iam mox sustinere nostra causa debebat) vel mortis etiam atrocissimae metu ullo perturbarètur, donec Coenam suam illam mysticam peregisset. Dum igitur Minister, sumpto in manus pane aut poculo Coenae, usum illius nobis verbis Apostolicis atque Euangelicis commendat, nos, audita illa commendatione, Christum ipsummet in Ministro intueri quodammodo et extre-(216)mae suae illius in Coena sua gratiarum actionis meminisse debemus, atque immensum illum charitatis erga nos suae ardorem ita nobiscum in corde nostro reputare, ut omnem plane dubitationem de optima ipsius voluntate conservandi nos in donata nobis corporis et sanguinis communione ex animis nostris eximamus. Praesertim cum ita sit nobis de illa gratulatus apud Patrem suum, ut ne vitae quidem suae aut cruciatuum etiam, quos iam mox sustinere debebat atque in prospectu suo quodammodo habebat, ullam omnino habuerit rationem.

Praeterea ipsa panis fractio et poculi, priusquam exhibeatur, propinatio multa nobis et in Deo Patre nostro et in Christo item Domino, denique et in nobis ipsis designat contestatur et adumbrat.

Primum enim testificatur (ut alias quoque dictum est), Deum esse Dominum pariter ac iudicem nostrum, qui suam in nobis requirat obedientiam et nostram pariter inobedientiam iusto suo iudicio puniat iuxta aeternum atque immutabile decretum suae Divinae voluntatis. Quorsum enim nostram puniret inobedientiam, si non mandatorum in nobis suorum obedientiam, ut Domi-(217)nus noster, re-

quireret? Aut quorsum ita atrociter nostram in filio suo inobedientiam puniisset, si non pariter vere etiam iustus index esset? Deinde testificatur etiam de Patre Deo, illum servatorem quoque nostrum nihilominus esse, qui videlicet nostri misertus nostram condemnationem gratuito transtulerit in unigenitum suum filium illumque tradiderit loco nostro in mortem atrocissimam et sanguinem ipsius innocentissimum fundi voluerit ad nostri expiationem. Postremo testificatur et de filio ipso Dei Christo Domino, ipsum propter restituendam in se salutem nostram ultro ac sponte sua carni et sanguini nostro participasse atque ita demum et corpus suum sacrosanctum atrocissimis cruciatibus mortique ad extremum ignominiosissimae exposuisse et sanguinem suum innocentissimum fudisse ad nostri cum Patre suo reconciliationem.

De nobis vero testificatur panis illa fractio et poculi propinatio, in Coenae Dominicae usu, nos toto nostro corpore totaque nostra anima, quanti omnino sumus, aliud prorsus nihil esse, quam pecudes quasdam, quod in nobis est, morti iam alioqui et condemnationi aeternae destinatas, nisi (218) nos ab illa Christus Dominus pro gratuita sua in nos benignitate ac misericordia liberasset. Ut enim Christus Dominus totus prorsus corpore suo totaque sua anima (ut homo) ad extremam usque desperationem Divini adversus nostrum peccatum iudicii severitatem vitare non potuit, quatenus in se quidem omnem nostram recepit condemnationem, ita panis illa in Coenae usu fractio et poculi propinatio, dum hanc taiem Divini iudicii severitatem in passione et morte Christi nobis adumbrat, simul quoque testatur omnino, in toto plane nostro corpore totaque nostra anima nihil prorsus esse, quantum in nobis est, quod non sit modis omnibus obnoxium aeternae morti et condemnationi, nedum ut ullis omnino meritis ullive qualicunque tandem dignitati aliquis omnino locus in nobis reliquus esse possit.

Postremo panis et poculi in cibum ac potum nostrum exhibitio seu distributio designat nobis immensam plane atque ineffabilem Christi Domini erga nos benignitatem et dilectionem, qui omne prorsus mortis suae meritum, in corpore suo perpessae, omnemque illius vim ac dignitatem gratuito nobis secum communem esse ve-(219)lit, nobis inquam, qui non solum huius nihil promeremur unquam, sed, mortem aeternam iamdudum promeriti, tota praeterea vita hic nostra etiam aliud nihil quam peccare perpetuo ex nobis ipsis et proinde illum quoque perpetuo offendere possimus. Haec porro huius tantae dilectionis Christi erga nos religiosa ac diligens reputatio circa panis et poculi Coenae exhibitionem seu distributionem multo plus adfert consolationis afflictis omnibus conscientiis et plus multo item pon-

deris habet ad obfirmandos nostros animos in certa salutis nostrae in Christo possessione per fidem, quam si nobis ipsam corporis et sanguinis Christi naturalis substantiam per Ministri manus sub ipso pane ac poculo Coenae porrigi contendamus, cum haec sane convivas Coenae Dominicae omnes de salute ipsorum, etiamsi illam statuamus, certos reddere non possit. Id quod Iudae alioqui proditoris et omnium illius similium exemplo manifesto docemur.

In ipso autem convivarum opere accubitus seu consessus eorum ad mensam Dominicam nobis designat. Primum pacem ac quietem longe optatissimam nostrae, in hac etiam vita iam, conscientiae in (220) Christo, etiamsi in nobis ipsi aliud nihil neque esse ullo modo possimus nisi peccatores. Quam equidem nostrae conscientiae pacem ac quietem retineri a nobis vult in corde nostro Christus Dominus adversus Satanae ac mundi insultus omnes, quibus perpetuo obnoxii sumus. In me, inquit, pacem habebitis etc. Deinde designat nobis etiam gloriam ac dignitatem nostram, quam in regno Dei olim habituri sumus. Nempe, quod quemadmodum Christus Dominus conviviali nos ad mensam suam in Coena sua accubitu sub persona suorum Apostolorum dignatus est, ita et in regno olim Dei aeterno illi demum beatoque convivio ut coelestes convivae adhibendi simus, ut ad aeternam Divinae gloriae fruitionem una cum Abrahamo Isaaco et Iacobo tandem accumbamus inque aeterna deinceps regni Dei foelicitate consideamus.

Acceptio item in manus convivarum panis ac poculi Coenae a Christo Domino imperata designat, non modo immensam illam Christi Domini erga nos dilectionem, quam nobis sub panis ac poculi exhibiti in Coena symbolo declaravit, sed etiam (221) peculiarem nostri curam, ne tantum beneficium nobis per nostram diffidentiam imprudentes perire sinamus. Neque enim illi satis erat, et panem et poculum utcunque exhibuisse, sed voluit, ut utrunque Apostoli ex illius manibus acciperent atque ut id facerent praecepit. Vult nimirum, ut suum hoc beneficium nostris cordibus ita infigamus atque de illo intra nos ita certi simus, ut certi alioqui esse solemus, ea, quae in nostris ipsi manibus habemus, nostra proculdubio esse atque ad nos omnino pertinere. Deinde designat in nobis ipsis etiam panis haec et poculi Coenae in manus convivarum acceptio fidei nostrae certitudinem, quod adumbratum nobis Coenae usu nostrae cum Christo communionis mysterium certo ad nos pertinere credamus, vera alioqui et non simulata fide, quam ille in nobis mandati huius testimonio de pane et poculo per nos accipiendo requirit. Non quod fides nostra id per se efficiat, ut servemur, sed quod quisquis donum hoc nostrae secum communionis aut nolit ullo modo per contemptum

illius destinatum apprehendere, aut etiam hypocritica illud fido se, ut fallat Ecclesiem, apprehen-(222)disse fingat, is sane culpam omnem suao condemnationis, non certe in denegetum quoquo modo donum illud, sed in suum ipsius contomptum snamque hypocrisim, suo ipsius convictus indicio, referre cogatur.

Participatio vero panis et poculi in Coenae usu, hoo est, panis esus et poculi potio ipsa, est voluti colophon quidam totius externae in Coena Dominica actionis, designatque nobis suo symbolo, tam ad nos pertinere nostramqne adeo prorsus iam esso donatam nobis nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem, quam vere nostram esse alioqui certi sumns, quod ore ipsi nostro edimus ac bibimns trensmissumque iam intra nos omnino habemus; tamque nos vere ac certo pasci ad vitam aeternem doneta nobis gratuito nostra cum Christo Domiuo in corpore et sanguine ipsius communione, siquidem illam ore fidei nostrao apprehendamus, quam certo nos in vita heo penis ac vini usu pasci atque ali ex Divina ordinationo sentimus.

Haco sane omnia nobis adnmbrantur externo Coenae Dominicae signo inxta singulas partes illius ad fidei nostree confir-(223)mationem in nostra cum Christo Domino commnnione, qua sola alioqui fit, ut omne meritnm omnemque gloriam ac dignitatem mortis ac resurrectionis Christi nobis cum illo communem ipsins beneficio habeamns.

Quemadmodum autem diligenti horum omninm reputatione, quae nobis externo Coenao Dominicae signo adumbrantur, obfirmamur proculdubio Spiritu sancto autore in certa et indubitata fide nostrae cum Christo Domino commnnionis (id quod nobis iam perspicne satis exposuisse videmur), — ita eiusdem ipsins etiam signi in Coenae significatione iuxta easdem ipsas illius partes nostri simul officii nostraeqne gratitudinis erga Christum Dominum pro tantis in nos illius beneficiis admonemur. Nimirum corda nostra in fide communionis nostrae cum Christo obfirmata simul etiam excitantur per Spiritum sanctum, pro ratione incrementorum fidei, ad gratiarum actionem et declaranda gratitudiuis nostrae officia pro nostra qualicunqne virili et facultate.

Primnm ergo panis ipsa et poculi Coenae in manus Ministri sumptio, qnemad-(224)modum nobis designet neminem alium esse, a quo aut per quem salutem nostram omnem et petere et expectare dobeamus, nisi Christum solum, unicum alioqui etqno aeternum Pontificem nostrum omninm, ita nos simul etiam symbolo suo commonefacit nostrae erga Deum in primo suo prioris tabulao praecepto obedientiae. Nempe, ut ne nobis Deos novos ullos in conspectu Domini Dei

nostro et, quem ille misit, filii sui unigeniti Christi Domini constituamus, per quos aut sublevari quoquo modo, aut etiam vi ipsorum propria laedi nos posse existimemus, sed sola mediatoris nostri Christi Domini fiducia, qui nos in salutarem suorum omnium bonorum communionem vocavit, Dominum duntaxat Deum nostrum invocemus atque ab illo solo et bona precemur omnia et mala omnia deprecemur, illumque solum esse statuamus, qui nos et servare et perdere possit, iuxta beneplacitum suae sanctissimae voluntatis.

Deinde vero gratiarum actoria mysterii in Coena per Ministrum Apostolicis Euangelicisve verbis commendatio, qua Minister ipsam Christi Domini gratiarum (225) actionem imitatur, quemadmodum incredibile nobis studium designat Christi Domini in restituenda nobis salute nostra vitae etiam suae ipsius iactura, ita nos simul etiam nostri erga Christum Dominum admonet officii, gratitudinis inquam nostrae, nempe ut illi pro tanta erga nos sua propensione maximas gratias agamus, et, quem in illo erga nos in restituenda nobis salute nostra ardorem fuisse scimus, eundem sane erga nostros proximos omnes propter illum declarare conemur.

Panis autem fractio per Ministrum et poculi propinatio, priusquam convivis in cibum et potum exhibeatur, quemadmodum nobis designat, Christum Dominum ultro ac sponte sua sacrosanctum corpus suum atrocissimis cruciatibus nostra causa exposuisse, morteque demum ignominiosissima, fuso pro nobis sanguine suo, oppetiisse, ita nos simul nostri vicissim erga Christum officii commonefacit, ut et nos pro nominis sui adorandi regnique item sui in sua Ecclesia promovendi gloria non recusemus et facere et pati omnia, quaecunque in nos ille pro bona voluntate sua, permittere velit, (226) ac rursum, ut fratrum nostrorum pericula nostris ipsorum periculis, si ita res poscat, redimere ne detrectemus, quemadmodum vitam nostram crudelissima Christi Domini passione ac morte redemptam esse videmus, quam alioqui nobis ipsa panis in Coena fractio et poculi propinatio, ut est dictum, repraesentat.

Postremo panis ipsa in cibum et poculi in potum exhibitio, quemadmodum nobis ineffabilem prorsus Christi Domini erga nos amorem et dilectionem attestatur et designat, nempe quod, quidquid omnino in assumpta per ipsum carne nostra suum erat, neque ad quenquam nostrum ullo prorsus modo — quod in nobis quidem est — poterat pertinere, id totum soli sibi proprium esse haudquaquam voluit, sed nos in gratuitam illius communionem omnes vocavit, — ita nos simul admonet etiam, ut nostra omnia, quae Divino beneficio in nos sunt collata, non equidem soli, exclusis omnibus aliis, veluti nostra ipsorum propria possideamus, sed illa ad promovendam Christi Domini

gloriam et sublevandam pro nostra virili ipsius Ecclesiam, perinde atque si communia essent, exposita semper habeamus. (227)

Rursum vero in ipso convivarum opere accubitus seu consessus ad mensam Dominicam, quemadmodum nobis et nunc in vita hac nostra pacem ac quietem longe optatissimam nostrae in Christo conscientiae per fidem et gloriae demum ac dignitatis nostrae etiam in regno Dei imaginem quandam refert atque adumbrat, — ita nos simul nostri vicissim admonet officii, ut certa nostrae huius pacis gloriaeque praeterea futurae fiducia omnes omnino vitae huius nostrae afflictiones ac molestias omnemque Satanae et eius satellitum tyrannidem forti infractoque semper animo perferamus, ac, velut in ipso Christi Domini sinu recumbentes, pro omnibus semper Domino Deo nostro gratias agamus, certi, non posse conferri ullo modo nostras hic afflictiones cum coelesti illa immortalique gloria, quam oculis nostrae fidei sub consessus nostri in Coena symbolo intuemur.

Deinde acceptio in manus convivarum panis ac poculi Coenae, quemadmodum nobis designat peculiarem Christi Domini pro nobis curam, dum nos ille e suis manibus panem ac poculum accipere iubet, ita nos commonefacit etiam mutnae nostrae invi-(228)cem aliorum pro aliis curae ac sollicitudinis, ut, qui unius mensae convivae sumus, demus etiam in solidum operam omnes, ut adumbratum nobis Coenae signo donum illud ac beneficium Christi vere nos ex ipsiusmet Christi Domini manibus percepisse omnes pariter sentiamus. Potissimum tamen admonet Ministros ipsos, ut, quam nostri hic curam a Christo Domino habitam esse vident in ministerio ipsius, eandem ipsi quoque in suo sibi ministerio intelligant pro sua virili praestandam omnino esse, ut coram Dei iudicio olim, non equidem ad ostentationem aucupandamve hic apud homines ullam omnino sive gratiam sive gloriam, sed ad Ecclesiae potissimum propagationem fructumque illius publicum in cognitione Euangelii Christi ministerio suo functi esse videantur.

Rursus quemadmodum acceptio ipsa panis et poculi Coenae in manus convivarum fidei nostrae certitudinem nobis designat de nostra iam pace ac quiete in Christo, quatenus sane, accepto in manus pane ac poculo Coenae, nostram nos cum ipso communionem certo iam apprehendisse ac veluti manibus nostris tenere testamur, ita nos si-(229)mul etiam commonefacit, ne ineffabile hoc Christi Domini beneficium — delatae videlicet nobis nostrae secum communionis, et proinde pacis iam etiam ac quietis nostrae in ipso — aut contemptu ipsi nostro nostraque impietate a nobis propellamus, aut hypocritica illud fide nos accepisse fingamus.

Postremo participatio ipsa panis ac poculi in Coena, quemadmodum

nobis designat, tam certo nostra iam esse omnia, quae Christo soli propria erant, per delatam nobis gratuito illorum communionem, quam certo nostra sunt, quae intra nos iam sumpta habemus, — ita nos monet etiam, nt Christum Dominum in nobis iam manentem per fidem vita etiam nostra exprimere studeamus illumque in nostris cordibus habitare testemur per mentis nostrae affectuumque uostrorum innovationem. Et rursus, quemadmodum haec ipsa panis et poculi in Coena participatio testificatur, Christum Dominum in defereuda nobis uostra secum communione nostrum imprimis fructum nostramque utilitatem spectasse, — nimirum ut illa et iam in vita nostra per fidem et demum re ipsa etiam in coelesti olim gloria frueremur — ita nos simul quoque ad-(230)monet, ut nostra omnia, quae in nos contulit Dominus, proximis etiam ac fratribus nostris utenda, si quando res ita postulet, exhibeamus, ac tum demum sane nostra nos fratribus nostris detulisse gaudeamus, cum illos nostris uti ac frui in ipsorum necessitate videmus.

Observantur autem et alia mysteria in ipsis Coenae elementis, pane inquam et vino, si naturam illorum diligentius paulo observemus. Neque enim temere Christus Dominus pane potissimum et vino Coenam suam novi testamenti peregit et non frustra alioqui Paulus etiam Coenae Dominicae convivas unum panem esse docet. Sed de his plura in admonitione, quae habetur post ipsam Coenae administrationem. Nunc de fine Coenae videamus.

De praecipuo Coenae Dominicae fine.

Coenae Dominicae fines alii plures, alii duos faciunt. Nos unum duntaxat esse dicimus, reliquos vero inter unius istius fructus omnes numeramus. Eum (231) porro Coenae Dominicae finem Christus ipsemet Dominus eundem omnino esse docet, quem et iu aliis Sacramentis omnibus scripturarum testimonio uobis commonstratum habemus, uempe ut Christi Ecclesia obfirmetur atque obsignetur Coenae Dominicae usu in vera eius mysterii fide, quod externo illius signo adumbratur, nempe iu donata nobis cum Christo Domino gratuita in corpore et sanguine suo communioue. Hanc euim Coenam suam instituit ad sui recordationem, quatenus ipse quidem, tradito pro nobis in mortem suo corpore et fuso item suo sanguine, ad vitam uos rursus aeternam a morte aeterna revocavit, donata uobis alioqui omnis sui meriti omnisque suae iustitiae communione. Atque recordatio sane haec non tautum est posita iu nuda quadam historiae veteris alicnius reminiscentia, quae rei gestae (ad nos alioqui non ita multum pertinentis) memoriam renovet, atque in nudam

duntaxat quandam rationis nostrae cogitationem incurrat, sed quae ad ima usque cordis nostri penetralia autore Spiritu sancto pertingat. Nimirum Spiritus sanctus (assiduus alioqui testis Christi, et efficax proculdubio glorificator in omni ipsius institutione) longe (232) aliam Christi recordationem in nostris cordibus operatur circa Coenae usum, quam faciant omnes humanae sive imagines sive statuae seu theatricae qualescunque repraesentationes. Haec ita, inquam, cum se habeant omnia, perspicuum est, Christum Dominum, qui Divinam alioqui Spiritus sancti vim in suae institutionis observatione intuebatur, ad eiusmodi certe sui recordationem Coenam suam instituisse, quae nobis non historicam tantum rei gestae memoriam in otiosam quandam cogitationem revocaret, sed quae ipsas etiam cordis nostri medullas ad nos in fide adumbrati nobis mysterii obfirmandos atque obsignandos Spiritu sancto autore penitus commoveret.

Ad eundem porro finem et circumcisionem olim institutam fuisse, ex Dei ipsius ad Abrahamum verbis videmus, dum ait, ideo illam fuisse in eius familia observandam, ut esset Deus ipsius et seminis ipsius[1]). Neque enim post circumcisionem aut Abrahami aut cuiuspiam alterius in suo semine Deus tum primum incoepit esse et Abrahami et seminis ipsius Deus, quemadmodum Paulus docet. Sed his verbis docetur Abraham ideo sibi et suae familiae imperatam fuisse (233) circumcisionem, ut et ipse per omnem vitam suam et familia eius deinceps post ipsum certi essent signi huius testimonio, Deum proculdubio suum Deum esse, qui illis, ut electo suo populo, in ipsorum necessitatibus nunquam esset ope sua Divina defuturus, modo ne illum destinata impietate rebellique suo contemptu ad iracundiam provocarent. Ita et in Paschali Coena olim finem videmus eundem prorsus, dum Deus ipsemet illam se ad monumentum aeternum sui erga Israelem beneficii instituisse testatur, nimirum ut tota illa Israelis Ecclesia Coenae suae illius anniversariae testimonio certa esset, Deum semper fore protectorem et adiutorem suum, quemadmodum id admirabili illa prorsusque stupenda ex Aegypto ipsius eductione luculentissime declaravit. Ita et Baptismum ad eundem ipsum finem institutum esse clarissime docet Petrus, dum illum ἐπερώτημα bonae nostrae erga Deum conscientiae esse testatur. Nimirum pii omnes in Ecclesia obfirmantur Baptismi testimonio in certa fide emundationis et reconciliationis suae cum Patre Deo per sanguinem Christi Domini, cuius demum fiducia non reformi-(234)dant iudicium Dei propter suam cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius, quo sunt abluti, communionem.

[1]) Gen. 17.

Sic igitur et Coenae Dominicae eundem plane finem esse ex Christi ipsiusmet Domini verbis docemus, nimirum ut per institutam ab ipso, non equidem frigidam ullam, sed quae Spiritus sancti virtute fiet, sui recordationem Ecclesia ipsius obsignetur in salutari sua cum ipso communione. Et quemadmodum Christus Dominus est caro ex carne nostra iuxta substantiam ipsam et os ex ossibus nostris per suam incarnationem, ita et nos vicissim Coenae suae testimonio certi sumus, nos esse carnem ex sacrosancta carne ipsius et ossa ex nunquam alioqui comminuendis ossibus ipsius per donatam nobis gratuito omnis sui meriti omnisque suae iustitiae in corpore et sanguine suo communionem. Ita sane Paulus convivas Coenae Dominicae omnes unum cum Christo corpus esse docet Coenae ipsius testimonio, dum illos, eo quod de uno pane edunt, unum corpus esse testatur [1], ut intelligamus ea omnia, quae Christo Domino soli in corpore et sanguine ipsius — quorum utrunque ipse a nobis iuxta substantiam ipsorum in (235) sua incarnatione mutuatus alioqui erat — propria omnino fuerant neque ad nos per sese ullo modo pertinebant, ea iam omnia inquam nostra omnino esse per donatam nobis eorum omnium sub corporis et sanguinis nomine salutarem et gratuitam communionem, nempe ut iam sancti iusti innocentes, denique et dilecti Dei filii simus in Christo per nostram hanc secum communionem, qui in nobis alioqui ipsis aliud nihil quam peccati et mortis aeternae mancipia sumus.

Porro quum eam ipsam Christi Domini recordationem in Coenae usu Spiritus sanctus, ut testis et glorificator illius perpetuus, in nobis operetur, quemadmodum supra dictum est, atque hac tali recordatione animi nostri in nostra illa cum Christo Domino communione obfirmentur et obsignentur, — fit sane etiam eodem ipso Spiritu sancto autore, ut dum hac tali Christi Domini recordatione in fide beneficiorum ipsius obsignamur, simul etiam corda nostra excitentur ad amandum tam beneficum nostrum liberatorem et servatorem praestandaque nostrae erga ipsum gratitudinis officia omnia, quae modo praestare pro (236) nostra infirmitate possumus, gignunturque novi quidam motus in nostris cordibus autore Spiritu sancto per talem obsignationem, ut Christum Dominum et sua amemus omnia, aut amare saltem cupiamus (utcunque nos carnis nostrae corruptela nobis adnata remoretur ac impediat) et ad declarandam nostram erga illum gratitudinem pro nostra virili adnitamur. Qui quidem novi motus certa sunt indicia certique fructus nostrae illius in fide beneficiorum Christi obsignationis, ut, si illos intra nos ipsi sentiamus, de vera etiam

[1]) 1 Cor. 10.

nostri obsignatione ad vitam aeternam non dubitemus. Sin minus, frustra equidem de nostri obsignatione et proinda de digna quoque Coenae Dominicae participatione nobis blaudiamur.

Finis ergo Coenae Dominicae est eiusmodi uostri in fide uostrae cum Christo communionis obsignatio, quae uovos motus in cordibus nostris gignat autore Spiritu sancto ad amandum vicissim Christum Dominum suaque omuia et ad declaranda nostrae erga illum gratitudinis pro uostra infirmitate officia. Quoniam vero talis haec obsignatio uovos motus illos in nobis gig-(237)nit, nt dietum est, et aliud est interim in fide obsignari, aliud vero novos motus ad amorem et gratitudinem excitari, duos alii Coenae Dominicae fines constitnere maluerunt: obsignationem nostri videlicet et novi rursum motus ad amandum Christum et declaranda erga ipsum gratitudinis nostrae officia excitationem. Neque maguopere refert, uuumue ant plures Coenae Dominicae fines statnamns, modo ut alios fines omnes ad obsignationem illam, tanquam ad radicem aliorum omnium, referamus.

Quemadmodnm autem iu hoc potissimum Coenam Domini institutam esse videmus, ut eius usu in fida nostrae cum Christo Domiuo communionis obsignemur, ita hac potissimum etiam iu signo Coenae partes observandae nobis sunt, quae nobis omnium significantissime Coenae ipsius mysterium adumbraut atque repraesentant, quo in fide illius certius obsignemur. Et quia rursus mysterium nostrae eum Christo communionis multis variisque nominibus ac considerationibus nobis commendatur, quorum aliaa aliis sunt evidentioras magisque necessariae ad fidem illins approbandam, in qua animi nostri debeant potissimum obsignari, — (238) sane si tanta est mysterii huius dignitas atque utilitas, nt nullae quantumvis remotae illius consideratioues omitti, nedum inutiles aut nimiae existimari quoquo modo debeant, tamen aliae praa aliis magis sunt observandae, praesertim si non omnium semper ex aequo meminisse possimus, nempe quae magis, ut diximns, evidentes sunt ac necessariae ad comprobandam mysterii ipsins fidem, in quo inxta praestitutum Coenae Dominicae finem obsignari debeamus. Quatenus igitur nostrae eum Christo Domino communionis considerationes aliae sunt aliis evideutiores ac magis necessariae ad approbandam nobis fidem illius, et proinde merito etiam aliaę prae aliis, cum alias semper, tum vero in ipso imprimis Coenae Domiuicae usu observari magis debent, propter Coenae ipsins finem, nostri iuquam iu fide eius ipsius communionis obsignationem, — hactenus saue et in signo Coeuae Dominicae inter eas, quas commemoravimus illius partes, illae aliis praestantiores existimandae et proinde maiore etiam cura observandae sunt, quae ad adumbrandas evidentiores illas ac magis necessarias approbandi nobis mysterii Coe-

(239)nae considerationes institutae esse videntur. Iam ut in approbanda rei alicuius donatae legitima et bonae, ut vocant, fidei possessione, etsi multa produci in medium possunt, et quo plura producuntur, hoc maiorem illius fidem faciunt, imprimis tamen haec sunt necessaria, quibus legitima traditio ac rursus possessionis apprehensio probari possit, neque negari potest nostrum plane esse, de cuius legitima traditione nobis facta deque legitima item nostra possessione doceri possit, etiamsi factae nobis donationis rationes atque occasiones omnes non semper recenseamus, — ita et ad approbandam nostrae cum Christo communionis fidem, quo certius in illa obsignemur, etsi ea omnia, quae Christus Dominus ad eam rem instituit, non possunt non esse vehementer utilia dignaque prorsus, quae summa cura ac religione observentur (ne quis hinc incuriae indulgentiaeve nescio cuius suae excusationem aut patrocinium venetur), tamen ea imprimis ac necessario observanda sunt neque ullo modo praetermittenda, quae nos omnium evidentissime certos faciunt de legitima illius, cum donatione nobis facta, tum vero legitima etiam nostra (240) possessione. Et proinde in Coenae quoque Dominicae usu hae potissimum mysterii ipsius considerationes urgendae observandaeque sunt, quae nos certos faciant, nostram cum Christo Domino in corpore et sanguine ipsius communionem et donatam nobis esse legitime, nempe a Christo Domino, qui nihil non legitime agit, et nos item legitime etiam, nempe ex ipsiusmet Christi Domini manibus, illius possessionem habere atque in illa eius beneficio permanere. Nam si haec ita certo animis nostris infixa habeamus, ut in dubium intra nos ipsos revocari non possint, equidem neque mundus neque mors neque Satan in vera nos ac salutari communionis nostrae istius cum Christo possessione perturbare ullo modo poterit, nedum ut illam nobis eripere quoquo modo possit, etiamsi reliquas communionis nostrae huius rationes non perinde semper in medium producere possimus, quanquam nulla sit illius omnino a Christo Domino nobis relicta consideratio, quae non suum etiam pondus ac robur hac in parte habeat, observarique modis omnibus debeat, si id ullo modo fieri potest. Quare et in signo Coenae Dominicae omnes sane illius partes (241) observandae sunt omnino, si id ullo modo fieri potest, ne ulla relicta nobis a Christo Domino nostrae secum communionis consideratio aut obscuretur aut obliteretur per nostram incuriam aut negligentiam, quod quidem sine Christi Domini indignitate fieri omnino non potest, — sed illae interim signi partes in Coenae Dominicae usu potissimum sunt observandae neque ullo modo praetermittendae, quibus et donatio ipsa nostrae cum Christo communionis et doni item possessio nostra συμβολικῶς adumbratur. Porro in ipso Coenae Do-

minicae signo non alia re significantius nobis adumbratur donatio ipsa nostrae cum Christo Domino communionis adeoque et ob oculos quodammodo nostros ponitur, quam panis et poculi per manus Ministri distributione seu exhibitione. Ae rursum doni huius legitima possessio non alia etiam re magis adumbratur in Coenae usu, quam acceptione panis ac poculi per convivas e Ministri manibus, qui Christi locum obtinet, et eorum tandem publica participatione. Ut igitur menti ac voluntati Christi Domini satisfiat in Coenae suae institutione, hoc est, ut iuxta traditum nobis Coenae suae finem, u-(242)su illius in fide nostrae cum ipso communionis obsignemur, quemadmodum in mysterii ipsius considerationibus ea nobis potissimum observanda esse ostendimus, quae nos omnium evidentissime certos reddant de nostrae cum ipso communionis et donatione et possessione, — ita et in signi Coenae partibus exhibitio potissimum panis ac poculi Coenae in cibum et potum convivarum per manus Ministri, et rursum eiusdem panis ac poculi per convivas e Ministri manibus acceptio ac participatio publica, observandae sunt omnino urgendaeque modis omnibus neque ullo modo praetermittendae, quatenus sane istis potissimum signi in Coena partibus et donatio ipsa et etiam nostra possessio nostrae cum Christo Domino communionis designatur adumbratur ac repraesentatur. Sic ut, si quando aut per temporum iniquitatem, aut per tyrannidem Antichristianam, non omnes pariter instituti a Christo Domino signi Coenae partes observari ex aequo possint sine certo dissipandae Ecclesiae periculo, ut sic inquam Coenam Domini postulante Ecclesia administrare liceat cum trium istarum partium signi legitima observatione, etiamsi reli-(243) quae signi partes, ut dictum est, ex aequo observari non possint, quae tamen haudquaquam sunt praetermittendae, si ullo modo cum pace Ecclesiae observari ac revocari queant. Qua in re Ministri potissimum Ecclesiarum fidem ac diligentiam suam Domino Deo imprimis, deinde vero suis etiam Ecclesiis approbare debebunt.

Haec ita docentur de signo, mysterio ac fine Coenae Dominicae, ante illius administrationem eo ipso die, quo Coena administrari debet. Fitque id quandoque contractius, quandoque vero prolixius, pro eo ac id res et tempus ipsum postulare videtur. Atque ita finis imponitur ipsi publicae concioni.

Postea orditur Ecclesiastes publicae Ecclesiae preces, quarum in superioribus circa diei cuiuslibet Dominici ceremoniam forma praescripta habetur. Absolutisque precibus, priusquam Psalmus decantetur, incipit Coenae ceremonia ad hunc modum.

Consistunt ante omnia Ministri, Seniores et Diaconi omnes ante mensam instructam, versa ad populum facie, praeter Ecclesiasten ip-

sum qui concionem habuit. Is enim in suggesto manet et, ubi reliqui Ministri, Seniores ac Diaconi ordine, ut (244) dictum est, ante mensam constiterunt, admonet ante omnia Ecclesiastes Ecclesiam de omnibus, qui sint arcendi a Coenae usu.

Ac primum, si pridiana concione aliqui a Coenae usu prohibiti peculiariter fuerant, sive addito ipsorum nomine sive omisso, pro eo ac culpa ipsorum id poscebat, hi rursum ad eundem modum, quo antea, venire ad Coenam prohibentur.

Deinde publica denunciatione etiam illi omnes a Coenae usu arcentur, qui neque fidei suae confessionem aut publice aut coram Ministris saltem et Senioribus Ecclesiae ediderunt, neque item disciplinae sese Ecclesiasticae ultro ac sponte sua subiecerunt. Cum enim illi inter domesticos fidei in Ecclesia censeri nolint, ut nostrum agnoscant ministerium, neque nos inter oves nostras illos possumus numerare.

Postremo et illi a Coenae usu arcentur, qui intra quindecim dies illos a prima Coenae denunciatione non sese Ministris ac Senioribus Ecclesiae semel praesentarunt, practerquam si illos valetudo prohibuisset. Hi enim cum ordinationem Ecclesiasticam in nostro contemnant ministerio, ut de incrementis ac decrementis Ecclesiae certi sem-(245)per esse possimus, ut item fidem cuiusque in Ecclesia certo exploremus et hypocritas e coetu nostro, quod in nobis est, arceamus, indignos se ipsos esse declarant, qui ad Coenam Dominicam admittantur.

In genere autem reprehenduntur omnes, qui, posteaquam se Ecclesiae adiunxerunt, ad Coenae interim Dominicae usum non veniunt, etiamsi neque morbo ullo neque violenta necessitate ulla impediantur, et docetur Ecclesia tales omnes gravissime peccare, primum contra Christum ipsum, Coenae suae autorem, qui in sua contemnitur institutione, deinde vero et contra Ecclesiam totam, quae in publicis suis coetibus publicoque suo ministerio pro Christiani cuiusque hominis officio non honoratur.

Hae veluti praefatiuncula quadam absoluta Ecclesiastes hortatur Ecclesiam, ut se iam quisque ad adeundam digne Coenam Domini componat atque ad precandum omnes secum invitat, et, procumbente in genua tota Ecclesia, ad hunc modum e suggestu clara voce precatur: (246)

»Omnipotens aeterne Deus, misericors Pater! convenimus ecce in conspectu tuae Divinae Maiestatis ad Coenam unigeniti tui filii Christi Domini peragendam iuxta ipsius institutionem, ut traditi pro nobis in mortem sacrosancti sui corporis et fusi item ad nostri ex-

piationem innocentissimi sui sanguinis memoriam celebremus nostramque secum ita demum in eodem ipso corpore et sanguine suo communionem publice in coetu hoc nostrae Ecclesiae contestemur. Te igitur supplices oramus, sanctissime Pater! ut tantum eius ipsius filii tui in nos beneficium, excitatis per Spiritum sanctum tuum nostris animis, digne nobiscum reputare fidemque in illum nostram exercere possimus, atque ita per incrementa nostrae demum fidei cordiumque nostrorum in salutari nostra secum communione obsignationem pascamur omnes tuo beneficio ad vitam usque aeternam, quam nobis in ipso pro tua ineffabili misericordia ab aeterno praeparatam esse non dubitamus. (247) Id vero abs te petimus, Pater indulgentissime! per nomen eiusdem ipsius filii tui, qui solus est verus atque unicus animarum nostrarum cibus, ut intra nos ipsi conscientiae nostrae testimonio sentiamus, te vere esse Deum ac Patrem nostrum, qui nos audias, nosque vicissim tuum populum tuosque adeo filios, preciosissimo filii tui sanguine consecratos, qui vivis et regnas cum eodem ipso tuo filio ac sancto Spiritu aeternus unus et trinus Deus laudandus in saecula. Amen."

Finita hac precatione hortatur Ecclesiastes totam Ecclesiam, ut ipsam Coenae institutionem, ut est a Paulo tradita, diligenter auscultet. Atque mox recitat verbis distinctis ad hunc modum ipsam Coenae institutionem:

„Haec dicit Paulus Apostolus de Coenae Dominicae institutione: „Ego accepi," inquit, „a Domino, quod et tradidi vobis. Nempe quod Dominus noster Iesus Christus ea ipsa nocte, qua prodebatur, accepit panem et actis gratiis fregit ac dixit: Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite in (248) mei recordationem. Ad eundem modum et poculum, ubi coenasset, dicens: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quoties biberitis, in mei recordationem. Quoties enim comederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec veniat. Igitur quisquis ederit panem hunc aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem homo se ipsum, et sic de pane illo edat deque poculo illo bibat. Nam qui edit et bibit indigne, iudicium sibi edit et bibit, non diiudicans corpus Domini" [1]).

Recitata ad hunc modum ex Paulo Coenae Dominicae institutione, admonet paucis denuo Ecclesiastes totam Ecclesiam de extrema in hisce Pauli verbis comminatione, qua iudicium seu condemnationem sibi ipsis edere et bibere dicuntur, qui indigne participant pani ac poculo Dominicae Coenae hisce verbis:

[1]) 1 Cor. 11.

„Audivistis, viri fratres! quantum periculi secum trahat indigna panis ac poculi Coenae huius participatio. Nem-(249)pe quod nos reos faciat corporis et sanguinis Christi, et quod nos ipsimet aeternam nobis condemnationem per hanc talem participationem accersamus. Audivistis item, qua in re posita sit culpa indignae istius participationis, nempe in neglecta corporis Dominici diiudicatione. Et audivistis in iisdem Pauli Apostoli verbis, eam ipsam diiudicationem ex seria ac diligenti nostri ipsorum probatione maxima ex parte pendere. Etenim si qui corpus Domini non diiudicant, perinde indigne Coenae Dominicae participant atque illi, qui se ipsos non probant. Ac rursum si aeque digne participant, qui diiudicant, atque illi faciunt, qui se ipsos probant, perspicuum est, diiudicationem corporis Dominici in hisce Pauli verbis positam esse potissimum in vera ac seria nostri ipsorum probatione. Iam vero etiam audivistis, quibus in rebus sita sit potissimum nostri probatio. Nempe in vera Dei et nostri cognitione, quae nos ad agnoscendam Divinorum erga nos beneficiorum in Christo magnitudinem quodammodo ma-(250)nuducit, et nostrae cum Christo Domino communionis in corpore et sanguine suo dignitatem nobis mirifice commendat, facitque ut, agnita ea dignitate nostrae cum Christo Domino communionis, mysticum Coenae Dominicae cibum ac potum a reliquis cibis ac poculis omnibus summa cum observantia discernamus, et proinde corpus Domini etiam in Coenae usu, reputata nobiscum in illo communione cum Christo, diiudicemus. Postremo audivistis, ad quem modum adumbretur ac commendetur toti Ecclesiae sub signo Coenae Dominicae in singulis ipsius partibus haec ipsa nostra cum Christo in corpore et sanguine ipsius communio, idque multis nominibus ac considerationibus, quae nobis per singulas in Coena signi partes velut ob oculos nostros ponuntur. Haec igitur omnia vobiscum ipsi iam reputate atque animo revolvite et corda vestra sursum ope Spiritus sancti implorata erigite ad sentiendam vim efficaciam ac dignitatem nostrae huius cum Christo Domino beatae prorsus neque unquam (251) interrumpendae communionis in sacrosancto corpore et sanguine ipsius. Id porro nobis omnibus largiatur Pater noster coelestis per Spiritum sanctum suum, cum quo unaque et suo dilecto filio vivit et regnat verus unus atque aeternus Deus laudandus in saecula. Amen."

Post absolutam hanc admonitionem descendit e suggestu Ecclesiastes, considente quiete tota Ecclesia, venitque ad reliquos Ministros, Seniores ac Diaconos ante mensam instructam in totius Ecclesiae prospectum, ut antea dictum est, ibique in medio Ministrorum considens, recitat, versus ad populum, laetum illud ac salutare toti Ecclesiae

nuncium ex Paulo de oblata iam pro nostris peccatis innocentissima illa totius mundi victima Christo Iesu, hisce verbis:

„Ecce iam, fratres dilecti! Pascha nostrum immolatus est pro nobis Christus. Itaque festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiae ac versutiae, sed in panibus infermentatis, nempe synceritate et veritate, per eundem ipsum Iesum Christum, Do-(252) minum et servatorem nostrum. Amen" [1]).

His dictis considet ad meditullium mensae, versa ad populum facie, Ecclesiastes, a cuius demum utroque latere reliqui Ministri, Seniores ac Diaconi omnes ordine una accumbunt, aliique praeterea ex Ecclesia viri, donec mensa tota impleatur, relicto interim ante Ecclesiasten spatio vacuo, ut is a tota semper Ecclesia et videri commode et audiri possit. Ubi vero mensa tota, relicto ante Ecclesiasten spatio, completa est, Ecclesiastes in conspectu totius Ecclesiae sumit in manus panem e maiore lance, quae pane referta est, videnteque et auscultante tota Ecclesia, clara voce et verbis destinctis ait:

„Panis quem frangimus communio est corporis Christi" [2]).

Simulque dum haec dicit, panem in manus sumptum frangit, donec minorem utranque lancem, ab utroque maioris lancis pane refertae latere positam, pane ita fracto, quantum pro uno mensae accubitu satis sit, impleat, ut quisque accumbentium frustum panis inde accipere possit. Interea vero quatuor pocula, de quibus iam antea dictum est, vino implentur et ab utroque lancium (253) minorum latere bina disponuntur. Quibus omnibus ita dispositis, Ecclesiastes fractum iam panem iis, qui proximi illi utrinque assident, e minoribus lancibus sumptum singillatim distribuit, atque inter distribuendum ait:

„Accipite, edite et memineritis, corpus Domini nostri Iesu Christi pro nobis in mortem traditum esse in crucis patibulo ad remissionem omnium peccatorum nostrorum."

Simulque Ecclesiastes sibi etiam ipse sumit atque edit panis frustulum ac demum lances illas minores cum pane fracto ad fines mensae ab utroque latere a se protrudit, ut quisque sibi inde panis particulam sumat atque edat in memoriam traditi pro se ad mortem corporis Christi, donec lances illae per alios demum, qui sunt proximiores, ad fines usque mensae perveniant, et quisque accumbentium panem inde sibi edendum sumat. Ubi vero Ecclesiastes omnes iam, qui accumbunt, de pane illo edisse videt, sumit in manus unum poculum, et demum clara voce ait:

[1]) 1 Cor. 5. [2]) 1 Cor. 10.

„Poculum laudis, quo laudes celebramus, communio est sanguinis Christi". (254)

Moxque porrigens bina ad utrumque latus pocula, alterum post alterum, ait:

„Accipite, bibite et memineritis sanguinem Domini nostri Iesu Christi pro nobis fusum esse in crucis patibulo ad remissionem omnium peccatorum nostrorum".

Simul vero etiam Ecclesiastes ipse ex uno eorum poculorum inter porrigendum bibit, et ita demum reliqui omnes, qui mensae accumbunt, alter alteri poculum ab Ecclesiaste acceptum porrigit, usque dum omnes biberint. Postquam vero omnes iam in eo consessu biberunt, surgent a mensa omnes, solo Ecclesiaste excepto: is enim ad administrandam reliquae toti Ecclesiae Coenam loco suo ad meditullium mensae residet.

Quidam autem peculiariter in hoc deputati Ecclesiae Seniores certo ordine et lances illas minores, quae cum pane fracto ad fines usque mensae protrusae fuerant, et pocula item denuo impleta ad mensae meditullium ad Ecclesiasten referunt illicque reponunt. Alii vero Seniores et Diaconi eos omnes observant, qui ad mensam Domini accedere volunt, ne quis ignotus accedat. Et unus e Ministris suggestum con-(255)scendit, qui lectionem sacram clara voce et distinctis verbis orditur a cap. Ioan. sexto, in quo nobis spiritualis nostra corporis et sanguinis Christi participatio exponitur et commendatur. Dum vero ita praelegitur, accedit Ecclesia ad mensam Dominicam ab utroque templi latere et a finibus mensae ad illius meditullium in utroque mensae latere ascendunt, donec mensa tota compleatur, viri primum suis ordinibus, deinde vero mulieres. Et ubi omnes illi consederunt, intermittit nonnihil lector ille suam e suggestu praelectionem, ut Ecclesiastes ad meditullium mensae considens panem rursus iis, qui denuo accubuerunt, frangat atque una cum poculo demum exhibeat, quantum toti novo illi consessui sufficere posse putat. Posteaquam igitur novo rursum accubitu fratrum mensam totam Ecclesiastes completam esse videt lectorque a sua substitit praelectione, tum Ecclesiastes panem ex minoribus lancibus, iam alioqui fractum, in manus sumit eumque, quemadmodum prius fecerat, proxime sibi assidentibus distribuit, additis verbis suprascriptis in prima panis distributione. Atque ita demum etiam, ubi omnes utrinque iam (256) panem sumpsisse atque edisse videt, exhibet denuo etiam poculum utrinque omnibus, qui mensae accumbunt, additis praedictis verbis in prima poculi exhibitione. Absolutis vero verbis illis circa poculi exhibitionem, lector rursum prosequitur suam e suggestu praelectionem, donec, qui mensae iam accubuerunt, rursum surgant atque alii illis denuo,

ut dictum est, suo ordine succedant. Post singulos autem consessus Seniores ad id designati lances rursum ac pocula, per Diaconos ad id deputatos denuo impleta, ad meditullium mensae ante Ecclesiasten ordine suo referunt ac reponunt, et Ecclesiastes denuo etiam panem e lance maiore sumptum in minores lances ante se repositas, quemadmodum et antea, frangit, quantum pro unoquoque consessu satis esse videt. Sicque, observantibus semper reliquis Senioribus ac Diaconis totam Ecclesiam, succedunt alii aliis, ut dictum est, ad mensam Dominicam in summo silentio et cum summa modestia, ne lectio sacra quoquomodo interturbetur. Postquam autem viri Coenae iam Dominicae participarunt, tum demum foeminae etiam suis ordinibus, quemadmodum et viri, ad mensam Dominicam (257) accedunt sine ullo alioqui peculiari delectu personarum, sed ut unicuique commodum est, sumpto initio ab iis, quae remotius aliis in coetu sedebant. Lector vero in singulis consessibus interrumpit suam lectionem, ubi videt tempus iam adesse exhibendi per Ecclesiasten panis et poculi Coenae iis, qui accubuerunt, et, absoluto sexto Ioannis capite, prosequitur suam lectionem in eiusdem Euangelistae capitibus 13, 14, 15 et deinceps, donec tota Coenae actio absolvatur. Nonnunquam tamen leguntur alia ex scripturis etiam, pro eo ac Ministri Ecclesiae id iudicant ex maiore usu Ecclesiae fore ad eius aedificationem.

Post absolutam porro totam Coenae actionem imponit lector finem suae e suggestu lectioni, et Minister qui Coenam administravit seu Ecclesiastes surgit a mensa ac, inter alios Ministros et Seniores ante mensam medius consistens, Ecclesiam totam hisce verbis alloquitur:

„Credite et ne dubitate omnes, qui Coenae huic Dominicae in memoriam mortis Christi participastis cum mysterii sui reputatione, habere vos certam et salutarem cum ipso commu-(258)nionem in corpore et sanguine suo ad vitam aeternam. Amen."

Deinde invitat Ecclesiam ad publicam gratiarum actionem istiusmodi praefatione:

„Neminem vestrum esse puto, qui intra sese Coenae huius testimonio non sentiat vim ac fructum nostrae cum Christo Domino communionis in corpore et sanguine ipsius, quietem videlicet ac pacem vestrae conscientiae propter innocentiam iustitiam meritum et victoriam Christi Domini, quae iam omnia tam certo nostra esse Coenae huius usu ex Christi ipsius institutione testati sumus, quam nos certo de pane et poculo Coenae nostris ipsi manibus nostroque ore participasse scimus. Spero item vos omnes in vestro ad Coenam hanc accubitu intuitos esse fidei vestrae oculis beatum illum in regno olim

Dei accubitum cum Abrahamo Isaaco et Iacobo, tamque vos de illo iam certos esse fiducia iustitiae meriti et victoriaè Christi Domini, in quorum communione nunc obsignati sumus, quam certo nunc ad mensam hanc Domini unà omnes accubuimus. (259)

„Praeterea non dubito vos vicissim motum quendam in cordibus vestris sentire, Spiritu sancto autore, ad agendum gratias Divinae benignitati pro tantis hisce beneficiis erga nos in Christo Domino collatis, et praestanda pro nostra virili gratitudinis nostrae officia omnia, nempe, ut dònatam nobis iam Christi Domini iustitiam meritum ac victoriam exprimere modis omnibus conemur et tanta Dei in nobis dona ne rursum flagitiis nostris contaminemus nostraque ipsimet impietate a nobis propellamus. Haec vos sane omnia in vestris cordibus Spiritus sancti beneficio sentire credo, et proinde aequum esse puto, ut horum donorum omnium nomine, in genua nostra procumbentes, Deo et Patri nostro gratias agamus et supplices oremus, ut in illis indies magis ac magis per omnem vitam nostram confirmemur."

Gratiarum actio post Coenae Dominicae administrationem. (260)

Domine Deus et Pater noster coelestis! agimus gratias tuae Divinae Maiestati per filium tuum Christum Iesum Dominum et redemptorem nostrum, quod nos in eodem ipso filio tuo a morte aeterna, sub quam conclusi fueramus, revocare dignatus es per peccatorum nostrorum omnium in morte ipsius expiationem et donatam nobis gratuito omnis suae iustitiae meriti ac victoriae communionem, quam alioqui tu solum in aeterna tua providentia intuitus, corpori nos eiusdem ipsius tui filii inclusos, ad vitam aeternam ante mundum conditum elegisti, quodque illum nobis propter adnatam nostram infirmitatem, quae assiduis eget remediis, in cibum ac refectionem nostram salutarem donare dignatus es, sub instituto per ipsum verbi tui Divini et Sacramentorum in sua Ecclesia ministerio, quod nunc per tuam gratiam exequuti sumus. Agnoscimus haec omnia dona sane esse gratuita ineffabilis tuae bonitatis Divinae ac misericordiae, praeter omne no-(261)strum meritum in nos collata. Sed et nostram rursus infirmitatem ac miseriam in nobis ipsis agnoscimus, nempe quod ex nobis ipsis neque dona haec tua retinere neque nostram erga te gratitudinem testari, pro eo ac debemus, possimus. Quemadmodum igitur tibi, ad pedes tuos provoluti, pro hisce beneficiis tuis gratias agimus Pater beneficentissime! ita te etiam per eundem ipsum filium tuum supplices precamur, ut hunc nostri in unum cum Christo

Domino corpus aggregationem, quam in aeterna tua providentia iamdudum clementer orsus es, ad finem usque conservare in nobis nosque in certa illius fide indies magis ac magis per Spiritum sanctum tuum obfirmare digneris, ut, etsi ex nobis ipsi nihil possimus, fructus tamen nostrae fidei ét intra nos ipsi per mentis nostrae affectuumque nostrorum renovationem sentire in nostris cordibus ét coram tua etiam Ecclesia per charitatis officia declarare utcunque possimus, quo nomen tuum adorandum inter nos ita demum vere sanctum esse reputetur et toto (262) orbe terrarum religiose colatur, qui solus alioqui es in Divina tua triade unus verus atque aeternus Deus super omnia laudandus. Amen".

Finita hac gratiarum actione Ecclesiastes subiicit brevem quandam adhuc admonitionem, in qua explicantur mysteria quaedam petita ex elementorum Coenae, panis inquam et vini, consideratione, et admonetur Ecclesia debiti officiique sui erga Christum pro beneficiis ipsius.

Argumentum admonitionis post Coenae Dominicae administrationem.

Admonetur Ecclesia, ut in ipsis etiam elementis Coenae, pane et vino, sua mysteria observet, quae cogitandum alioqui non est, Christum Dominum temere mensae et Coenae suae adhibuisse. Id quod ex Pauli verbis, dum de pane loquitur, facile deprehendi potest. Eadem vero propemodum in vini consideratione, quae et in pane, observari possunt, si paucula quaedam modo iuxta cuiusque naturam ad-(263)aptentur, ut, quae de uno dicuntur, de utroque dicta videri possint. Cumque Paulus panis mysterium potissimum attingat, nobis etiam satis erit, si Pauli exemplo in panis duntaxat consideratione ea observemus, quae et verbo Dei consentanea esse et ad Ecclesiae aedificationem propius pertinere videntur.

Docetur ergo Ecclesia, nobis per elementum panis in Coenae Dominicae usu designari, non equidem substantiam ipsam naturalis Christi corporis, sublata panis substantia, sed coetum ipsum Ecclesiae potius, qui ad Coenae participationem convenit. Ita enim Paulus diserte nos, qui de uno pane edimus, unum panem esse docet. Refelliturque prorsus hisce Pauli verbis tota doctrina Papisticae transsubstantiationis. Cuius enim esu id ipsum esse dicimur, quod edimus, equidem, quod edimus, id esse etiam re vera oportet, quod nos per esum illius esse dicimur, siquidem ratiocinatio ipsa procedere

) De hoc lege Cyprianum, *libro Epistolarum* 1. Epistola 6 ad *Magnum*.

omnino debeat. Alioqui si in Coena Dominica id, quod edimus, *fuerat* duntaxat, non autem amplius *est* panis, quemadmodum Papistae somniant, neque nos sane esu illius, quod non *est*, sed *fue*-(264)*rat* duntaxat panis, *esse* etiamnum panis procnldubio, sed *fuisse* potius diei possemus. Nobis porro maior est Pauli unius hac in parte autoritas, quam Papisticorum transformatorum omnium, quibuscunque titulis atque infulis ornentur.

Docetur item Ecclesia, non frustra nobis eam doctrinam a Paulo traditam esse, quod unus panis simus omnes, eo quod de uno pane in Coena pariter omnes participemus. Nimirum ut intelligamus, requiri in nobis ea omnia, dum unus panis omnes esse dicimur, quae pani alioqui ipsi iuxta naturam illius propria esse constat. Esse autem multa, quae de panis proprietatibus dici atque ad nostri institutionem accommodari possent, sed esse interim praecipua quaedam, quae maiore cum fructu atque aedificatione observari expediat, quae ita paucis exponuntur:

1. Quemadmodum panis esse non potest, nisi multis granis in unum coacervatis, ita cogitemus nos non posse etiam vere esse panem Dominicum, quem nos interim Coenae testimonio esse profitemur, nisi nos ita in Domino collectos esse sentiamus, ut nos unius atque eiusdem corporis mem-(265)bra esse sub capite nostro Christo Domino aggregata agnoscamus.

2. Quemadmodum satis non est, multa grana coacervata esse, ut panis fiat, nisi in mola pariter commolantur, ita et nos cogitemus, satis non esse ut panis Domini simus, si in unum colligamur, nisi nos ipsos pariter omnes etiam cum omnibus carnis nostrae affectibus omnibusque rationis nostrae consiliis, quod ad Divina potissimum attinet, in mola verbi Divini commolendos ultro ad nostri abnegationem et crucis tolerantiam praebeamus.

3. Quemadmodum neque hoc satis est ut panis fiat, si grana coacervata commolantur, sed, ubi commolita sunt, repurgari illa demum oportet, ut mundus panis fiat, — ita et nos cogitemus nostri debiti officiique esse, omnes crassos in coetu nostro furfures, qui commolita grana quoquo modo adhuc dedecorant, neque se mutuis ex verbo Dei admonitionibus per usum disciplinae Ecclesiasticae repurgari ullo modo patiuntur, inter nos nobis haudquaquam ferendos esse, si purus panis in conspectu Christi Domini esse velimus.

4. Quemadmodum panis esse (266) adhuc non potest, posteaquam collecta commolitaque ac repurgata sunt grana omnia, ex quibus panis fieri debest, nisi addita praeterea etiam aqua in pastam unam ita sane coagulentur, nt dissipari amplius non possint, — ita et nos cogitemus satis adhuc non esse, ut Dominicus panis simus, si nobis

collecti iam commolitique ac repurgati omnino esse videamur, sed nos oportere adhuc effusam in nos habere aquam illam vivificam, quam Christus Dominus solus iuxta Patris sui coelestis beneplacitum effundere in nos potest, sanctum inquam atque adorandum Spiritum, cuius vinculo Divino in unam pastam nexu indissolubili ita coaduhemur, ut una sit mens, una voluntas et una fides nostrum omnium in Christo, cuius nos panem esse profitemur.

5. Quemadmodum ne tum quidem adhuc absolutus panis est, dum grana in unum collecta commolitaque ac repurgata, denique et in unam pastam coadunata iam habentur, sed formari pastam illam oportet in panis formam ac in furnum tandem etiam ignitum, ut torreatur, reponi, — ita et nos cogitemus satis adhuc non esse, siquidem absolutus iam panis Domi-(267)nicus esse velimus, ut in unum collecti commolitique ac repurgati, denique et in unam pastam redacti etiam simus, sed nos per omnem vitam nostram ad exemplar Christi, qui vitae nostrae panis est, formari oportere, sic ut illius forma in nobis conspici possit et ad omnes praeterea vitae huius pressuras afflictiones ac persequutiones expositos esse, ut nos velnti in furno quodam exerceri atque panis instar torreri non recusemus, siquidem in nos Dominus aliquid, pro beneplacito voluntatis suae, permittere velit.

Haec ita de panis consideratione dicuntur in ea, quae post Coenam administratam habetur, admonitione, ut omnes in Ecclesia verum se panem Dominicum esse in exprimendis hisce panis proprietatibus declarent pro suorum quisque donorum mensura. Protrahuntur autem, aut etiam contrahuntur omnes istae admonitiones, pro eo, ac res id ac tempus etiam postulare videntur.

Finita vero extrema hac admonitione, canitur Psalmus lingua vulgari a tota Ecclesia, quo absoluto, dimittitur Ecclesia more alias solito cum pauperum commen-(268)datione et totius Ecclesiae benedictione.

Diaconi autem ad portas templi, ut alias quoque dictum est, eleemosynas pro pauperibus colligunt, panisque ac vini, quae ex Coenae usu superfuerunt, reliquias pauperibus Ecclesiae, ut quisque opus habet, largiuntur, praesertim si qui sint valetudinarii aut natu alioqui grandiores. Atque de Coenae ceremonia tantum. Iam de Disciplina eiusque usu dicendum erit.

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA ET EIUS USU IN ECCLESIA PEREGRINORUM LONDINI.

Cum fere abolitus sit iam ubique legitimus disciplinae Ecclesiasticae usus et magna hominum pars ignorare propemodum videatur, quidnam sit disciplina Ecclesiastica et qua in re potissimum etiam consistat, non abs re fuerit haec paucis indicare, quo facilius etiam legitimus disciplinae usus in nostra Ecclesia a piis omnibus agnosci possit. Disciplinae igitur diffinitionem ante omnia ponemus cum eius approbatione. (269)

Disciplina Ecclesiastica est certa quaedam e scripturis petita ratio observandi gradatim Christianas admonitiones ex verbo Dei inter fratres invicem omnes in Ecclesia Christi, ut et corpus universum singulaque illius membra in suo officio, quoad eius fieri potest, contineantur, — et, si qui in illa deprehendantur obstinati admonitionum istiusmodi contemptores, ut Satanae ad extremum per excommunicationem tradantur, si quo modo per talem pudefactionem et caro in illis interire, quod ad affectus illius attinet, et spiritus ita demum revocari ad resipiscentiam ac proinde servari etiam possit.

Hanc porro diffinitionem per singulas illius partes approbari oportet, ne quid in illa temere positum esse videatur: id quod iam facere aggrediemur.

1. Diximus, disciplinam Ecclesiasticam esse certam quandam rationem observandi admonitiones, ut intelligamus, neque dubiam neque item vagam aut exlegem esse, sed niti certis ac solidis scripturae testimoniis, et certum item ordinem certosque fines suos (270) habere, quemadmodum in reliquis diffinitionis partibus comprehensum habetur. Estque hic velut genus quoddam in nostra diffinitione ratio observandi admonitiones, ut iuxta reliquas diffinitionis partes admonitiones, quae disciplinae Ecclesiasticae sunt propriae, a quibuslibet aliis admonitionibus discernantur.

2. Ut ostenderemus certam minimeque dubiam esse, diximus, esse petitam é scripturis, ne quis illius negligentiam aut contemptum, tanquam humanae alicuius traditionis, impunem fore arbitretur. Ut igitur constet, esse certam rationem observandi admonitiones, quam

Deus in sua Ecclesia observari velit, fontes illius proferemus. Christus Dominus apud Matthaeum et Lucam iubet, ut offensi quoquo modo per fratrem admonitionibus apud illum utamur [1]). Paulus item monet Thessalonicensium Ecclesiam, ut admonitiones adversus inordinatos fratres ne praetermittat ullo modo [2]). Idemque Hebraeos diligenter hortatur ad observandas admonitiones, ne qui inter illos neglectis admonitionibus per peccati seductionem indurentur [3]). Ac rursum graviter obiurgat Corinthios, quod (271) usu disciplinae adversus eum, qui cum noverca consuetudinem habebat, neglexissent [4]). In hisce sane scripturae locis extant fontes manifesti observandarum admonitionum in Ecclesia Christi, ut eas sine gravi culpa intermitti non posse constet.

3. Ut ostenderemus, admonitiones in usu disciplinae non esse vagas aut exleges, sed certum suum habere ordinem, iuxta quem observari debeant, diximus illas gradatim observandas esse. Habent nimirum admonitiones in usu disciplinae ordinem suum, certis quibusdam gradibus constantem, quos alibi non ita oportet observari. Ita Christus Dominus vult, ut eos fratres, per quos offensi aliquo modo sumus, primum soli solos, deinde uno atque altero teste adhibito, postremo totius Ecclesiae autoritate redarguamus.

4. Diximus eas admonitiones, quae ita gradatim observari debeant, oportere esse Christianas, ut intelligamus tria nobis peculiariter observanda esse in illarum usu. Primum, ut ex mera charitate Christiana candidoque et amanti pectore proficiscantur, non equidem traducendi, sed lucrifaciendi fratris studio, neque item ad nostri (272) ipsorum ostentationem, sed ad Ecclesiae totius aedificationem. Deinde, ut nobis certe constet, id, de quo frater aliquis sit admonendus, pugnare omnino cum verbi Divini doctrina facereque contra fidem nostram aut charitatem. Alioqui hypocriticum est potius, quam Christianum, ea redarguere velle, quae cum doctrina verbi Dei consistere simul possunt. Postremo, ut modestiam ac prudentiam Christianam in nostris istiusmodi admonitionibus adhibeamus. Nempe ut, si res incerta sit, de qua frater aliquis debeat admoneri, amanti aliqua sciscitatione duntaxat temperetur. Si vero res plane sit certa, ut rursum videamus, multisne iam sit cognita nec ne, multosne secum item aut totam forte etiam Ecclesiam ita involvat, ut in discrimen aliquod induci possit. Si enim res multis iam est cognita multosque secum periculo alicui involvit, plures sane adhiberi possunt in prima etiam amonitione. Si vero ad totam alioqui Ecclesiam eiusve ministerium pertineat, ut ad Seniores Ecclesiae protinus deferatur, quibus sane

[1]) Matth. 18. Luc. 17. [2]) 1 Thess. 5. [3]) Hebr. 12. [4]) 1 Cor. 5.

curam et gubernandae et conservandae Ecclesiae demandatam esse constat. Christi enim doc-(273)trina de solo fratre primum omnium privatim admonendo ad eos duntaxat pertinet, qui unum duntaxat aliquem, non autem simul multos, nedum totam Ecclesiam aut offenderunt aut in discrimen aliquod induxerunt. Et lex ipsa charitatis hoc postulat, ut totius corporis plurimve adeo membrorum etiam in uno eodemque corpore maior sane, quam unius duntaxat membri, ratio habeatur, et, quemadmodum Christus ipsemet docet [1], praestat, corpus ipsum, cum reliquorum membrorum compage servari, uno aut altero membro mutilatum, quam ut propter unum membrum corpus totum eiusque compages dissipentur.

5. Diximus, Christianas istiusmodi admonitiones, quae in usu disciplinae observari debeant, ex verbo Dei petendas esse, ut intelligamus, satis non esse, si sciamus id, de quo fratrem volumus admonere, cum doctrina verbi Divini non posse consistere, sed oportere etiam nostras admonitiones formari ex verbo Dei, ut, qui est admonendus, videat se non tam nostra, quam Divina potius autoritate, admoneri, convincaturque in corde suo, non tam nos in nostris admonitionibus, si illas reiiciat, quam Di-(274)vini verbi potius Deique adeo ipsius autoritatem contemni, — id quod equidem, qui vel micum Christianae mentis habent, facile intelligent, a se quam longissime abesse oportere — et quae nos offendunt, ex verbo Dei arguenda sunt, ne, si verbum Dei non proferamus, peccata peccatis erroresque erroribus commutare potius, quam corrigere velle videri possimus [2].

6. Diximus, Christianas istiusmodi admonitiones inter fratres in Christi Ecclesia observandas esse, ut intelligamus, usum disciplinae, quemadmodum eos non complectitur, qui sunt extra Ecclesiam, ita rursum ad omnes omnino, qui modo pro membris Ecclesiae haberi volunt, pertinere, neque quenquam omnino in Ecclesia aut posse, aut debere se eximere quoquo modo ab usu disciplinae, quocunque tandem in illa ministerio fungatur, aut quacunque dignitate etiam alios antecellat. Nimirum vinculum societatis Ecclesiasticae adigit omnes in Ecclesia sine ulla cuiusquam exceptione ad mutuam aliorum pro aliis curam ac sollicitudinem; quam nobis omnes invicem tanquam unius corporis membra iuxta Pauli doctrinam debemus, etiamsi alia a-(275)liis inter nos longe praestantiora esse non dubitemus. Atque hic sane se prodit Papae Romani et Episcoporum suorum omnium a vera Christi Ecclesia defectio, quod sese ab usu disciplinae Ecclesiasticae contra verbum Dei exemerunt, abolitaque Ecclesiae per Seniores illarum gubernatione atque usu ita demum

[1]) Matth. 5, 18. Marc. 9. [2]) 1 Cor. 6.

etiam disciplinae abolito, dominatum sibi nescio quem in Ecclesiis usurparunt, et haeresim esse interpretantur, si quis illos ad primaevum rursus Ecclesiae ordinem revocare et Ecclesiae cuiusque gubernationem legitimis illius Presbyteris seu Senioribus restitui velit, quod tamen nisi fiat, neque legitima sane Ecclesiarum, quod ad Divina attinet, gubernatio, neque usus item disciplinae haberi ullo modo potest. Eos porro, qui sunt extra Ecclesiam, nihil attinet sub disciplinae usum cogere. Dominus enim illos indicabit, quemadmodum Paulus docet. Praetermitti tamen in nobis non debent interim occasiones et istos lucrifaciendi, si ullae se modo offerant, nisi quod gradus suprascriptos admonitionum apud eos non oporteat observari.

7. Diximus, eas admonitiones inter omnes invicem fratres observandas (276) esse, ut intelligamus usum disciplinae Ecclesiasticae non tantum in faciendis, sed etiam in recipiendis admonitionibus positum esse, et, qui admonentur, tam se peccare intelligant in Christum Dominum et Ecclesiam ipsius, si fraternae admonitiones non amanter, ut debent, ac reverenter recipiant iuxta usum disciplinae, quam illi etiam in Christum et eius Ecclesiam peccant, qui fratris sui curam, pro quo Christus est mortuus et qui pro eiusdem corporis membro habetur, neglectis admonitionibus, habendam sibi non esse putat.

8. Ut fines disciplinae Ecclesiasticae exponeremus, diximus eas omnes admonitiones, quae ad usum disciplinae pertinent, ita observandas esse, ut corpus universum Ecclesiae et singula illius membra in suo officio contineantur, ut intelligamus, usum disciplinae institutum esse in Christi Ecclesia, non equidem in condemnationem, sed in remedium potius infirmitatis nostrae omnium, ut eam usu disciplinae veluti freno quodam cohibeamus, tam in universo in genere Ecclesiae corpore, quam in singulis peculiariter etiam (si quomodo id fieri queat) membris illius, sine ulla (277) cuiusquam exceptione. Et res ipsa loquitur, usum disciplinae in Ecclesia non solum esse frenum salutare infirmitatis nostrae in corruptela hac naturae nostrum omnium, ne illi nimium indulgeamus, sed esse etiam vinculum longe solidissimum adeoque et veluti pabulum quoddam in Ecclesia mutuae invicem omnium charitatis et libertatis Christianae. Nec abs re disciplina Ecclesiastica idem esse dicitur in Ecclesia ad eius conservationem, quod sunt nervi in compage ipsa corporis humani.

9. Diximus, eas praeterea admonitiones ideo etiam observandas esse, ut, qui illas obstinato animo contemnendas esse putant, Satanae ad extremum tradantur, ut ostenderemus, quousque progrediendum sit in usu Ecclesiasticae disciplinae. Nempe cessandum nobis non esse, etiamsi apud eos, qui admonentur, praereptum nobis quodam-

modo fructum admonitionum nostrarum esse videamus. Etsi enim singula membra in suo officio retineri non possunt, cura nobis tamen propterea totius Ecclesiae non est intermittenda, sed est admonenda Ecclesia, ut sibi ab istiusmodi contemptoribus disciplinae Ecclesiasti-(278)cae deinceps caveat, ne simili indulgentiae in peccatis contagione inficiatur. Et contemptores ipsi resecandi sunt a reliquo Ecclesiae corpore per publicam denunciationem, ut et Ecclesia sciat, a quibus sibi cavere debeat, et, qui peccarunt in contemnendis admonitionibus, sentiant se etiam a societate Ecclesiastica et omni deinceps usu disciplinae, tanquam deploratos homines, exclusos esse, neque aliud sibi iam ab Ecclesia expectandum esse, quam quod eiectis e societate aliqua usu venire solet. Nempe, ut, nisi culpam ipsa suam agnoscant proque illa veniam petant et se rursum Ecclesiae per publicam poenitentiam reconcilient, nunquam sint omnino in Ecclesiam recipiendi.

10. Diximus, contemptores disciplinae tradendos esse Satanae, si quo modo in illis et caro interire, quod ad eius affectus attinet, et spiritus per resipiscentiam servari demum possit, ut intelligamus, quanta poena contemptores istiusmodi maneat, nisi in tempore resipiscant, at rursum excommunicationem in Ecclesia, non ad condemnandos sane homines institutam esse, sed ad liberandos potius a commonstrata condemnatione per publi-(279)cam pudefactionem,— impietate vero nostra atque induratione id fieri, ut, quemadmodum Lex ad vitam alioqui data, in mortem nobis nihilominus cessit per carnis nostrae corruptelam [1]), ita et excommunicatio, in remedium condemnationis nostrae instituta, cedat nihilominus tandem tandem in ipsam condemnationem. Ita sane et qui sunt extra Ecclesiam, palam alioqui blasphemi ac flagitiosi homines, denique et Tyranni et Haeretici publici, non equidem ideo apud Ecclesiam publice denunciantur, ut per eiusmodi denunciationem orco tradantur, sed ipsorum impietate atque obstinatione fit, ut in istiusmodi denunciationibus suam ipsi condemnationem agnoscere cogantur, dum illas praesertim niti sentiunt invicta verbi Divini autoritate. Unde et a Paulo αὐτοκατάκριτοι vocantur [2]). Denonciantur porro apud Ecclesiam tyranni, haeretici palamque blasphemi ac flagitiosi homines, ne quo modo Ecclesia ab illis tanquam a furibus ac latronibus lupisve aut aliis noxiis feris impleatur, id quod alioqui et ab ipsomet Christo Domino et ab eius Apostolis factum videmus.

Habemus igitur iam explicatas atque (280) approbatas partes omnes nostrae huius diffinitionis. Nunc restat, ut qua in re potissimum usus disciplinae Ecclesiasticae positus sit, videamus.

[1]) Rom. 7. [2]) Tit. 3.

Qua in re consistat usus Ecclesiasticae disciplinae.

Pudet referre, quibus in rebus disciplinae usum constitutum esse in Papae Ecclesia videamus, ubi soli Monachi usum disciplinae inter sese, in suo quisque et quidem reformato, ut vocant, ordine retinnuisse videri volunt. Nec est nostri instituti in his nunc immorari, sed potius, ut de legitimo Ecclesiasticae disciplinae usu et, qua in re potissimum consistat, exponamus.

Ex praemissa vero disciplinae Ecclesiasticae diffinitione eiusque explicatione facile est videre, qua in re potissimum consistat usus legitimus ipsius, nempe in faciendis ac rursum recipiendis invicem iuxta gradus suos inter fratres admonitionibus Christianis, et non ferendo in Ecclesia contemptu illarum quoquomodo, quemadmo-(281) dum utrumque id in ipsa diffinitione eiusque explicatione satis iam aperte expositum habetur.

Ex praescriptis autem admonitionum gradibus facile etiam apparet, duplicem usum habendum esse disciplinae Ecclesiasticae in Ecclesia Christi, nempe privatum et publicum, privatumque publico semper praemittendum, praeterquam si aut manifesta contemptus indicia in eo, qui admonendus esset, conspiciantur, aut flagitium ipsum ita iam plerisque innotuit, ut caelari iam amplius non possit, ut multos secum alioqui totamque forte Ecclesiam in praesens aliquod discrimen adducat.

Publicum vero disciplinae usum adhibendum esse post contemptas privatas admonitiones, aut si flagitium sit, ut iam dictum est, vel prorsus publicum, vel notius quam ut caelari amplius possit, vel multos secum totamque forte Ecclesiam praesenti periculo involvat.

Ad privatum igitur disciplinae usum pertinere, duos priores illos a Christo Domino praescriptos admonitionum gradus. Nempe ut frater a fratre offensus, primum solus solum, deinde adhibito altero plu-(282) ribusve admonitionis sociis redarguat admonitusque vicissim, pareat admonitioni.

Publicum vero disciplinae usum esse, dum, re aliqua ad Ministros ac Seniores Ecclesiae delata ac fide dignis testimoniis comprobata, per Ministros primum ac Seniores in coetu ipsorum, deinde vero coram tota Ecclesia instituuntur admonitiones ac reprehensiones, donec ad excommunicationem perveniatur, — ac rursus dum, qui excommunicatus est, per publicam reconciliationem et poenitentiam in coetum Ecclesiae cooptatur.

In legitimo igitur disciplinae Ecclesiasticae usu observari oportet, pro eo ac res incidunt, et privatas et publicas admonitiones, quales in diffinitione praescribuntur, reprehensiones item publicas, donec ad excommunicationem perveniatur, et publicam praeterea excommu-

nicatorum, si resipiscant, in coetum rursus Ecclesiae receptionem, per publicam poenitentiam et reconciliationem. Et observari haec omnia oportet inter omnes invicem fratres Ecclesiae sine ulla cuiusquam exceptione omnino, qui modo se Ecclesiae adiunxit, sive sit in ministerio, sive non sit in mini-(283)sterio, sive sit summus, sive infimus. Subesse enim Christo Domino oportet universum corpus ipsius, tanquam summo capiti nostro omnium in doctrinae suae observatione, etiamsi membra in corpore alia aliis longe sint praestantiora. Neque sane pugnat cum membrorum praestantiorum dignitate, sed illam ornat potius, si sceptro regio Christi Domini, verbo inquam ipsius et eius disciplina regantur.

Haec vero ita praefati de disciplina Ecclesiastica, ad exponendum iam demum illius in nostris hic Ecclesiis usum venicmus. Et, quoniam plura observentur in retinendo inter Ministros disciplinae usu, quam inter reliquam Ecclesiae plebem, eo quod illi et reliquae Ecclesiae veluti exemplaria quaedam esse et curam praeterea ac custodiam retinendae tuendaeque verae in illa religionis habere debent [1], primum de usu disciplinae in plebe Ecclesiae, deinde vero de his, quae inter Ministros ipsos observantur, dicemus. Prius autem privatum, deinde vero publicum illius usum exponemus.

[DE USU DISCIPLINAE IN PLEBE.]

De privato disciplinae Ecclesia-(284)sticae usu in plebe ipsa.

Primum monentur saepenumero in Ecclesia omnes in publicis concionibus de praecipuis cuiusque singillatim officiis, quae sine offendiculo intermitti non possunt. Etsi enim magna sit officiorum varietas pro aetatis cuiusque vocationumque multarum ratione, sic ut ad omnia illa praestanda admonitiones iuxta usum disciplinae institui non possint, cum de eorum neglectu non protinus constare queat, — sunt tamen quaedam plebis in Ecclesia officia, quae ab omnibus, qui pro membris Ecclesiae haberi volunt, ita sunt retinenda, ut eorum custodia ad usum disciplinae pertineat omnino, neque ad illorum negligentiam conniveri ullo modo aut debeat aut possit. Ea vero partim intuentur Deum ipsum in cultu atque obedientia ipsius, partim Ministros Ecclesiae publicos illorumque ministerium, partim autem mutuam invicem fratrum in Ecclesia omnium societatem.

Officia plebis totius in Ecclesia et omnium membrorum illius, quae Deum ipsum in cultu atque obedientia ipsius intuentur, (285) sunt in iis potissimum posita:

[1]) 1 Pet. 5.

1. Ut quisque in Ecclesia suam in Deum fidem ore suo pro doni sui mensura contestetur, priusquam ad Coenae Dominicae usum admittatur.

2. Ut institutum a Christo Domino in sua Ecclesia cultum publicum in publico verbi, Sacramentorum et obsecrationum ministerio quisque diligenter observet.

3. Ut suam quisque infirmitatem in Ecclesia, quod ad legis Divinae obedientiam attinet, ingenue agnoscat, in illa se sibi displicere, illam se accusare proque illa se veniam petere oportere semper testetur.

Plebis item in tota Ecclesia omniumque illius membrorum officia erga Ministros et ipsorum ministerium in hoc potissimum sunt posita:

1. Ut quisque in Ecclesia publicum illius a Deo institutum ministerium, non hominum sed Dei ipsius ministerium esse agnoscat illudque ut Dei ordinationem veneretur ac suscipiat.

2. Ut Ministris suis legitimis quisque in Ecclesia, tanquam Christi ipsius legatis in ipsorum ministerio, imo vero tanquam Christo ipsimet Domino, per illos Ecclesiam suam (286) gubernanti, pareat: admonitiones illorum, tam privatas, quam publicas reverenter atque amanter admittat, et ab omni adversus illos murmuratione modis plane omnibus sibi caveat.

3. Ut non solum sibi quisque a murmurationibus contra Ministros in Ecclesia caveat, sed ut, si quos alios murmuratores novit, illos privatim primum, deinde uno atque altero teste adhibito, redarguat, et, si admonitiones suas contemni videt, ab illorum familiari consuetudine se subducat remque ad Ministros Ecclesiae deferat.

4. Ut quisque in Ecclesia consensum doctrinae unanimem una cum Ministris retinere se ac tueri apud omnes debere statuat, et, si quid in doctrina vitave Ministrorum desiderat, illos prius observatis admonitionum gradibus redarguat, quam eos quoquo modo ministeriumve illorum traducat.

5. Ut quisque in Ecclesia intelligat atque agnoscat esse debiti officiique sui, ut pro sua virili adiumento sit toti Ecclesiae in alendis ac fovendis Ministris ipsius. Aequum est enim, ut, qui seminant spiritualia, me-(287)taut corporalia apud eos, quibus coelestia seminarunt, neque desit pabulum apud eos bovi trituranti, apud quos ille triturat [1]).

Quae autem plebis totius ac singulorum membrorum in Ecclesia officia ad mutuam fratrum invicem omnium societatem pertinent, in hoc imprimis consistere videntur:

---

[1]) 1 Cor. 9.

1. Ut quisque in Ecclesia totius simul corporis Ecclesiae imprimis, deinde vero singulorum ipsius membrorum inter sese, quoad eius fieri potest, pacem concordiam atque unitatem sub verbi divini obedientia observet custodiat promoveat ac tueatur pro sua virili neque illam, quod in ipso est, scindi quoquo modo perturbarive sinat.

2. Ut quisque in Ecclesia, sicubi aliquis in praestandis hisce iam praedictis officiis cessare videatur, aut praestanda non esse dicat, alius alium fraterne ex verbo Dei admoneat et alius ab alio vicissim admonitiones eiusmodi libenter accipiat neque illis offendatur ullomodo.

3. Ut quisque in Ecclesia talium admonitionum contemptores, siquidem e coetu sint Ecclesia, adiuncto sibi uno atque alte-(288)ro fratre redarguat, et, si eiusmodi quoque admonitionem ac reprehensionem contemni videat, ut rem ad Ministros ac Seniores Ecclesiae deferat.

Ad observanda igitur haec in coetu Ecclesiae et inter singula illius membra officia, privatus disciplinae Ecclesiasticae usus urgetur ac retinetur in nostris Ecclesiis per privatas inter fratres invicem omnes in Ecclesia admonitiones. Et docentur fratres Ecclesiae omnes, esse debiti officiique ipsorum, ut ad horum officiorum negligentiam cessationemve aut contemptum inter sese non conniveant quoquo modo, paremque culpam esse eorum, qui ad haec connivent silentioque illa suo alunt, cum iis, qui negligentia cessationeve aut contemptu officiorum istiusmodi peccant; neque minus dignos esse reprehensione ac disciplinae usu eos, qui scientes ac volentes per suum silentium indulgent negligentiae cessationi aut contemptui praedictorum officiorum inter fratres, quam illi reprehensione usuque disciplinae digni sunt, qui negligentiae ipsimet cessationisve aut contemptus istiusmodi culpa tenentur.

Monentur autem subinde in Ecclesia (289) omnes, ut in omnibus suis privatis istiusmodi admonitionibus eorum semper sint memores, quae in illis iuxta suprascriptam disciplinae diffinitionem requiruntur, nempe ut iuxta gradus suos instituantur, ut, qui admonetur, intelligat Christianas esse petique ex verbo Dei, et ut inter omnes invicem fratres in Ecclesia sine ulla cuiusque exceptione observentur. De quibus alioqui iam satis est dictum in ipsa diffinitionis approbatione, in 3, 4, 5, 6 et 7 observatione.

Docetur item Ecclesia admonitiones eas, quae uno atque altero fratre adhibito instituuntur, ad privatum adhuc disciplinae usum pertinere, et proinde non prius esse invulgandum peccatum admoniti cuiusvis fratris per eos, qui illum admonuerunt, quam ad Ministros ac Seniores Ecclesiae referatur lapsusque frater per illos publici ministerii nomine reprehendatur, nisi si crimen ipsum ita per se sit

publicum, ut caelari non possit, aut ita grave, ut illud propter maiora pericula vitanda oporteat publicari.

Ex his vero omnibus facile est iam videre, in quibus potissimum consistat privatae disciplinae usus in nostra Ecclesia. (290) Nempe in observatione mutua inter fratres Ecclesiae omnes earum admonitionum, quae aut ab uno duobusve demum aut tribus fratribus apud lapsum aliquem fratrem fiunt atque ex Christiano pectore iuxta verbi divini praescriptum proficiscuntur. Sic ut non eos solum admoneri ad hunc modum oporteat, qui negligentia cessationeve aut contemptu suorum officiorum peccant, sed illos etiam, qui scientes ac prudentes ad haec connivere silentioque illa suo alere sciuntur. Atque de privatae disciplinae usu tantum, quam equidem observari oportet, priusquam ad publicae disciplinae usum perveniatur, de qua iam demum etiam dicemus.

De publico disciplinae usu in plebe Ecclesiae.

Publicae disciplinae usus in plebe Ecclesiae non alias locum habet, nisi aut post contemptas privatas admonitiones omnes, aut si facinus ita sit publicum, ut caelari non amplius possit, aut ita alioqui grave, ut propter graviora multorum totiusve Ecclesiae pericula publicari omnino oporteat.

Quemadmodum autem privatae disci-(291)plinae initium sumitur a privatis unius apud alterum fratris admonitionibus, siquidem res privatim transigi possit, — ita publicae disciplinae initium sumitur ab iis, quae in Ministrorum duntaxat ac Seniorum Ecclesiae coetu habentur, admonitionibus, posteaquam frater apud illos aliquis accusatus est, qui aut privatas omnes admonitiones contempsisset, aut publicum aliquod flagitium designasset, aut aliquid eiusmodi commisisset molitusve esset, quod sine multorum totiusque forte Ecclesiae periculo premi haudquaquam posset.

Habet vero publica disciplina, quemadmodum et privata, gradus suos, quos observari oportet in legitimo usu ipsius, ut omnia ordine in Ecclesia fiant. Primum enim accusari legitime oportet sub gravi ac fide digno duorum aut trium ut minimum testimonio coram coetu Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae eos, qui publici ministerii Ecclesiastici nomine redargui reprehendique debent. Deinde, qui ita iam accusantur, in ipso etiam Ministrorum ac Seniorum coetu sub fide silentii ipsorum reprehendi redarguique ex verbo Dei ita debent, ut ad resipiscentiam et (292) peccati sui agnitionem veluti manuducantur et invitentur. Postea, qui ad hunc modum sunt reprehensi, agnita peccati sui culpa, illam vel apud coetum ipsum Ministrorum ac Se-

niorum Ecclesiae deprecari, et cum omnibus, quos ullo modo offenderunt, sese reconciliare debent pro eo ac Ministri ac Seniores Ecclesiae id iudicant magis facere ad Ecclesiae aedificationem. Postremo, si ad hunc modum reprehensus quispiam in Ecclesia frater peccati nihilominus sui culpam neque agnoscere neque deprecari ullo modo velit, Ministri et Seniores Ecclesiae progrediuntur in publico disciplinae usu usque ad obstinati fratris istiusmodi excommunicationem. De quibus singillatim omnibus iam nobis dicendum erit.

De accusatione lapsi alicuius fratris apud Ministros ac Seniores Ecclesiae.

Circa accusationem adversus fratrem pluresve in Ecclesia apud Ministros et Seniores instituendam haec ita observari omnia solent: (293)

1. Ut omnis apud Ministros et Seniores accusatio non nisi sub gravi ac fide digno duorum aut trium testimonio instituatur.

2. Ut accusatores peccatum admoniti fratris non apud alios traducant post contemptas privatas suas admonitiones, sed illud Ministris ac Senioribus indicent, si quo modo fieri possit, ut offensi fratres in coetu Ministrorum sine ulteriore peccati publicatione per fratrem admonitum reconcilientur, praeterquam si peccatum sit aut ita publicum, at sit iam in ore multorum, aut ita noxium, ut sine multorum totiusve Ecclesiae periculo caelari neque debeat neque possit.

3. Ut nulla per Ministros ac Seniores recipiatur accusatio, nisi de iis, quae vel doctrinae sanae consensum legisque divinae obedientiam violare, aut pacem tranquillitatemve publicam vel ordinem ac gubernationem ministerii in Ecclesia, seu mutuam alioqui fratrum inter se invicem omnium societatem perturbare aut labefactare quoquo modo posse videantur.

4. Ut omnes istiusmodi accusationes in charitate et modestia (294) Christiana, non equidem infamandi, sed lucrifaciendi fratris studio instituantur. Qui enim infamandi fratris studio accusationes instituunt, non minus sunt digni publica reprehensione, quam is, qui accusatus est, tametsi peccatum illorum eum, qui accusatur, culpa sua non liberet: debentque accusatores cum accusato in coetu Ministrorum protinus reconciliari, quatenus in sua adversus illum accusatione sunt transgressi fines charitatis ac modestiae Christianae.

De prima accusati alicuius fratris per Ministros et Seniores in coetu ipsorum reprehensione.

Circa primam accusati fratris cuiuspiam in coetu Ministrorum ac

Seniorum Ecclesiae reprehensionem fontes accusationis ante omnia sunt observandi. Num videlicet peccatum accusati fratris eiusmodi sit, ut offensis per illud fratribus in ipso duntaxat Seniorum coetu satisfieri iustaque inter ipsos reconciliatio fie-(295)ri possit, an vero publicam coram tota Ecclesia poenitentiam requirat. Etenim si propter contemptas duntaxat privatas admonitiones in privato etiam peccato frater quispiam accusetur, Ministrorum partes sunt, ut accusato fratri culpam sui peccati ob oculos ipsius ex verbo Dei ponant, et omnia tentent; si quo modo frater ille accusatus peccati sui culpam in medio ipsorum coetu agnoscere et cum iis, quos offendit, unaque et cum Ministris ac Senioribus Ecclesiae, apud quos est accusatus, pariter sese reconciliare possit. Id porro si fiat, actis Deo gratiis iunctisque invicem dextris fit reconciliatio inter accusatum fratrem et qui in illo fuerant offensi, unaque inter illum et Ministros ac Seniores Ecclesiae omnes, posteaquam accusatus frater ille peccati sui culpam agnovit. Si vero frater quispiam propter publicum, pluriesve alioqui post publicas admonitiones Seniorum repetitum aliquod flagitium accusetur, aut quod etiam propter Ecclesiae totius aut bonae illius partis periculum, cum in vita, tum pietate fratrum, caelari minime possit, tum sane partes Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae erunt, ut illum (296) ad publicam coram tota Ecclesia poenitentiam in suis admonitionibus ac reprehensionibus adhortentur. Aequum est enim, ut qui publice pluriesve iam alioqui per Seniores publico ministerii ipsorum nomine admonitus, aut cum totius Ecclesiae bonaeve partis ipsius periculo peccat, publice etiam coram tota Ecclesia culpam peccati sui agnoscat illamque deprecetur. Quodsi accusatus frater quispiam de eiusmodi flagitio, quod publicam requirat poenitentiam, sequi velit Ministrorum ac Seniorum admonitionem, constituitur illi per Ministros ac Seniores certus dies, quo id facere debeat, quemadmodum postea circa formam publicae poenitentiae dicetur.

De progressu disciplinae publicae post primam in coetu Ministrorum ac Seniorum admonitionem.

Si post primam in coetu Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae admonitionem accusatus frater aliquis, sive propter contemptas (297) privatas aliorum fratrum in privato peccato admonitiones, sive propter publicum aliquod flagitium, aut quod sine Ecclesiae totius periculo bonaeve illius partis caelari haudquaquam possit, neque culpam peccati sui agnoscere interim, neque illam vel in Ministrorum ac Seniorum omnium coetu, vel coram tota Ecclesia (si ita res postulet)

deprecari velit, sed, contempta Ministrorum ac Seniorum admonitione, in peccato sibi suo indulgere nihilominus pergat, dantur illi dies aliquot, ut intra illos secum cogitet, quidnam facere velit. Interea vero duobus aut tribus Senioribus negotium datur, ut eum oportuno aliquo tempore adeant et debiti rursum officiique sui privatim admoneant, atque, si ad constitutum diem illum frater accusatus ille det signa aliqua verae resipiscentiae, ad Ministros rursum ac Seniores vanit. Et, si propter contemptas duntaxat privatas in peccato privato admonitiones accusatus est, dant operam Ministri ac Seniores, ut in coetu ipsorum, re non amplius invulgata, reconciliatio fiat. Si vero propter publicum aliquod flagitium, vel quod propter totius Ecclesiae bonaere illius partis peri-(298)culum, ut ante dictum est, minime caelari possit, accusatus est, et signa poenitentiae publicae ad diem constitutum aliqua dederit, dies illi rursum praefigitur a Minisiris ac Senioribus publicae poenitentiae peragendae, pro eo ac id Ministris ac Senioribus Ecclesiae videtur expedire. Quodsi autem is, qui propter contemptas privatas duntaxat in privato peccato admonitiones, ne post alteram quidem in coetu Seniorum admonitionem culpam adhuc suam agnoscere eamque nec apud fratres offensos, nec apud Seniores Ecclesiae deprecari velit, tum illi tempus adhuc cogitandi de resipiscentia permittitur ad proximum Dominicum diem. Ante quem diem nisi et cum fratribus offensis et cum Ministris ac Senioribus Ecclesiae reconcilietur, tum eo ipsó die Dominico Ecclesiastes in publica concione peccatum fratris illius simulque et contemptum admonitionum ordine omnium coram tota Ecclesia exponit, suppresso tamen adhuc illius nomine, si quo modo per peccati duntaxat sui illam sine nomine denunciationem frater ille accusatus ad resipiscentiam adhuc culpaeque in coetu Seniorum agnitionem ac deprecationem (299) induci possit, instituiturque post talem denunciationem precatio publica pro fratre illo, et simul monetur Ecclesia, ut, qui cum accusato fratre illo familiarius vivere consueverunt (quatenus illis quidem est notus), eum conveniant et ad resipiscentiam hortentur. Rursumque dies alius designatur per Ecclesiasten e suggestu, ante quem, ut se frater ille et cum fratribus, quos offendit, et cum Ministris ac Senioribus Ecclesiae reconciliet in medio ipsorum coetu, publice iam tertio admonetur. Porro si neque post tertio constitutum iam reconciliationis diem frater ille, propter contemptum toties repetitarum admonitionum accusatus, culpam suam in coetu Seniorum agnoscere adhuc ac deprecari velit, tum demum eodem loco plane habetur deinceps cum iis, qui propter publicum aliquod flagitium accusantur: nempe ut sine publica coram tota Ecclesia poenitentia ad reconciliationem non amplius admittatur. Sed, quemadmodum fratres de publico no-

minatim accusati flagitio ad publicam protinus poenitentiam urgentur, ita et isti deinceps sine publica poenitentia ad nullam omnino reconciliationem admittuntur. Et, si neque ad constitu-(300)tum tertio iam reconciliationis diem et fratribus sese, quos offenderunt, et Ministris ac Senioribus in coetu ipsorum reconciliaverint, tum, quemadmodum de publicis accusati flagitiis post alteram in coetu Ministrorum admonitionem, nisi resipiscant, oddito ipsorum nomine corom tota Ecclesia denunciantur et peccatum ipsorum cum omnibus suis circumstantiis publice accusatur, — ita et isti nominatim iam coram tota accusantur Ecclesia, exposito et peccato ipsorum et toties contemptis omnibus admonitionibus tam publicis quam privatis, unoque iam plane atque eodem deinceps loco habentur (quod ad reconciliationem publice faciendam attinet), posteaquam nominatim coram Ecclesia denunciati sunt, ét qui propter publica flagitia accusati sunt, ét qui contemptu admonitionum in privatis etiam peccatis eo rem ad extremum deduxerunt, ut nominatim corom Ecclesia accusarentur.

Quo die vero nominatim iam coram Ecclesia fratres aliqui accusantur, instituitur denuo pro illis per Ecclesiasten publica precatio, et dies rursum constituitur, quo denunciati fratres illi (nisi interea re-(301)sipiscant) sint tandem coram tota Ecclesia cum publico illius luctu excommunicandi. Hortaturque denuo Ecclesiam Minister e suggestu, ut, si qui se aliquid adhuc apud denunciatos fratres illos ad resipiscentiam revocandos efficere ullo modo posse putant, ne id praetermittant omnino, sed pro sua virili toti in hoc incumbant, ne tota Ecclesia in excommunicando fratre suo lugere cogatur. Et, si cui forte in Ecclesia indignum id adhuc quoquo modo videretur, ut denunciati fratres illi excommunicentur, hi ut interea ante ipsum excommunicationis diem rationem sui in hac parte consilii Senioribus, aut privatim aliquibus, aut simul in coetu ipsorum omnibus ex verbo Dei exponant, alioqui Ministros ac Seniores publicum Ecclesiae silentium pro tacito assensu ipsius accepturos esse, atque ita demum ad excommunicationem cum luctu Ecclesiae progressuros.

Ibi vero si denunciati fratres illi ante destinatum excommunicationi diem culpam peccati adhuc sui publice coram Ecclesia agnoscere ac deprecari velint, primum sese cum offensis privatim fratribus Ministrisque ac Senioribus in coetu ipso-(303)rum reconcilient, ut de vera ipsorum resipiscentia constare possit. Deinde vero toti Ecclesiae in publico illius coetu eo ipso die, quo excommunicari debebant, per publicam poenitentiam iuxta infrascriptam ipsius formam reconcilientur. Sin autem in animi sua adhuc obstinatione persteнt, contemptis omnino omnibus admonitionibus, tum demum Ecclesiastes ad constitutum diem illos a coetu ipso Ecclesiae rescindit atque Satanae tra-

dit per excommunicationem, cuius formam alioqui etiam indicabimus post expositum ritum ac ceremoniam publicae poenitentiae, priusquam ad excommunicationem perveniatur.

Ratio ac forma publicae poenitentiae ante excommunicationem.

Nemo ad publicam poenitentiam prius admittitur, quam illius resipiscentia per Ministros ac Seniores Ecclesiae in coetu ipsorum diligenter exploretur, sic ut, qui ad publicam poenitentiam admitti velit, claram prius ac perspicuam dare (304) debeat in coetu Seniorum verae Christianaeque resipiscentiae (displicentiae inquam et accusationis sui in suo peccato) significationem per plenam et disertam culpae suae agnitionem et deprecationem, sic ut in illa a Ministris ac Senioribus nihil omnino desideretur. Interest enim Ministrorum, ne quisquam Christi Ecclesiae ipsique adeo Christo Domino per hypocrisim suam simulatamque poenitentiam, quatenus id quidem caveri potest, illudat. Tum demum vero in iudicio Ecclesiae vere resipuisse quisque existimandus est, dum sibi ipse prae omnibus aliis magis displicet, dum peccatum ipse suum plus caeteris accusat, non autem ullas illius excusationes quaerit, nedum ut alios pari culpa onerare ad peccati sui extenuationem conetur. Alioqui longe abest adhuc a vera Christianaque poenitentia, qui sibi ipse magis quam aliis, ne dicam Ministris Ecclesiae, in peccato suo placet, quive excusationes, aliis suspectas, in peccato suo quaerit, aut qui culpa alios pari aut etiam maiore onerare conatur, quo magis peccatum ipse suum extenuare possit. Ubi igitur notae istae verae Christianaeque poenitentiae in fratre denunciato non conspi-(305)ciuntur, tum sane Ministri et Seniores Ecclesiae post observatos admonitionum gradus, ut dictum est, procedant ad fratris illius denunciati excommunicationem. Si vero notas illas verae Christianaeque poenitentiae videant, agnoscit primum omnium denunciatus frater ille atque etiam deprecatur culpam peccati sui in coetu ipso Seniorum apud offensos peculiariter fratres suos, qui illum accusarant, et simul etiam apud Ministros ac Seniores Ecclesiae omnes. Deinde vero dies constituitur peragendae poenitentiae publicae, quemadmodum supra dictum est, et frater ille denunciatus monetur, ne illum pudeat publice coram tota Ecclesia peccatum suum ultro ac plene agnoscere, quandoquidem et ipsi omnes sint etiam ex aequo peccatores, qui non tam ipsum, quam se ipsos potius in ipsius peccato essent apud Deum pariter omnes accusaturi, pariterque cum ipso etiam veniam peccatorum suorum apud Deum Optimum Maximum imploraturi. Deinde praestare, ut hic in coetu

fratrum nostrorum pudefiamus per peccati nostri agnitionem, quam ut postea coram toto mundo in conspectu Dei Angelorumque ac Sanctorum (306) suorum omnium illud inviti ad aeternam nostram condemnationem agnoscere cogamur, siquidem illud hic agnoscere detrectemus. Hisce et similibus verbis excitatur frater ille denunciatus ad peragendam ultro ac libenter publicam poenitentiam ad Dei gloriam et Ecclesiae aedificationem.

Ad constitutum porro publicae poenitentiae diem concio publica paululum contrahitur, ut brevis quaedam de publicae poenitentiae rationibus tractatiuncula apud Ecclesiam haberi possit. Post concionem igitur, absolutis publicis Ecclesiae precibus, prinsquam Psalmus decantetur, Ecclesiastes orditur tractatiunculam de publica poenitentia in Ecclesia Christi atque illius fontes in scripturis sanctis paucis commonstrat. Oportet enim omnia in Christi Ecclesia institui ad illius aedificationem, et non est alia ulla, iuxta Paulum, legitimae aedificationis in Christi Ecclesia ratio, quam ut, quidquid omnino extruere volumus, id totum posito iam per Prophetas et Apostolos fundamento superstruamus [1]). Fontes porro publicae poenitentiae in illo Christi Domini mandato commonstra-(307)bit, quo praecipitur, ut qui fratrem suum quoquo modo offendit, illi se protinus reconciliet, siquidem ullum opus suum Domino Deo gratum esse velit [2]). Etenim hinc docemur, si plures offenderimus, plures quoque nobis reconciliandos esse, et proinde, si totam forte Ecclesiam aut bonam alioqui illius partem offenderimus, toti nos etiam Ecclesiae reconciliari oportere. Traditur porro nobis ibidem ipse modus etiam eius, quam Christus imperat, reconciliationis, dum eos, quos offendimus, a ire illisque reconciliari iubemur. Et Iacobus vult, ut culpam apud eos nostram agnoscamus veniamque apud illos petamus [3]). Utrumque enim id vox confitendi apud Iacobum complectitur. Quare, ut nobis sunt adeundi fratres, quos offendimus, agnoscendaque est nobis apud illos offendiculi nostri culpa et petenda venia, ut eis reconciliemur, — ita, si totam aliquam Ecclesiam bonamve illius partem offendimus ullo modo, ipsam nobis etiam Ecclesiam in coetu suo adeundam esse intelligemus, quatenus sane universus illius coetus unus in Christo Domino homo esse censetur. Agnoscendaque nobis erit apud totam Ecclesiam offendi-(308)culi nostri culpa et petenda venia, qua parte illam per nos offensam esse nobis conscii sumus, ut illi reconciliemur.

Hoc vero ipsum, nempe reconciliari ad eum modum offensae per nos Ecclesiae, nos publicam poenitentiam vocamus, et fontes illius in scripturis hosce commonstramus.

[1]) Eph. 4. [2]) Matth. 5, [3]) Iaco. 5.

Praeterea idem ipse Christus Dominus „vaeh" suum intonat omnibus, per quos offendicula veniunt [1]), sic ut dubium non sit, sub ea imprecatione censeri omnes, per quos unus quispiam frater, nedum tota Ecclesia offenditur quoquo modo. A qua equidem imprecatione liberari haudquaquam possumus, nisi offendiculum, quod dedimus, rursum omnino tollamus. Quod sane fieri nullo alio modo potest, nisi per eorum, quos offendimus, reconciliationem, quatenus id quidem per nos fieri potest.

Commonstratis autem ad hunc modum publicae coram Ecclesia poenitentiae fontibus, monetur Ecclesia de iis, quae in publica quavis poenitentia imprimis debeant observari, nempe de tribus notis illius. Primo de vera nostri in peccato no-(309)stro, cuius culpam agnoscere et deprecari debemus, displicentia et accusatione, nempe ut nos ipsimet in nostro peccato plus caeteris omnibus accusemus, non autem illud aut excusemus quoquo modo, aut alienorum peccatorum commemoratione extenuemus. Haec enim hypocritarum sunt propria, dum vel inviti culpa se peccatorum liberare non posse vident, interim tamen omnes rimas quaerunt excusandi extenuandique suum peccatum praetextu alienorum peccatorum. Deinde de fiducia remissionis peccati, nempe ut in corde nostro sentiamus quietem nostrae conscientiae, nosque illam etiam coram Ecclesia, pro eo ac possumus, verbis contestemur, remissum nobis esse iam videlicet peccatum nostrum illud, cuius culpam agnoscimus et deprecamur, imo vero omnia etiam alia nostra peccata propter filium Dei, Christum Dominum, et meritum mortis suae. Hic est enim fructus nostrae omnis poenitentiae, ut consolationem in corde nostro ex remissione peccatorum nostrorum in Christo autore Spiritu sancto sentiamus. Postremo de publica totius Ecclesiae in publica istiusmodi lapsorum fratrum poeniten-(310)tia aedificatione, nempe ut quisque in Ecclesia cogitet peccatum fratris ita poenitentis non tam ipsius solius, quam suum etiam totiusque adeo Ecclesiae esse, ut quisque se et totam Ecclesiam in conspectu Dei aeque ream esse statuat, seque pari apud Deum reconciliatione in Christo opus habere, atque lapsum fratrem oportuisse se cum Ecclesia reconciliare in peccato ipsius videt. Ac rursum tota etiam Ecclesia de certa omnium peccatorum suorum remissione consolationem accipiat per attestatoriam illam remissionis peccatorum cum Ecclesia fratris lapsi reconciliationem.

Commonefacta vero ad hunc modum Ecclesia, sistitur frater ille denunciatus in conspectu totius Ecclesiae Ministrique ac Seniores Ecclesiae illum circumstant obversa ad Ecclesiam facie. Quod ubi

[1]) Matth. 18. Luc. 17.

videt Ecclesiastes orditur eam, quae sequitur, ad totam Ecclesiam admonitionem.

Admonitio ad Ecclesiam super lapso et publice poenitente fratre. (311)

„Viri fratres! constituimus ecce in medio coetu vestro pro nostri ministerii officio lapsum hunc fratrem nostrum, qui ad attestandam apud vos veram suam Christianamque resipiscentiam non recusat peccati sui culpam, quo Dominum Deum eiusque Ecclesiam offendit, publice agnoscere, ad suam quidem, ut videtis, erubescentiam, sed ad Domini Dei nostri gloriam et Ecclesiae huius nostrae aedificationem, cupitque vobis rursum omnibus in conspectu Dei reconciliari, et in vestra adeo fraternitate Ecclesiastica deinceps etiam retineri. Quare vos mihi vestri hic debiti atque officii erga illum nonnihil ex verbo Dei admonendi estis, ut sciatis, quidnam et de lapsi fratris huius et de vestris adeo simul omnium peccatis cogitare omnes debeatis.

„Duo nobis igitur de peccato in scripturis prodita habemus. Alterum, nos omnes sub peccatum conclusos esse. Alterum vero, conclusos quidem esse, sed ut omnes etiam per gratuitam (312) Dei in Christo misericordiam, quod ad Deum quidem attinet, servemur, non autem in peccato nostro pereamus, praeterquam si, contempto Dei erga nos in Christo beneficio, nobis ipsi in peccato nostro placeamus, atque ita demum in illo etiam, iusto Dei iudicio, obduremur. Hinc porro docemur, quidnam et de nostris ipsorum, et de aliorum item peccatis cogitare, ac rursum ad quem modum alii erga alios, hac potissimum in parte, affecti esse debeamus. Dum enim audimus, nos omnes sine ulla cuiusque exceptione sub peccatum conclusos esse, facile intelligimus nos pariter omnes natura nostra in omne scelerum genus semper propendere, et proinde non admirabimur aliorum lapsus ullos, multo minus autem lapsos fratres nostros prae nobis ipsis vel accusabimus vel contemnemus, sed nostri id debiti atque officii esse statuemus, ut aliorum lapsus omnes, quantumvis graves ac detestandos, pro nostris ipsorum lapsibus omnino reputemus. Neque tam lapsos fratres nostros, dum resipiscunt, in lapsu ipso-(313)rum, quam nos ipsos in illis potius intuebimur, neque tam illos prae nobis, quam nos simul omnes cum illis coram Domino Deo nostro potius accusabimus. Etenim, si nos una omnes sub peccatum conclusos esse vere et ex animo credimus, facere equidem non possumus, quin eadem quoque opera fateamur, nihil a nobis alienum esse, quod ab aliis quoquo etiam modo patrari videmus, nisi singulari Dei beneficio

praeservemur; atque gratias sane immortales agemus Domino Deo nostro, si nos in ea ipsa aut etiam graviora vitia prolabi non sinat, in quae alios prolapsos esse audimus. Denique et assiduis nostris precibus instabimus, ne nos deinceps labi etiam patiatur. Sed, dum nobiscum reputamus, nos pariter omnes sub peccatum conclusos venundatosque esse, omnia nobis inter nos peccata sane invicem agnoscenda etiam invicemque ferenda ac toleranda esse, dum resipiscimus, per mutuam charitatem intelligemus. Alioqui ipsimet nos culpa peccatorum nostrorum graviter oneramus, dum alios prae nobis eorum no-(314)mine vel accusamus vel damnamus, quae nobis cum illis communia esse, quod in nobis quidem est, fatemur.

„Rursum vero dum audimus, nos sub peccatum conclusos esse, non equidem ut pereamus (non enim amat interitum nostrum Deus), sed ut sola eaque gratuita Dei in Christo misericordia, non autem ulla nostra operumve nostrorum dignitate, ad laudem et gloriam ipsius servemur, cogitare debemus, non esse nobis haerendum in nostris peccatis, in quae nos prolapsos esse videmus, sed protinus agnita culpa nostra recurrendum esse ad Dei misericordiam, qua nos ita est complexus in unigenito suo filio, ut omnium peccatorum nostrorum culpam in ipsum translatam esse velit, ipsique totam imputat, modo et nos nobis ipsi in nostris peccatis vere et ex animo displiceamus, nosque ipsosmet in nostra corruptela, non autem illum in sancta alioqui ac salutari lege sua iustoque suo iudicio accusemus, et, sola demum ipsius vere Divina benignitate confisi, nobis vero prorsus diffisi, gratiam eius saluta-(315)rem unanimiter toto omnes pectore imploremus. Neque hic est severus aut morosus Dominus Deus noster, ut multos aut magnos verborum apparatus in imploranda sua gratia ac misericordia requirat. Cor intuetur ille, non verborum splendorem ullum aut apparatum. Et, si nos in corde nostro vere nobis displiceamus gratiamque illius supplices cum vera ac seria nostri accusatione ac certa rursum per Christum fiducia imploremus, audit nos proculdubio, priusquam etiam clamare ad ipsum incipiamus, et in amplexus nostros ultro procurrit, priusquam nos nostram adversus nos ipsos accusationem instituamus. Imo vero et hoc ipsum nobis ille largitur, ut vere atque ex animo poeniteamus. Poenitentes porro humeris filii sui imponit, ut nos ad ovile rursus suum referat, et maius insuper gaudium in regno suo instituit super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, quos iam antea alioqui regni sui socios habebat.

„Haec sane cum ita se habeant omnia, fratres dilecti! vosque nunc in con-(316)spectu vestro lapsum hunc fratrem nostrum habeatis, qui in vera, ut speramus, sui ipsius displicentia et accusatione culpam

peccati sui publice et apud Deum et apud vos omnes, tanquam Dei Ecclesiam, agnoscere ac deprecari constituit, rursumque vobis per hanc suam poenitentiam reconciliari atque in vestra societate Ecclesiastica, ut frater, retineri cupit. Coniungite iam et vos, imo vero coniungamus simul omnes cum ipsius peccato nostra peccata omnia, et lapsum ipsius nostrum simul omnium lapsum esse cogitemus. Sumamus exemplum a lapso hoc fratre nostro, ut, quemadmodum se ille sibi in peccato suo displicere publica hac sua poenitentia testatur, ita et nos nobis omnes in nostris peccatis displiceamus nosque ipsos una cum fratre hoc nostro coram Domino Deo nostro accusemus. Coniungamus preces nostras cum ipsius precibus, coniungamus et lachrymas nostras cum lachrymis ipsius. Deumque supplices pariter omnes invocemus, ut frater hic noster culpam peccati sui vere et ex aui-(317)mo agnoscat et deprecetur, ad nominis divini gloriam suamque ipsius salutem et totius nostrae huius Ecclesiae aedificationem".

Precatio super lapso et poenitente publice fratre ante ipsius confessionem.

„Omnipotens et misericors Pater noster coelestis! qui per os sanctorum Prophetarum et Apostolorum tuorum diserte testatus es, te nolle mortem peccatoris, sed potius ut resipiscat et vivat, quique unigenitum filium tuum non pro iustis, sed pro peccatoribus mori voluisti, ut, qui se peccatorum pondere oppressos sentirent, sibique prorsus diffisi, sola filii tui fiducia thronum gratiae tuae supplices adirent, certo se abs te audiri ne dubitarent, convenimus ecce in nomine eiusdem ipsius filii tui Domini nostri Iesu Christi, ut peccata nostra apud te ipsimet accusemus veniamque pro illis per nomen eiusdem ipsius fi-(318)lii tui, ad pedes tuos provoluti, petamus. Supplices te oramus igitur, Pater indulgentissime! primum, ut corda omnium nostrum excites per Spiritum sanctum tuum ad veram ac salutarem peccatorum nostrorum agnitionem. Imprimis vero cor lapsi inter nos fratris nostri N., qui ut peccato nuper suo totam hanc nostram Ecclesiam offendit, ita culpam illius publice etiam agnoscere ac deprecari non recusat, ad sancti nominis tui gloriam et Ecclesiae huius tuae aedificationem. Deinde ut agnitam per fratrem hunc nostrum peccati sui culpam nostraque peccata etiam omnia et illi et nobis clementer in visceribus praedilecti filii tui condones, et nos pariter omnes Spiritu sancto tuo ita deinceps gubernes ac communias, ut, etsi nunquam sine peccatis omnino esse possimus, in eiusmodi tamen flagitia ne prolabamur, per quae nomen tuum adorandum male audiat, causa Euangelii filii tui infametur, ministerium verbi tui Divini de-

decoretur et Ecclesia tua, in sacrosancto tuo nomine collecta, dissipetur. (319) Ab istiusmodi flagitiis libera nos quaesumus, Domine Deus noster! propter filium tuum inque nostra infirmitate Divinam virtutem tuam adversus diram in nos Satanae ac peccati nostri tyrannidem exeras atque illustres, ut in sanctitate et iustitia regnum filii tui in ipsius Ecclesia promoveamus, cui tecum una et cum sancto Spiritu in triade et monade Divina sit laus honor et gloria in aeternum. Amen".

Absoluta hac precatione Ecclesiastes vertit suam orationem ad fratrem illum lapsum ac poenitentem eumque audiente tota Ecclesia alloquitur ad hunc modum:

Admonitio ad lapsum ac poenitentem fratrem.

„Audivisti iam, dilecte frater! quodnam sit tuum ergo offensam per te Ecclesiam officium, nempe ut peccati tui culpam ultro ipse apud illam in conspectu Dei agnoscas ac depre-(321)ceris, atque ita demum te reconcilies offensae in te Ecclesiae Christi. Audivisti etiam, quaenam sint eius vicissim partes erga te, lapsum ac poenitentem fratrem suum, nempe ut suum peccatum cum tuis peccatis una coniungat lapsumque tuum suum ipsius lapsum esse cogitet, — coniungat preces suas cum tuis pro tuo peccato precibus, coniungat et suas lachrymas cum tuis lachrymis, se tecum una accuset et tecum una etiam Dei gratiam imploret. Haec vero omnia a nostra hac Ecclesia facta iam esse vides in publica illius precatione. Nunc itaque tuum erit praestare etiam, quod tui officii esse audisti, nempe ut peccati tui culpam, non in nostram ulliusve hominis gratiam, sed ad Dei ipsius gloriam et verae tuae resipiscentiae testimonium ultro ac sponte tua agnoscas ac depreceris.

„Igitur intra teipsum, mi frater! descende tuumque ipsius cor in conspectu Dei, cui nota sunt omnia, intueare et explores. Cogita te coram Deo stare, non coram hominibus tantum. Cogita te cum Deo ipso in nostro ministerio, non autem nobiscum tantum a-(322)gere, ac nos quidem, ut homines, falli abs te posse, sed Deum non posse falli ullo modo, neque abs te neque ab alio quoquam, et nunquam impune permittere, si quis illum in suis Ministris fallere conetur. Vide ergo, mi frater! ne Deo ipsi et Spiritui sancto in nostro ministerio imponas. Nos quidem ea duntaxat, quae extime videmus, contestamur, caeterum Deus ipse etiam cordis nostri penetralia intuetur, et severum se ultorem esse pluries declaravit eorum, qui illi in Ecclesiastico ipsius ministerio imponere voluerunt. Da itaque et tu iam gloriam Domino Deo tuo in vera tua nunc peccati displicentia et

accusatione. Da specimen coram hac Dei Ecclesia verae tuae Christianaeque resipiscentiae per ultroneam culpae tuae agnitionem pariter ac deprecationem. Hoec est enim Dei gloria, ut gratuitam illius misericordiam omnes cum nostri in peccatis nostris accusatione per nomen unigeniti sui supplices imploremus perque eius demum vere Divinam benignitatem servemur. Quod equidem et tibi et (323) nobis simul omnibus largiatur trinus ille et unus Deus, Pater, Filius et Spiritus sanctus, laudamdus in saecula. Amen."

Hic vero lapsus frater ille aedet publicam peccati sui confessionem culpamque suam publice agnoscet ac deprecabitur et se inter membra Ecclesiae retineri petet. Et, quoniam fieri potest, ut, qui ad eum modum coram tota Ecclesia peccati sui culpam agnoscere ac deprecari debent, aut imperitia ipsa aut etiam pudore ea dicendi facultate destituantur, quae ad rem totam explicandam requiri forte posset, Ecclesiastes veluti per epilogum repetit publice coram tota Ecclesia lapsi illius, qui poenitentiam agit, capita praecipua totius confessionis, ac demum a fratre illo poenitente quaerit, num ea omnia, quae ipse commemorasset, vera esse agnoscat proque illis omnibus culpam suam publice deprecetur et petat hoc ipso nomine cum tota Ecclesia reconciliari. Quodsi frater ille poenitens se assentiri testetur, tum Ecclesiastes, versa ad Ministros alios ac Seniores oratione, ab illis publice quaerit, num adhuc in pu-(324)blica illa fratris lapsi poenitentia aliquid desiderent et requirant. Ac tum, si quid aliquis Ministrorum in mediam vult adferre, quod in poenitentia illa desiderari adhuc posse videatur, id cuique illorum ordine suo licet. Si vero nemo illorum quidquam habet, quod dicat, tum Ecclesiastes infra scripta admonitione ad fratrem illum poenitentem utetur.

Admonitio ad lapsum ac poenitentem fratrem post eius confessionem.

„Andivimus tuam confessionem, mi frater! cuius nomine et tibi et nobis simul omnibus maiorem in modum gratulamur. Atque Domino Deo nostro de hac tua resipiscentia gratias agimus, qua tu non tam sane te ipsum tuamque infirmitatem, quam potius Satanam ipsum per tuam adversus illum tuumque peccatum victoriam in Christo Domino pudefecisti in culpae nunc tuae publica ista agnitione et deprecatione. Vincimus e-(325)nim adeoque et pudefacimus revera Satanam ipsum cum universa tyrannide ipsius ac pedibus nostris quodammodo caput ipsius conculcamus, imo vincit pudefacit ac conculcat illum in nobis ipsemet Christus Dominus, quoties illius beneficio peccata nostra au-

toremque illorum Satanam, cum Divinae gratiae imploratione et certa spe veniae, propter eundem ipsum Christum Dominum accusamus.

„Agnosce igitur singulare Christi Domini beneficium, mi frater! in aedita nunc per te peccati tui adeoque et Satanae ipsius accusatione. Neque enim hoc aut tuum aut ullius hominis opus est, qui ex nobis ipsi nihil alioqui boni omnino etiam cogitare possumus, sed est opus proculdubio ipsiusmet Christi Domini, qui id per suum Spiritum solus operatur ad Divini nominis sui gloriam nostramque salutem et Ecclesiae suae aedificationem. Hoc agnosce, inquam, et cave, ne tanto beneficio deinceps per tuam in peccatis tuis indulgentiam ad tuam ipsius (quod absit) condemnationem (326) abutaris. Cogita aegerrime id laturum esse Satanam, suam istam, inquam, in tua hac poenitentia pudefactionem ac conculcationem, et proinde nihil non esse tentaturum proculdubio, ut te quoquo rursum modo illaqueat. Vide igitur, quod in te est, ne illi per peccatorum tuorum indulgentiam locum in te ullum permittas, ne postrema primis deteriora fiant. Insta precibus assiduis apud Dominum Deum tuum precesque piorum etiam cum tuis precibus coniungito, ut te regat ac communiat Spiritu sancto suo, atque tibi armaturam illam subministret, quam nobis Paulus proscribit [1]), quo minus insidiosis Satanae conatibus atque impulsionibus opprimaris. Fidelis porro est Deus, ut id faciat, modo illum per nomen unigeniti sui filii vere et ex animo invocemus. Illi te igitur totum commenda, mi frater! illum appella, illi te totum praebe, illi toto pectore confide. Ita enim fiet hauddubie, ut, quemadmodum in capite nostro Christo Domino nihil iam habet neque habere ullo modo potest Satan, ita neque in te (327) etiam nobisque simul omnibus quidquam omnino habere amplius possit"

Admonitio ad Ecclesiam.

„Vos autem, fratres! omnes exemplum a lapso hoc et poenitente fratre vestro sumite. Primum ut vobis in vestris peccatis vere in corde vestro displiceatis. Deinde ut vos in illis coram oculis Dei una cum poenitente hoc fratre vestro accusetis Divinamque pariter omnes misericordiam supplices imploretis. Postremo, si quempiam vestrum publice, ad quem modum illi contigit, labi aliquando contingat, ut publice etiam peccati vestri culpam agnoscere ac deprecari Ecclesiaeque vos, exemplo fratris huius, reconciliare ne detrectetis. Quod vero iam restat, condonetis iam ex animo in conspectu Domini fratri huic vestro omnem offensionem omnino, quemadmodum et vestra vobis

[1]) Eph. 6.

peccata omnia a Domino Deo vestro condonari optatis. Agnoscite illum deinceps pro fratre no-(328)stro omnium, et, omissis in posterum omnibus omnino exprobrationibus, omnes illum fraterno amore nostro in Domino complectamur. Atque, ut ipse certum iam suae vobiscum reconciliationis iudicium ac testimonium habere possit, procumbite in genua omnes Deoque patri nostro mecum una gratias agite pro hac fratris nostri istius resipiscentia et reconciliatione, ad hunc modum:"

Gratiarum actio pro resipiscentia lapsi fratris et reconciliatione.

„Pater noster coelestis! inexhauste fons omnis misericordiae et consolationis! non equidem indigni sumus omnes, quos tu respicias, nedum ut nos audias, multo minus autem ut nos inter filios tuos numeres paternaque benignitate tua complectaris, sed, dum ineffabilem tuam erga nos bonitatem ac misericordiam in unigenito filio tuo Christo Domino, ipsius (329) beneficio, intuemur, qua nos, mortem alioqui aeternam dudum commeritos atque perpetuo etiam magis commerentes perire nihilominus non vis, sed amanter revocas ad resipiscentiam, condonataque nobis gratuito culpa omni nostrorum peccatorum, in gratiam rursum tuam vere paternam recipis, propter dilectum tibi unice filium tuum et meritum salutare ipsius. Non possumus tantum hoc tuum beneficium non supplices agnoscere, teque illius nomine non toto etiam nostro pectore colere atque adorare, et pro illo tibi ad pedes tuos provoluti ingentes agere gratias. Nunc te igitur eo ipso nomine laudamus, Pater sanctissime! una cum filio tuo et sancto Spiritu te adoramus, tibique omnes pariter gratias agimus, praesertim vero cum tuae istius benignitatis testimonium in fratre hoc nostro in publica hac ipsius poenitentia conspiciamus, — et te supplices oramus, Pater indulgentissime! ut nobis omnibus in nostris peccatis cor poenitens largiri digneris, nempe ut nobis in illis semper displiceamus, neque (330) erubescamus nos in illis semper accusare, sed per nostri pudefactionem virtutem ac gloriam tuam in nostra infirmitate celebremus ad nominis tui adorandi gloriam, salutem nostrum hic omnium et catholicae tuae Ecclesiae aedificationem, per filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum. Amen".

Finita hac gratiarum actione quaerit Minister a poenitente fratre illo, num deinceps quoque disciplinae Ecclesiasticae subesse velit iuxta verbum Dei, illeque respondet: „Etiam".

Tum Minister illi annunciat et contestatur veram ac plenam peccati

ipsius coram Deo et eius Ecclesia remissionem, non tantum in terris, sed etiam in coelo, idque propter Christum Dominum, qui mortuus est pro omnibus peccatis nostris et ministerium suae Ecclesiae in coelo quoque firmum ac ratum esse affirmavit.

Postremo Ministri ac Seniores ordine omnes fratrem poenitentem illum dextris datis amplexantur in totius Ecclesiae conspectu et suam cum illo totiusque Ecclesiae reconciliationem datis illi osculis (331) suis attestantur.

Atque ita demum Psalmus gratulatorius canitur a tota Ecclesia, [Psalm. 103, „Benedic anima mea Domino" aut alius similis, — dimittiturque Ecclesia more solito cum pauperum commendatione et benedictione.

Hic simplex publicae poenitentiae ritus, priusquam ad excommunicationem perveniatur, sufficere nobis visus est in nostris Ecclesiis. Praesertim cum in se complecti videatur omnia, quae ad salutarem fratris cuiusque lapsi resipiscentiam pertinent ullo modo et faciant proculdubio, cum ad fratris poenitentis consolationem, tum vero etiam ad totius Ecclesiae aedificationem, quae quidem potissimum sunt spectanda in toto usu Ecclesiasticae disciplinae. Externas vero illas in vestibus ac gestibus propemodum theatricis notas, quae vulgo publicae poenitentiae adhiberi consueverunt, non magnopere morati sumus, quod neque prorsus a suspicione liberae esse videntur, et fallant non raro sua hypocrisi multorum iudicia. Denique non ita multum videntur ad aedificationem facere, et pertinent potius ad Magistratus politici iudicia, quam ad Ecclesiasticae (332) disciplinae observationem. Atque de publica poenitentia tantum. Nune de excommunicatione dicendum erit, ad quam recurrere oportet, tanquam ad sacram ancoram, si qui in Ecclesia nullis omnino neque privatis neque publicis admonitionibus, iuxta earum gradus, ad resipiscentiam revocari possint.

De modo ac ritu excommunicationis.

Post observatos omnes omnium, ut dictum est, admonitionum gradus, si frater quispiam illis neglectis ita in peccato suo obduresoat, ut nullam reliquam spem faciat resipiscentiae suae Ministris ac Senioribus Ecclesiae omnibus, tum necessario est veniendum ad talis cuiuslibet fratris excommunicationem. Dictum est autem iam de gradibus et ordine admonitionum, quae privatim et publice habentur apud ipsum fratrem aliquem, deinde in coetu Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae, postremo coram tota Ecclesia, priusquam ad excommunicationem perveniatur, u-(333)bi de progressu disciplinae agitur. Ubi igitur omnibus illis admonitionibus nihil effici potuit, hoc solum restat

tandem, ut contemptor ille omnium istiusmodi admonitionum a coetu Ecclesiae reiicitur.

Neque vero sola Ministrorum ac Seniorum una omnium (ne dicam unius aut alterius Ministri) autoritate ab Ecclesia quisque eiicitur, sed unanimi totius Ecclesiae consensu atque approbatione. Ita enim Paulus lugere vult totam Ecclesiam circa fratris alicuius excommunitionem, et non temere spiritum suum toti Corinthiorum Ecclesiae coniungit in tradendo Satanae illo, qui cum noverca illic sua consuetudinem habebat [1]. Papa quidem Romanus et iurati illi Episcopi Ecclesiam hic non morantur, sed, contempto illius iudicio, nescio quam sibi iurisdictionem arrogarunt, ad quam id quoque pertinere putant, ut per illos solos excommunicatio fiat. Hac via scilicet perveniendum erat ad premendam tyrannide Christi Ecclesiam, qui unicus in omnibus ipsorum conciliis scopus fuisse videtur. At vero Paulus, qui non minore alioqui apud Corinthios ministerii sui autoritate, quam Pe-(384) trus apud Romanos valebat (ne quid hic de Papa Romano, eiusque cornutis Episcopis dicamus), tantum sibi non sumit interim, ut sua ipse autoritate Corinthium illum, thori paterni violatorem, Satanae tradat, sed, absens cum esset, Ecclesiam hortatur exposita illi sua sententia, ut flagitiosus ille, in totius Ecclesiae coetu, tanquam se ipso etiam praesente, Satanae cum publico luctu Ecclesiae tradatur. Hoc nimirum poscebat fides ministerii Apostolici, ut curam quidem seriam ac diligentem suae Ecclesiae, quamlibet absens, haberet, illamque de sua voluntate certiorem in eius gubernatione faceret, adeoque et officii illam sui de rescindendis flagitiosis istiusmodi hominibus graviter admoneret. Sed sibi ipse non sumit, ut in publico etiam facinore quidquam omnino sua solius autoritate agat. Caeterum Ecclesiae ipsi suam autoritatem permittit, ut ipsa in coetu suo id agat, quod ille agendum esse omnino putabat. Ita vero et in nostris Ecclesiis non solum Superintendens, sed ne Ministri quidem ac Seniores Ecclesiae una omnes excommunicare quenquam possunt in sua Ecclesia, nisi totius simul Ecclesiae assensus publicus (385) atque approbatio accedat.

Diximus autem, quo die frater aliquis publice et nominatim coram tota Ecclesia denunciatur propter contemptas priores omnes admonitiones, simul quoque diem constitui, quo frater ille, ita iam denunciatus, nisi interea resipiscat, excommunicari debeat, et moneri praeterea Ecclesiam totam, ut, si quisquam nimium praecipitari, aut alioqui parum legitime peragi putet excommunicationem ipsam adversus denunciatum fratrem illum, intra octo totos dies ante ipsam excom-

[1] 1 Cor. 5.

municationem Ministros ac Seniores Ecclesiae huius admoneat, sive privatim aliquos, quos velit, sive simul omnes in consueto coetu ipsorum, et sententiae suae rationem ex verbo Dei reddat.

Si igitur ante constitutum illum excommunicationis diem, neque quisquam alius ex verbo Dei ostendere possit, peccari ullo modo in denunciato fratre illo, ita iam (ut est dictum) excommunicando, neque ipsemet denunciatus frater ille ullam det resipiscentiae suae significationem, tum sine longiore mora silentium Ecclesiae habetur pro tacito consensu ipsius et approbatione futu-(336)rae excommunicationis. Si vero aut alius quisquam e coetu Ecclesiae ostendat ex verbo Dei causas aliquas legitimas differendae adhuc aliquousque excommunicationis, aut frater ipsemet denunciatus ille ante diem constitutum specimen aliquod certum det suae resipiscentiae, tum res tota rursum differtur spe illius resipiscentiae in proximum alterum Dominicum diem, et causae huiusmodi dilationis publice coram Ecclesia exponuntur. Proximo vero deinceps Dominico die frater ille denunciatus aut publica poenitentia sese reconciliat Ecclesiae iuxta suprascriptam illius formam, aut tandem tandem necessario excommunicatur.

Ut autem circa excommunicationem graviter et ordine omnia gerantur, pridie excommunicationis habendae conveniunt a meridie Ministri et Seniores utriusque Ecclesiae et diligens a singulis inquisitio fit, num aliquae causae proferri possint, propter quas iuxta verbum Dei excommunicatio ipsa aut differri adhuc aut etiam plane omitti deceat. Quodsi quid eiusmodi profertur, quod pondus aliquod iuxta verbum Dei habere posse videtur (337), sive id Seniorum aliquis ex sese proferat, sive ab aliis auditum exponat, cum de eo inter Ministros et Seniores ita deliberatur, ut unanimis omnium consensus habeatur, qui verbo Dei alioqui nitatur. Si vero nihil eiusmodi profertur, tum postridie proceditur ad excommunicationem denunciati fratris et publicum Ecclesiae silentium pro assensu illius atque approbatione habetur.

Quo die vero est habenda ipsa excommunicatio, nempe constituto ad id, ut dictum est, Dominico die, contrahitur nonnihil consueta publica concio matutina, ut Ecclesiastes tempus aliquod habere possit ad explicandam naturam ac rationem excommunicationis in Ecclesia Christi. In ipsa vero explicatione haec potissimum tractantur.

Argumentum admonitionis publicae de excommunicatione.

1. Exponit Ecclesiastes, quid sit et quid in se complectatur, quamque vim obtineat ipsa excommunicatio. Docet esse Christi (338)

Domini institutionem ad retundendum in eius Ecclesia comtemptum legitimarum omnium admonitionum ordinatam, quae nos etiam nostrae invicem omnium aliorum pro aliis curae ac sollicitudinis admoneat, qui nos unius in Christo corporis membra esse profitemur. Docet item duo imprimis esse observanda in ipsa excommunicatione. Primo resectionem ipsam membri a toto reliquo Ecclesiae corpore, quae praesertim fiat in nomine et cum virtute atque potentia Domini nostri Iesu Christi, quemadmodum Paulus loquitur [1]), — deinde traditionem resecti membri in potestatem Satanae in interitum carnis. Utrumque porro id horribile plane esse, nam istiusmodi resectione iam fieri, ut, tantisper dum nos rursum Ecclesiae non reconciliamus, nullae omnino vitae ac salutis aeternae promissiones ad nos censeantur quoquo modo pertinere. Cum enim Ecclesia sit mysticum Christi corpus, ut, qui ab illa resecti sunt, ad Christi quoque Domini corpus pertinere non possint, et extra illud ipsum Christi Domini corpus nulla sit certa salutis spes Divinis promissionibus proposita — quatenus sane nemo ascendit in coe-(339)lum, nisi qui descendit de coelo — [2]) perspicuum est, resectos ab Ecclesià ab omni simul etiam salutis spe excludi, quatenus sane e corporis Christi compage eiiciuntur, donec per Ecclesiam rursus facta legitima reconciliatione recipiantur. Etsi autem Christus Dominus eodem loco a nobis haberi velit resectos istiusmodi admonitionum Ecclesiasticarum contemptores, quo Ethnici et publicani haberi solent, est tamen tanto gravior excommunicatorum conditio, quantó gravius est auditas contempsisse a Christo ipso institutas admonitiones, quam nunquam auditas non observasse. Et dum Dominus noster admonitionum omnium contemptores eodem plane cum Ethnicis et publicanis loco habendos esse docet, non equidem hoc agit, ut crimen utriusque par faciat, sed ut consuetudinem utriusque, dum nullum dant specimen resipiscentiae, perinde vitandam in Ecclesia esse doceat. Contemptus igitur admonitionum Ecclesiasticarum graviorem multo reddit causam eorum, qui ab Ecclesia per usum disciplinae resecantur, cuius equidem nomine Ethnici accusari non possunt, ut intelligamus peccatum eorum, qui sunt excommunicati legitimo (340) Ecclesiae ordine, graviore vinculo ligatum esse in coelo pariter atque in terra, quam peccatum Ethnicorum. Sed mali magnitudinem conduplicat, dum quis ab Ecclesia rescinditur in nomine et virtute ac potestate Domini nostri Iesu Christi. Quemadmodum enim plurimum interest, humana ne an vero Divina vi ac potentia e Diaboli tyrannide liberemur, ita plurimum interest etiam, humana ne autoritate an vero in nomine virtute ac potestate Christi Do-

[1]) 1 Cor. 5. [2]) Ioan. 3.

mini ex Ecclesia eiiciamur. Nimirum eos, qui ad hunc modum excommunicantur, Satanae ipsi tradi audimus. Qui equidem indulgere non solet, illis praesertim, quos sibi ad eum modum traditos habet, potissimum autem si ullam in eis spem resipiscenitae videat, aut, si quibus indulget, non alio id proculdubio consilio facit, quam quod, dum sibi ab illorum resipiscentia non magnopere metuit, comtemptum eorum sua istiusmodi indulgentia alere obfirmareque conatur. Essetque plane deplorata ac modis omnibus desperata causa omnium (quod in ipsis est), qui ad eum modum ab Ecclesia eiiciuntur, si non certis finibus nobis Spiritus sanctus eam Satanae in excommunica-(341)tos potentiam circumscripsisset. Sed in carnis interitum tradi eos Satanae Paulus docet, qui ad eum modum excommunicantur, ut intelligamus, merito quidem eos, qui se per contemptum omnium admonitionum excommunicari patiuntur, Satanae posse tradi sine spe veniae ulla ad aeternam condemnationem, sed gratuita id Dei erga nos benignitate in Christo fieri, ut in carnis duntaxat interitum tradantur, si quomodo per immissas a Satana iuxta permissam illi potestatem carnis afflictiones caro ipsa spiritui subiici, atque ita demum, qui sunt resecti, ad resipiscentiam et reconciliationem revocari possint. Interim tamen Hiobi exemplo docemur, ad quem modum a Satana tractentur, in quos ille potestatem sibi, quod ad carnem attinet, a Deo traditam habet, quamcunque id tandem ob causam nonnunquam Dominus faciat [1]. Nec leve est, quod de Corinthio illo per Paulum excommunicato legimus, nempe non multum abfuisse, quin absorberetur in suis afflictionibus, posteaquam reiectus esset. Et certum est in neminem solere esse mitiorem Satanam in hac vita, quam in eos, a quorum resipiscentia sibi nihil metuit, (342) sic ut hoc sane magis sit exitialis iudicanda eorum excommunicatio, quo mitius a Satana tractari videmus, quos ille sibi iam in suam potestatem, potissimum autem in nomine virtute atque autoritate Christi Domini traditos habet.

2. Docet Ecclesiastes, non tam equidem crimina ipsa atque flagitia, quantumvis gravia, quam comtemptum potius rebellem ac praefractum, excommunicationis remedio ab Ecclesia Christi arceri. Nullum enim tam esse atrox facinus ac flagitium, quod Ecclesia ferre non debeat, cum et ipsa sit omni infirmitatis genere circumdata, praeter obstinatum rebellem ac praefractum contemptum admonitionum ex verbo Dei. Hoc enim fermentum ferre non potest Christus Dominus in sua Ecclesia, perinde atque Diabolum ipsum, huius fermenti artificem et autorem. Inde vero facile apparere, quidnam sit sentiendum de Papisticis excommunicationibus, dum per illas non equidem contemptum

[1] Iob 1.

legitimarum admonitionum ex verbo Dei arceri ab Ecclesia, sed humanarum traditionum transgressiones puniri per tyrannidem Antichristianam videmus. (343)

3. Explicat Ecclesiastes modum et ordinem instituendae excommunicationis. Nempe excommunicationem non esse positam in Ministrorum pariter omnium, nedum in unius, quamlibet magnus habeatur, arbitrio atque autoritate, sed in unanimi totius Ecclesiae consensu iuxta verbum Dei, et proinde toti Ecclesiae indicari oportere causas omnes instituendae cuiuslibet in fratrem quempiam excommunicationis, eiusque publicum assensum requiri, priusquam instituatur. Ita Paulus Corinthium illum non aliter Satanae tradit, quam coniuncto spiritu suo cum ipso coetu Corinthiacae Ecclesiae. Ut autem legitimus Ecclesiae assensus haberi possit, ét peccatum ipsum excommunicandi fratris cum suis circumstantiis ét obstinationem ipsius in contemnendis omnibus Ecclesiasticis admonitionibus coram tota Ecclesia exponit, docetque esse id debiti officiique omnium in Ecclesia, ut, si quisquam aut in observato apud excommunicandum fratrem admonitionum ordine ac modo, aut in ipso disciplinae progressu aliquid requireret, id tempori Ministris ac Senioribus Ecclesiae indicaret. Alioqui silentium totius Ecclesiae haben-(344)dum esse pro unanimi consensu ipsius. Inde vero etiam docemur, quid de Papisticis excommunicationibus statuendum sit, quae sola Pseudoepiscoporum tyrannide pro ipsorum tribunalibus instituuntur, et omnium gravissimae esse censentur, quae odio verae religionis in studiosos doctrinae ac religionis Euangelicae Pharisaico supercilio decernuntur. Nimirum de illis docet Christus Dominus: Beati eritis, cum vobis maledixerint propter nomen meum [1]), — et ad illas pertinet Propheticum illud: Maledicam benedictionibus vestris, quibus et iam maledixi, etc [2]).

4. Exponit Ecclesiastes, excommunicationis usum non solum non pugnare cum lege charitatis Christianae, sed gravissime etiam violari legem charitatis in Ecclesia Christi, si legitimus excommunicationis usus non observetur. Quemadmodum enim infidelis chirurgi est putridum ac noxium toti corpori membrum in totius corporis perniciem fovere velle, quemadmodum item veneficium est, non autem beneficium, fermentum lue aliqua infectum toti consparsioni immiscere velle, — ita, cum nihil sit nocentius obstinato re-(345)belliqué ac praefracto prorsus contemptu admonitionum ex verbo Dei in Christi Ecclesia, gravissime procul dubio peccant Ministri illius — nedum ut illam ament — qui infectum lue hac exitiali membrum ipsius aliquod in perniciem totius corporis alere inter sese fovereque pergant, ac non potius to-

[1]) Matth. 5. [2]) Malac. 2.

tam admonent Ecclesiam, ut sibi iuxta Christi et Apostolorum doctrinam a tam noxio fermento caveat.

5. Exponit fructus legitimae excommunicationis: nempe, primum Dei nomen per illam honoratur, quatenus sane legitimo excommunicationis usu testamur, nos longe ab illis abesse, qui indulgentiae flagitiorum Dei et sui Euangelii nomen praetendunt, quae sane res facit, ut male nunc passim audiat doctrina Euangelii Christi, dum illam indulgentiae nostrae praetexere conamur. Deinde usu legitimae excommunicationis conservatur Ecclesia in suo officio, discit sollicita esse pro salute membrorum suorum, docetur quam res sit invisa Deo planeque intolerabilis admonitionum Ecclesiasticarum contemptus, coadunatur indies magis ac magis per quotidianas invicem ex verbo Dei inter sese (346) admonitiones ac consolationes atque assiduis istiusmodi exercitiis in unanimi semper consensu confirmatur. Postremo remedium etiam adhibetur iis, qui sunt excommunicandi, legitimo usu excommunicationis. Negari enim non potest curam haberi eorum, qui sunt excommunicandi ab Ecclesia. Suffunduntur enim pudore, ut per publicam pudefactionem peccati sui magnitudinem agnoscant, in illoque sibi displiceant ac tandem resipiscant. Resecantur a reliquo toto Ecclesiae corpore cum luctu publico, ut cum publica rursum gratulatione per reconciliationem recipiantur. Traduntur Satanae, ut agnita demum sua miseria Dei misericordiam implorent. Breviter, quemadmodum membra in corpore humano, quae gangraena occupavit, secantur uruntur ad hominis revalescentiam, et quo maiore id cura fiat, hoc est maior spes restituendae valetudinis, — ita ad propellendam a nobis gangraenam omnium maxime exitialem ac pestiferam (contemptum inquam obstinatum ac rebellem Ecclesiasticarum omnium admonitionum) institutum habemus a Christo Domino in sua Ecclesia extremum illius remedium, ex-(347) communicationem.

6. Ostendit Ecclesiastes, quam sit noxia Ecclesiae intermissio disciplinae et perinde etiam excommunicationis. Primum ab una morbida pecude facile infici totum gregem, si non illi aliquo remedio tempori occurratur. Deinde provocari iram Dei adversus totam Ecclesiam per disciplinae negligentiam, adeoque et Divina punitio accersitur, quemadmodum Paulus docet [1]). Neque desunt exempla Divinae severitatis gravissima adversus disciplinae Ecclesiasticae negligentiam. Nimirum, ut non raro declinamus Divinam ultionem, dum nos diiudicamus, ita, dum nobis ipsi neglecto disciplinae usu indulgemus, Dei in nos vindictam provocamus. Hinc enim et tyrannidis immanitas et

[1]) 1 Cor. 11.

sectarum omnium seges. Digni sumus videlicet, qui et sectarum et tyrannidis carnificina puniamur, dum paterna iuxta usum disciplinae Ecclesiasticae virga corrigi non sustinemus.

Haec ita de excommunicatione dicuntur ad totam Ecclesiam, et impietas eorum accusatur, qui usum disciplinae Ecclesiasticae aut traducunt, aut in gratiam hominum (348) negligunt seu profanant. Deinde Ecclesiastes ad exercendam ipsam excommunicationem progreditur in hunc modum.

Sedent in prospectu totius Ecclesiae Ministri, Seniores ac Diaconi omnes, quos ad diligenter auscultandum omnia Ecclesiastes adhortatur, ut de omnibus, quae ad ipsorum ministerium hac in parte pertinent, in conspectu totius Ecclesiae respondere possent iuxta ipsius interrogationes. Tandem, ad Ecclesiam conversus, illam alloquitur in hunc modum:

„Non ignoratis, fratres! admonitum iam pluries fuisse fratrem nostrum N. et privatim et publice iuxta usum disciplinae Ecclesiasticae, tam de peccato suo, quam etiam de contemptu omnium apud ipsum factarum admonitionum, tam in coetu Ministrorum ac Seniorum omnium, quam hic etiam semel atque iterum in publico totius Ecclesiae coetu, ne quid de privatis aliorum fratrum admonitionibus dicamus: atque haec omnia toties facta esse, ne ad lugubrem nobis omnibus hanc ipsius excommunicationem perveniretur. Sed cum haec omnia frustra apud eum facta esse cum (349) magno animi nostri dolore videamus, ipseque nulla adhuc det indicia verae resipiscentiae per ullam culpae suae legitimam agnitionem ac deprecationem, vosque praeterea silentio vestro consilium Ministrorum, Seniorum ac Diaconorum vestrorum omnium de exercenda adversus hanc ipsius obstinationem excommunicatione approbatis, — cogemur iam tandem, quanquam inviti nec sine publico luctu nostrum omnium, descendere ad eius excommunicationem. Et, ut omnibus vobis liquido constet, nos omnes invitos ad illam plane compelli, peccatum ipsius, quo adversus legem Dei fratres suos imprimis, deinde vero universam nostram hanc Ecclesiam offendit, exponemus".

Atque hic Ecclesiastes recenset omnia ordine, quae excommunicandus ille frater designavit, tam ante, quam post admonitiones omnes et privatas et publicas: quoties item et per quos fuerit admonitus, tam privatim quam publico nomine Ministrorum ac Seniorum omnium, et etiam coram toto Ecclesiae coetu; haec tamen omnia frustra apud (350) ipsum hactenus acta fuisse.

Tandem vero ad reliquos Ministros, Seniores ac Diaconos conversus Ecclesiastes ab eis coram tota Ecclesia sciscitatur, num ita se habeant omnia, quemadmodum ipse narrasset, illique, auscultante tota

Ecclesia respondent: „Etiam". Deinde ab iisdem Ministris reliquis ac Senioribus et Diaconis quaerit, num quisquam ex Ecclesia tota illa hebdomade ad ipsos retulerit, quod merito obstare posse videretur, quominus ad fratris denunciati excommunicationem procedatur, illique rursum respondent, aut nihil ad se relatum esse, aut quod non ita multum ad rem ipsam facere videatur. Quodsi futilia quaedam ad se relata esse dicant, tum ea omnia per Ecclesiasten ex verbi Divini autoritate confutantur et refelluntur.

Postea vertit sese ad Ecclesiam Ecclesiastes, illamque hortatur, ut vicem fratris sui illius impoenitentis vere et ex animo doleat, quemadmodum membro in corpore male affecto membra reliqua omnia condolere maloque ipsius ex animo affici debent. Et posteaquam extremum illi iam remedium suae impoenitentiae adhiberi necessario oporte-(351)re vident, ut dolorem suum ac luctum pro impoenitente fratre suo publica sua ad Deum precatione in genua procumbentes contestentur. Ipse vero Ecclesiastes, procumbente in genua tota Ecclesia, ad hunc modum clara et expedita voce precatur:

Precatio pro impoenitente fratre ante eius excommunicationem.

„Omnipotens, aeterne et misericors Pater! qui pro tua gratuita erga nos bona in Christo voluntate et misericordia non vis mortem peccatoris, sed potius ut Spiritus sancti tui afflatu convertatur et vivat, quique eam esse vim testaris Divini verbi tui, ut petras etiam ipsas mallei instar potenter comminuat ac contundat, — te ecce supplices ac coram oculis tuis prostrati per nomen dilecti filii tui oramus, ut fratris nostri impoenitentis, N., cor atque animum, hactenus lapidis instar obduratum, virtute verbi tui autore Spiritu sancto tuo emollire ad poeniten-(352)tiam tenebrasque mentis suae luce Divinae tuae gratiae dispellere digneris, ut in corde tandem suo sentiat graviter se, primum in te, o, Pater indulgentissime! deinde vero in tuam quoque hanc Ecclesiam peccasse, peccatumque hoc suum apud te et hanc Ecclesiam accuset ac nobiscum una deploret, ne ipsum inviti, sed impoenitentia ipsius compulsi, e mystico tuo corpore cum lacta nostro excludere cogamur, sed eum potius ut vivum filii tui membrum in hac ipsius Ecclesia cum gaudio et gratulatione retineamus. Exaudi nos, o, Pater indulgentissime! per nomen dilecti filii tui ad te clamantes, nostrumque hunc fratrem impoenitentem atque ad interitum iam propendentem in viam rursus clementer verbo virtutis tuae revoca, quo nos omnes, qui propter ipsius obstinationem in conspectu tuo lugemus, per eius resipiscentiam exhilarari illique gratulari, et

nomen tuum adornudum in coetu hoc nostro cum gandio celebrare possimus. Nos quidem indigni sumus quos tu audias, Pater sanctissime! qui te alioqui assiduis (353) nostris peccatis irritamus. Sed tu ne velis nos ipsos in nobis intueri. Intuere autem dilectum filium tuum, quem in caput nostrum inque advocatum pontificem mediatorem ac propiciatorem nostrum pro tua misericordia constituisti. Hunc ipsum, quaesumus, mortisque suae pro nobis meritum uostrique in sanguine illius acceptationem misericorditer intuere, et ne patiaris innocentissimum filii tui sanguinem pro hoc fratre nostro impoenitente nobisque pariter omnibus fusum, Satanae dolis ac tyrannide profanari. Inclina aures tuae misericordiae, Pater beneficentissime! ad populi huius tui preces, nomen sanctum tuum super fratre hoc impoenitente cum luctu invocantis, ut tuo beneficio sanetur potius, quam in aeternum interitum a corpore tuo abscindatur. Id vero abs te petimus fiducia capitis ac mediatoris nostri Christi Iesu, iuxta praescriptum uobis ab ipso modum: Pater noster, etc".

Finita hac precatione observat Ecclesiastes, num frater ille impoenitens prodeat ad dandum aliquod indicium suae resipiscentiae. Quod si fiat, Ecclesiastes illum ad reliquos Ministros ac Seniores et Diaco-(354)nos accedere iubet in conspectu totius Ecclesiae, ut illis mentem atque institutum suum exponat, illique eum audiant et notas verae in illo poenitentiae observent. Quas si viderint, rem mox Ecclesiastae in suggesto stanti indicant, ut excommunicatio differatur. Ecclesiastesque id totum Ecclesiae ipsi exponit, illamque ad gratiarum actionem pro fratris impoenitentis resipiscentia adhortatur. Publica autem fratris illius poenitentia in aliud tempus differtur, ut, quod iam statuisset, animo bene deliberato reque tota bene excussa faciat ad maiorem Ecclesiae aedificationem, praeterquam si ita manifesta det signa verae resipiscentiae, ut omnem omnino tollant de illa dubitationem. Tum enim publica eius auditur poenitentia a tota Ecclesia, loco institutae excommunicationis. Illeque culpam omnem publice agnoscit ac deprecatur apud totam Ecclesiam, et peccati et contemptus pariter tam diuturni omnium apud se factarum admonitionum, pro eo ac per Ecclesiasten omnia narrata fuerunt. Omniaque tum demum ad eum modum fiunt, ad quem modum de publica lapsorum poenitentia in superioribus exposita habentur, facto initio ab ea admoniti-(355)one, quae ad lapsum ac poenitentem fratrem habetur post eius confessionem.

Si autem frater ille impoenitens neque prodit ipse, neque per alios ullam dat resipiscentiae significationem, tum Ecclesiastes paucis obstinationem fratris illius impoenitentis apud Ecclesiam deplorat, et

productis aliquot scripturae locis ostendit, quanta Divinae sit ultionis contra obstinatum istiusmodi contemptum severitas. Horrendum esse incidere in manus Dei viventis. Ac multo miserrimum esse, non sentire iram Dei in nostris cordibus adversus peccatum, et proinde illum moneri adhuc semel atque iterum per nomen Christi Domini, pro peccatis nostris mortui, ut culpam peccati contemptusque sui adhuc agnoscat seque Ecclesiae reconciliet et sanguinem Christi Domini in se, quo ablutus est, ne conculcare pergat.

Quodsi hisce adhuc aut similibus admonitionibus frater impoenitens ille lucrifit atque resipiscentiam pollicetur, agendum cum illo erit, ut iam supra dictum est. Sin minus, sed animo nihilominus adhuc obstinato perstat in contemptu omnium admonitionum, tum Ecclesiastes vertit ad (356) Ecclesiam suam orationem ad hunc modum:

„Viri fratres! posteaquam impoenitentem fratrem nostrum N. contra Dominum et hanc ipsius Ecclesiam tot modis peccasse, ut audistis, neque ad resipiscentiam ullo modo induci posse videtis, constatque illum verbi Divini testimonio a regno coelorum beataque Christi Domini societate excidisse, — et nobis sane, quanquam invitis, faciendum est cum publico luctu nostro omnium, quod iuxta Christi Domini praeceptum et Apostolicam observationem nostri debiti officiique esse scimus. Nempe ut quos ad Christi Domini nostri societatem non pertinere verbi sui testimonio docemur, eos ad nostram etiam in ipso societatem non pertinere, per institutam ab ipso excommunicationem contestemur et declaremus. Ut autem non nostro ipsorum id duntaxat, sed in Christi ipsius Domini nomine una cum virtute et potestate ipsius faciamus, eundem ipsum Christum Dominum nostrum, cui se omne alioqui genu flectere debet, in genua et ipsi nostra (357) procumbentes invocemus ad hunc modum:

Invocatio nominis Christi Domini ad excommunicandum fratrem impoenitentem una cum ipsa excommunicatione.

„O, Domine Iesu Christe, unice atque aeterne Rex tuae Ecclesiae! qui oris tui Divini verbo praecepisti, ut, qui de peccato suo admoniti Ecclesiasticas nihilominus admonitiones omnes abs te institutas contemnerent, e communione tuae Ecclesiae eiiciantur atque uno et eodem loco cum Ethnicis hominibus habeantur. Huic igitur tuae obtemperantes institutioni, per Apostolos tuos nobis etiam commendatae, adsumus ecce in tuo nomine congregati, ut fratrem nostrum N. in peccato ipsius et contemptu tuae huius Ecclesiae obstinatum atque impoenitentem, cum virtute et potestate tua e coetus (358) nostri cor-

pore excludamus, ad nominis tui sacrosancti gloriam, ad Ecclesiae item huius nostrae conservationem atque aedificationem et ad remedium extremum pertinaciae atque obstinationis praedicti impoenitentis fratris nostri. Et quoniam tu ipse te uobis in tuo uomine congregatis semper quidem, sed potissimum in ministerio Ecclesiae tuae versautibus adfuturum esse ac Spiritu tuo etiam gubernaturum promisisti, — te supplices invocamus, ut uobis virtute tua Divina adesse, nostrumque hoc ministerium in excludendo impoenitente hoc fratre nostro a coetu nostro, Divini Spiritus tui virtute gubernare atque efficax reddere digneris. Tuisque iam verbis confisi et tui adorandi Spiritus virtute instructi, Domine Rex Doctor et Pontifex noster aeterne! impoenitentem hunc fratrem nostrum N., omniumque hactenus Ecclesiasticarum admonitionum obstinatum contemptorem, in tuo nomine tuaque potestate et autoritate, veluti noxium corpori nostro membrum, in tuae Maiestatis Divinae Ecclesiaeque huius tuae totius conspec-(359)tu publice a coetu deinceps nostro salutarique eius societate (ipsius interim vicem miserantes) excludimus ac resecamus. Eius peccatum pro functione nostri ministerii ligamus, ligatumque esse in coelo pariter ac in terra iuxta doctrinam verbi tui pronunciamus, et piis ubique omnibus pro eiecto foras prorsusque iam Ethnico homine ac publicano habendum esse censemus. Atque Satanae illum iam, Paulum Apostolum tuum sequuti, ingemiscentes tradimus in carnis suae interitum, si quo modo, illi adhuc mortuus per afflictiones a Satana infligendas, spiritu interim suo ad extremum ex tuo beneficio reviviscere ac servari possit. Venisti enim servare quod perierat et ut cessare facias illius in nobis tyrannidem, qui propter nostrum peccatum mortis in nos imperium obtinebat, — qui cum Deo Patre tuo et sancto Spiritu vivis ac regnas Deus trinus et unus in saecula. Amen". [1])

Absoluta porro ad hunc modum ipsa excommunicationis declaratione, monet Ecclesiam Minister, ad quem modum quisque (360) in Ecclesia erga excommunicatum illum affectus esse, quatenusve cum eo consuetudinem habere debeat, tantisper dum non resipiscit.

1. Docet habendum esse illum pro Ethnico et publicano, quemadmodum Christus docet, cuius videlicet peccata ligata sint ministerii Ecclesiastici testimonio in coelo et in terra, donec se reconciliet Ecclesiae per publicam poenitentiam iuxta verbum Dei, et proinde ad precum Ecclesiasticarum Sacramentorumque communionem haudquaquam admittendum esse. In publicis tamen concionibus ferendum esse

[1]) Matth. 18. Luc. 19. Heb. 2.

tantisper, dum doctrina Euangelii traditur, si quo modo illa audita ad resipiscentiam Spiritu sancto autore permoveri possit.

2. Cum hoc familiare fere excommunicatis hominibus esse videamus, ut si quos possint, sua consuetudine in sui mali societatem pertrahant, et ideo potissimum e coetu Ecclesiastico eiiciantur, ne alios sua impietate inficiant [1]), — esse etiam id debiti officiique omnium in Ecclesia, ut familiarem omnem cum excommunicato consuetudinem modis omnibus vitent [2]). Corrumpunt namque bonos mores prava colloquia. A civi-(361)libus tamen contractibus ac negotiis arcendus ita non est, ut cum illo ea non liceat more politico exercere.

3. Qui tamen, solidius in fide instructi, intelligunt se fructum aliquem apud excommunicatos colloquiis suis ex verbo Dei posse facere, captare omnes occasiones debent illorum admonendorum et in viam rursus reducendorum, tantisper dum spem aliquam resipiscentiae superesse vident, si quo modo fiat per gratiam Dei, ut ad ovile Christi rursus revocari possint.

4. Ut nemo in Ecclesia iniquis praeiudiciis excommunicatos gravet, rideat, despiciat aut traducat, sed vicem illorum ex animo potius doleat, cogitentque in Ecclesia omnes sibi idem evenire etiam posse, ut, qui aeque sub peccatum sint conclusi, quod in ipsis est, atque illi, nisi Divina gratia servarentur, fierique posse, ut et ipsi excindantur, et, qui iam eiecti sunt, rursum inserantur [3]). Quare ut se ipsum quisque in Ecclesia observet, dum excommunicatum aliquem intuetur. Et id pariter omnes dent operam, ut ab iis peccatis et contemptu admonitionum sibi diligentissime ca-(362)veant, propter quem alios excommunicatos vident. Hypocritarum esse hoc, non autem Christianorum, ut iisdem malis obnoxii adeoque et gravioribus nonnunquam, etiamsi non usque adeo sint conspicua, prae aliis tamen sibi magis placeant sanctioresque aliis haberi velint et alios prae se despiciant ac traducant. Nibilo magis autem ferendam esse in Ecclesia supercilioeam talium hypocrisim, si certis documentis convinci possit, quam alia quaevis flagitia. Et, quemadmodum palam flagitiosos ferendos nobis non esse docemur, ita et a fermento Pharisaico, quod est hypocrisis, modis omnibus nobis cavendum esse audimus [4]). Neque enim dubium est excommunicatos iri hypocritas omnes, nisi tempori resipiscant, producta in lucem coram universi orbis theatro in die Domini hypocrisi ipsorum, sublata demum omni spe veniae ac remissionis peccatorum, quam alioqui in vita hac ipsis etiam excommunicatis ademptam non esse scimus.

5. Monetur Ecclesia, ut quo magis excommunicatos propter ipso-

[1]) 2 Thess. 3. 1 Cor. 5. [2]) 1 Cor. 15. [3]) Rom. 11. [4]) Matth. 16. Marc. 8.

rum obstinationem de vita ac salute aeterna periclitari videt, hoc diligentius quisque pro illis domi suae oret, si quo modo e laqueis Di-(363)aboli liberari queant.

Postremo hortatur populum Ecclesiastes, ut, quemadmodum Divinae severitatis imaginem in eiectione excommunicatorum intueantur, ita se omnes etiam humilient sub potenti manu Dei [1]), atque in genua procumbentes precentur, ut eos Dominus ab istiusmodi obstinatione in peccato et contemptu Ecclesiae servare, excommunicatum vero illum ab ea sua impietate revocare dignetur, ad hunc modum:

Precatio post latam excommunicationem.

Omnipotens, coelestis Pater! qui in tua manu habes corda omnium ad salutem ipsorum. Supplices te oramus propter filium tuum Christum Iesum, ut cor pertinax excommunicati huius N. verbi tui Divini virtute percellere Divinique Spiritus tui afflatu flectere digneris, ut iudicii tui severitatem adversus peccatum suum in corde suo sentiat, culpam in illo suam agnoscat, illam apud te accuset, in illa si-(364)bi vere et ex animo displiceat et eius condonationem apud te primum per nomen dilecti tui filii, deinde vero apud tuam hanc, quam offendit, Ecclesiam supplex precetur ac imploret, atque ita demum ad te conversus inque tuam rursus gratiam receptus, e Satanae potestate, qua nunc constrictus detinetur, liberari nobisque per suam resipiscentiam maius adferre gaudium possit, quam nos nunc per peccati contemptusque sui obstinationem in hac excommunicatione contristavit, et sit praeterea exemplo nobis omnibus sua resipiscentia, ne et nos pudeat nostrorum quoque peccatorum culpam agnoscere, tam privatim quam publice, si quando id res postulet, illamque deprecari. Ne auferas prorsus Spiritum sanctum tuum, Pater misericordissime! a resecto iam hoc corporis nostri membro, etiamsi Satanae sit traditum in carnis interitum. Nobis autem, natura perinde nostra ad omne etiam malum propendentibus, gratia tua ita assiste, ut veteris Adae ingenium indies magis ac magis in nobis comprimere atque in novum ho-(365)minem, qui secundum Deum in sanctitate veritatis et iustitia sua semper incrementa habet, renovari possimus [2]), et, si quando nos dolis Satanae circumventos in quodcunque flagitium labi contingat — sumus enim omnes quod in nobis est peccati mancipia — ne nos in peccato nostro obdurescere quoquo modo atque ita in illo demum etiam perire sinas, sed aliquos semper excites, qui nos per verbi tui Divini admonitionem in officio nostro contineant letalemque

[1]) 1 Pet. 5. [2]) Eph. 6.

in peccatis nostris securitatem ac veluti soporem quendam a nobis arceant, ut nobis Christus Dominus in nostris peccatis non obveletur ad nostri condemnationem, sed potius in nostris cordibus ad nostri correctionem illucescat. Da ut salutares omnium admonitiones non modo non contemnamus illisve offendamur ullo modo, sed eas expetamus, amemus ex animo, libenterque actis etiam gratiis audiamus semper atque amplectamur. Ita fiet enim, ut in viis tuis pro nostra infirmitate ambulantes, filiique tui doctrinae confisi, tanquam viva cor-(366)poris ipsius membra ac vivi in ipso palmites, uberes in omnibus pietatis officiis fructus proferamus ad gloriam Maiestatis tuae Divinae, — in qua cum eodem ipso tuo filio et sancto pariter Spiritu vivis ac regnas unus atque aeternus Deus laudandus in saecula. Amen".

Absoluta hac precatione canitur Psalmus lingua vulgari a tota Ecclesia, ([Psalm.] 101, vel aliquis alius huic argumento accommodus), quo finito dimittitur Ecclesia solito more cum pace, benedictione et pauperum commendatione.

Appendix.

Qui in Germanorum Ecclesia ad hunc modum excommunicatur in antemeridiana, ut dictum est, concione, idem eodem ipso die etiam in Gallica rursus Ecclesia excommunicatus esse declaratur in pomeridiana concione, ut et illic pro Ethnico ac publicano habeatur. Ac vicissim qui in Gallica Ecclesia ad eundem ipsum modum excommunicantur in antemeridiana concione, iidem rursus in Germanorum quoque Ecclesia eodem ipso die excommunicati esse de-(367)clarantur, ad contestandum unanimem utriusque Ecclesiae illius consensum, quem sane in omnibus ubilibet Christi Ecclesiis unanimiter retineri oporteret.

Ritus recipiendi rursus in Ecclesiam excommunicatos post data manifesta signa verae resipiscentiae.

Dictum est in superioribus excommunicationem a Domino institutam esse, non in exitium interitumve eorum, qui excommunicantur, sed in salutem potius ac remedium obstinationis ipsorum in peccato, ut, publico exclusionis suae pudore suffusi ac iudicii Divini adversus peccatum severitate commoti, tandem tandem a peccati veluti veterno quodam expergefiant ac resipiscant. Qui igitur excommunicati reconciliari rursum cum Ecclesia postulant per poenitentiam, aeditis

manifestis signis atque indiciis illius hi in nostra Ecclesia ad hunc modum in gratiam rursum a toto Ecclesiae coetu recipiuntur. (368)

Duo sunt, quae in excommunicatorum cum Ecclesia reconciliatione potissimum observanda esse putavimus: alterum, quidnam sit agendum cum excommunicatis, priusquam ad publicam in totius Ecclesiae coetu poenitentiam ac reconciliationem admittantur, ut fucus omnis hypocriseos, quoad eius fieri potest, ab Ecclesia per Ministrorum ipsius sedulitatem ac diligentiam arceatur; alterum, quo ritu aut modo peragi debeat publica istiusmodi poenitentia ac reconciliatio ipsorum.

Quidnam fiat per Ministros ac Seniores Ecclesiae cum excommunicato, posteaquam resipiscentiae spem fecit, antequam ad publicam poenitentiam admittatur.

Posteaquam qui excommunicatus est aliquam sive per se sive per alios resipiscentiae suae significationem Ministris ac Senioribus Ecclesiae dedit, hoc est praecipuum ipsorum consilium, ut notas verae resipi-(369)scentiae in excommunicato illo summa cura ac diligentia observent, in hocque potissimum incumbant, ut illum ad veram resipiscentiam modis plane omnibus reducant. De notis autem verae resipiscentiae habetur in superioribus, ubi de publica nondum excommunicatorum poenitentia tractatur, pag. 305 (*Anius ed.* p. 184.) Seniores autem Ecclesiae in hoc potissimum studium ac sollicitudinem suam erga excommunicatum declarant, quod eum aliqui illorum subinde conveniunt, nonnunquam singillatim aliqui, nonnunquam vero bini aut terni, pro eo ac res postulare videtur, eumque consolantur officiique sui admonent et, productis ex verbo Dei testimoniis, in proposito suo resipiscendi confirmant, atque hortantur ad peccati sui displicentiam et accusationem coram oculis Dei eum veniae imploratione. Subornant praeterea alios ex Ecclesia, quos ei familiares et gratos prae aliis esse norunt, qui hoc ipsum etiam sedulo apud illum agant, donec eo perducatur, ut ipsemet cupiat ad coetum Seniorum admitti, eumque illis ipsemet agat de facienda cum Ecclesia publica reconciliatione per publicam poenitentiam et culpae deprecationem. Quod si (370) fiat, constituitur certus dies per Ministros et Seniores, quo excommunicatus ille ad coetum ipsorum vocatur.

Admisso autem excommunicato, ut dictum est, ad Ministrorum et Seniorum coetum observatisque diligenter notis verae in illo resipiscentiae, si Ministri ac Seniores in illis aliquid requirant, id amanter excommunicato exponunt, et tum hortantur ex verbo Dei, ut, quod in ipsius resipiscentia adhuc requiritur, id ne gravetur corrigere ad glo-

riam Divini nominis suamque ipsius salutem et Ecclesiae aedificationem, et alius illi rursum dies constituitur, ut denuo ad coetum Seniorum veniat, siquidem ei protinus non omnia persuaderi possint, donec omnis suspicio hypocriseos* per suprascriptas iam alias verae resipiscentiae notas animis Ministrorum ac Seniorum omnium eximatur. Si vero in primo statim cum Ministris ac Senioribns colloquio excommunicatus eiusmodi signa dederit suae resipiscentiae, ut nihil in illa per omnes Ministros ac Seniores omnino requiratur, tum mox illius institntum laudatur a Ministris et Senioribus omnibus addunturque illi peculiares e scrip-(371)turis petitae consolationes et adhortationes, diesque demum aliquis Dominicus constituitur publicae ipsius poenitentiae et cum Ecclesia reconciliationi, qui interim toti etiam Ecclesiae octo antea diebus publice denunciatur, ut quisque in Ecclesia, peccatorum etiam suorum memor, sese componat ad precationem pro suis et etiam excommunicati illius peccatis, et ad recipiendnm rursus in gratiam ac societatem Ecclesiasticam poenitentem illnm cum omni alacritate et gratulatione, quem cum luctu pnblico e coetns sui fraternitate omnes unanimiter propter eius obstinationem eiecissent, publicumque gaudium suum omnes super reperta, quae perierat, ovicula unanimiter contestentur.

Quae ipso die publicae excommunicatorum poenitentiae et reconciliationis cum Ecclesia fiant.

Non constituitur dies ullus ad publicam excommunicatorum poenitentiam et reconciliationem, nisi dies Dominicus, (372) et quidem in maxime celebri Ecclesiae coetu, nempe in fine solemnioris antemeridianae concionis. Quo die vero peragi debet, contrahitur nonnihil ordinaria concio, nt sit locus admonitionibus de poenitentia publica et reconciliatione excommunicati, cum ad Ecclesiam, tum etiam ad ipsum excommunicatum. Finita igitur ordinaria concione Ecclesiastes orditur admonitionem ad Ecclesiam de poenitentia et reconciliatione excommunicati deque officio hac in parte Ecclesiae totius, ad hunc aut similem modum.

Argumentum admonitionis ad Ecclesiam de excommnnicatorum poenitentia et reconciliatione.

Duo praecipua capita tractantur, ut diximus, in ea admonitione. Alterum, de excommunicati ac proinde omnium etiam peccatorum poenitentia ac reconciliatione cum iis, qnos offenderunt. Alterum vero, de Ecclesiae totius hac in parte (373) officio iuxta verbum Dei.

Primum caput bimembre rursum esse. Excommunicatos perinde atque alios peccatores omnes gratuita bonitatis ac misericordiae Divinae consideratione invitari merito debere ad poenitentiam et reconciliationem omnium, quos ullo modo offenderunt, — et reconciliationem excommunicatorum fieri non posse, nisi per publicam coram Ecclesiae totius coetu poenitentiam, ut in illius sociatatem rursus cum publico eius gaudio ac gratulatione recipiantur.

Ad probandum igitur primum huius capitis membrum inducuntur testimonia ex scripturis, quibus haec suo ordine probantur.

1. Nos omnes sine ulla cuiusque exceptione esse peccatores, conclusos plane sub peccati et mortis servitutem, quod in nobis est, et proinde nihil mirum esse, si in tanta nostra corruptela in gravissima quaevis etiam flagitia prolabamur. Quin potius nostrum esse, ut nos, quantum in nobis est, uno plane eodemque loco omnes cum flagitiosissimis quibusque ac deploratissimis hominibus statuamus. Tantum abest, ut excommunicatum illum post data resipi-(374)scentiae suae signa prae nobis quoquo modo aut contemnamus aut iudicemus. In eam sententiam proferuntur loca, quae nos omnes ex aequo sub peccatum conclusos esse docent, Rom. 3, 11, Gal. 3, et quae similia multa in scripturis habentur.

2. Esse nos quidem omnes sub peccatum ac mortem in nobis ipsis, ut dictum est, conclusos, sed nobis ideo de salute nostra ac vita aeterna non esse desperandum ullo modo. Neque enim nos ideo ita esse conclusos, ut in peccatis nostris pereamus, sed in sublevanda nostra istiusmodi servitute ac miseria peccati et mortis, opulentia bonitatis ac misericordiae Dei elucescere ac celebrari in Dei Ecclesia possit. Deum enim conclusisse nos omnes sub peccatum, non ut nos ita demum perdat, sed ut omnium rursus misereatur, Rom. 11. „Nolo mortem peccatoris", Ezech. 18, et eius generis plura.

3. Deum ita nostri in nostris peccatis misereri, ut neminem omnino, quod in se est, a sua misericordia excludat, sed omnibus plane illam in Christo deferat, quatenus sane ille universo mortalium in terris generi per suam se incarnationem adiunxit, ac totius mun-(375)di peccatum innocentissima morte sua expiavit. Quominus autem omnes homines serventur, id equidem non fieri ulla Dei vel culpa, vel negligentia, sed nostrae ipsorum impietatis obduratione atque impoenitenti obstinatione. Deum sane esse, qui solem suum super omnes sine ulla cuiusquam exceptione oriri faciat, ut aeque omnibus luceat [1], qui item super omnes sine discrimine pluat et qui salutare verbi sui Divini semen super terram omnis generis spargat [2]. Neque

[1]) Matth. 5. [2]) Matth. 13. Luc. 8.

culpa illius fieri, ut sparsum hoc ubique vitae aeternae semen alibi praefocetur, alibi item conculcetur, alibi vero arescat. Nimirum, Deum placatum esse iam universae nostrae carni et nostro sanguini in filii sui incarnatione, et Christum item Dominum pro omnibus mortuum esse, quatenus omnes in Adae primi parentis nostri transgressione ad vitam aeternam mortui sumus [1]), ut, quemadmodum unius hominis transgressio universo hominum generi exitialis fuit, ita unius etiam hominis iustitia, in carne praesertim nostra praestita, universo rursum humano generi, quod in ipso quidem est, salutaris esset [2]), et, quemadmodum unius hominis morte (376) omnes sine ulla exceptione mortui sumus, ita unius etiam hominis resurrectione, omnes rursum, quantum in ipso est, ad vitam excitemur. Modo ne tantum hoc beneficium nostra ingratitudine a nobis ipsi propellamus partamque nobis in Christo ad vitam aeternam resurrectionem nostra ipsi impietate, dum hic vivimus, nobis vertamus in aeternam condemnationem, ad quem modum et lex Dei, ad vitam data, ad mortem nobis demum cessit per carnis nostrae corruptelam seu infirmitatem [3]).

4. Deum pro ineffabili hoc suo erga nos in Christo Domino beneficio nihil aliud a nobis requirere, quam ut erga ipsum vicissim ingrati ne simus. Neque tamen eam a nobis exigit gratitudinem, quam ipsa alioqui tanti beneficii suaeve item Maiestatis magnitudo merito postularet, cuique nos haudquaquam pares esse omnino novit — ut, si quid in nobis hac in parte desideretur, nos iam propterea condemnare velit — sed debitum hoc nostrae erga se gratitudinis a nobis vult agnosci, etiamsi illi pares esse haudquaquam possimus, ut qualicunque illius significatione pro nostra infirmitate obstinatum nobis illum ac rebellem ipsius contem-(377)ptum improbari prorsus nosque ab eo fidei nostrae testimonio alienos plane esse testemur, et gratuitam omnis nostrae infirmitatis condonationem soli ipsius benignitati ac misericordiae acceptam feramus. Condonat enim nobis gratuito propter Christum omnes omnino nostras infirmitates, quas alioqui filii sui sanguine iam expiatas eiusque contectas iustitia, non amplius in suo iudicio intueri dignatur, modo ne in illis nobis placeamus, eisque nimium alioqui securi indulgeamus atque illas ita demum etiam in oculis Dei extenuare et excusare conemur. Neque enim pro infirmis haberi possunt, qui in ipso morbo malum interim suum adeo non agnoscunt, ut in illo sibi etiam placeant, nedum ut eius remedia expetant aut de sua revalescentia cogitent quoquo modo.

5. Deum in condonandis propter Christum omnibus nostris infirmitatibus non intueri externam peccatorum nostrorum faciem, ut pro

[1]) 1 Cor. 15. [2]) Rom. 5. [3]) Rom. 7.

infirmitatis nostrae magnitudine ac veluti gradibus illius quibusdam alios prae aliis, aut facilius, aut aegrius in gratiam recipiat. Cor enim intuetur ipse (fontem videlicet peccati), non fa-(378)ciem, ut, quantumvis grave ac capitale flagitium in oculis hominum patremus, illud nobis gratuito nihilominus condonet, si a nostra infirmitate profectum esse videat, quam nos interim eum opis suae Divinae imploratione accusemus. Contra vero levem quamlibet humano iudicio transgressionem aeterna plane reprobatione condemnationeque puniat, si destinato rebellique verbi sui Divini lucisque in Christo delatae contemptu designetur, id quod facile alioqui in Saulis et Davidis regum exemplis observari potest. Tametsi in sua Ecclesia aliud longe de peccatis nostris iudicium extare velit propter illius sustentationem et aedificationem, nempe ut, quae plus secum adferunt offendiculi plusve alioqui damni dant Ecclesiae, eo etiam graviora magisque capitalia esse censeantur operosioreque reconciliatione condonentur. Sic gravius multo videri potuit Ecclesiae iudicio Davidis quam Saulis peccatum, donec Dominus ipsi magnitudinem peccati Saulis, tam Prophetico testimonio, quam poenae etiam subsequutione patefecisset. „Reprobasti", inquit Propheta, „verbum Domini, et Dominus te reprobavit, etc. Quibus sane verbis Saul, (379) non tam infirmitate quam contemptu ac rebellione erga Deum potius peccasse declaratur, praesertim cum eius transgressio magicae impietati et idololatriae comparetur. Poena porro peccati sui in eo patefacta est, quod eum deseruerit Spiritus Dei ac Satan mox invaserit quodque desperatione ad extremum adactus semetipsum occiderit [1]). Hac tali et testimonii Prophetici et poenae exitialis revelatione, facile iam Davidis peccatum a Saulis peccato discernimus. Tametsi alias quoque notas quasdam et infirmitatis nostrae et etiam contemptus ipsius in scripturis nobis proditas habemus, quibus ab invicem discerni iuxta scripturas possint. Nimirum infirmitatis est, non posse quod velis: displicere item sibi in ea corruptela illamque coram oculis Dei accusare, non autem extenuare quoquo modo, ne dicam accusare: praeterea in ipsa nostri displicentia remedium mali nostri expetere, illudque oblatum non reiicere, sed de eo sibi potius gratulari: postremo autorem ac ministrum illius exosculari atque amare seseque illi permittere. Hae sunt, inquam, notae infirmitatis nostrae, in scripturis nobis proditae, quas dum in corde nostro conscien-(380)tiae nostrae testimonio sentimus, certi esse possumus de nostra infirmitate eiusque condonatione propter Christum, quantumvis gravibus iuxta humanum iudicium flagitiis obnoxii simus. Sic Paulus conqueritur, se non posse id sequi, quod

[1]) 1 Sam. 16.

vult bonum, et facere id quod non vult malum, adactum videlicet per membrorum legem, quam in corpore suo agnoscit [1]). Displicet sibi item in morbo hoc, illumque non accusat modo, sed etiam gravissime deplorat, dum ait: Infoelix ego, — corpusque suum mortis corpus appellat. Interim vero non aversatur, sed expetit toto pectore mali huius remedium, dum ait: Quis me liberabit? Amplectitur oblatum, dum ait: Gratias ago Deo per Iesum Christum. Nec diffidit oblato in Christo remedio, dum se lege saltem mentis suae legi Dei servire sentit — quam bonam alioqui et sanctam esse agnoscit — etiamsi lege membrorum ita se oppressum esse videat, ut peccato velit nolit servire, invitus cogatur. Gratulatur praeterea, non sibi tantum, sed sui similibus omnibus, de oblato gratuito tanto beneficio, dum nullam amplius condemnationem reliquam esse docet iis, qui Christo Domino insiti essent [2]). Postre-(381)mo amorem suum ac debitum erga remedii huius autorem contestatur, dum ait: Propter te morti tradimur tota die, etc., — et, Quis nos separabit a dilectione Dei? Hanc ecce infirmitatis nostrae imaginem sub Pauli exemplo nobis propositam habemus, cum quo etsi paria facere omnes non possimus, eodem tamen loco cum Paulo propter Christum habendi sumus, si modo similem affectum in corde nostro esse conscientiae intra nos nostrae testimonio sentiamus, nempe ut illi hac in parte similes esse cupiamus, etiamsi nos longissime ab ipso adhuc abesse videamus. Contra vero contemptorum est, non velle id quod possis, nedum ut non possis, inque eiusmodi instituto nullam interim peccati culpam agnoscere, quin potius in illo blandiri sibi ac placere et aliorum lapsus exaggerare, ad sui peccati extenuationem atque excusationem: aversari omnia peccati remedia adeoque et irritari illis et ad ea obdurescere: stultam videri nudam ac simplicem verbi Divini obedientiam, prorsusque indignam, cui rationis nostrae consilia cedere debeant ullo modo; odisse, non tam nos ipsos in nostro peccato, quam Deum potius ipsum in legis et iu-(382)dicii sui severitate, atque ita demum contempta omnia peccati remedia iusto Dei iudicio opprimi, ut ad extremum peccati sui vim simul cum desperatione sentiant, in quo sibi initio blandiebantur et placebant. Sic Saul rex obedire noluit, cum posset, mandato Dei de exscindendo usque ad internecionem universo prorsus Amalec sine ulla cuiusquam exceptione, adeoque sibi in transgressione sua illa placuit, ut eius nomine laudem etiam a Propheta coram universo suo populo expectaret: nedum ut in illa culpam peccati ullam quoquo modo sentiret. „Implevi „ inquit," verbum Domini". Stultam item nudam ac simplicem

[1]) Rom. 7. [2]) Rom. 8.

mandati Divini obedientiam, neque ullo modo conferendam cum rationis suae consilio de servando in triumphem suum rege Agag adservandisque in cultum Dei pinguissimis quibusque Amalec, non tam quod illi cordi alioqui esset Dei gloria, qeam quod honorem apud populum ex triumphi oblationisque suae illius splendore atqee apparatu venaretur. Facile enim apparet non tam illi curae fnisse, ut Deum sibi propitium haberet, cum a Propheta peccati iam sui convictus esset, quam potius, ut in populi conspectu publice a Propheta honora-(383)retur. Offensum autem adeoque et irritatum fuisse oblato per Prophetam peccati sei remedio (nempe admonitione ex verbo Dei), palam est ex eo, quod Prophetae adversatus dixerit: Imo, inquit, obedivi verbo Domini [1]), et innueret se eum non esse, qui a Propheta ad hunc modnm reprehendi aut mereretur aut etiam vellet. Oppressum vero ad extremem iusto Dei iedicio, testatnr vox illa: Peccavi, qua tandem tandem peccati sui dissimulati magnitudinem una cum desperatione agnovisse videtur. Enimvero de placandu Dei ira adversus suum peccatum ne verbo quidem meminit, sed tantummodo Prophetam rogat, ut peccatum ipsius sufferat, ipsumque apud populum publice in suo illo, quod instituerat, sacrificio honoret, magis videlicet sollicitus de populi sni, quum de Dei ipsius gratia ac favore, a quo se iam reprobatum esse audiebat. Odium porro plane implacabile adversus Deum ipsem et eius in Davidis vocatione ordinationem facile relucet in ipsius adversus Davidem conatibus, a quibus nullis omnino neque admonitionibus, neque item Davidis ipsius officiis abduci quoqeo modo potuit. Sic ut non tam Davidem (384) sane, Divinae ordinationis organum, quam potius Deum ipsum in Davide persequi rebelli obstinatoque animo adeoque et opprimere voluisse videatur. Hanc equidem voluntarii obstinatique contemptus imaginem in unico hoc Saulis exemplo adumbratam ita habemus, ut, etiamsi alia nunc omittamus, diversas sane contemptus ipsius notas a nostrae infirmitatis iam suprascripta imagine conspicere in illo facile possimus. Iam quemadmodum non est par nostra omnium infirmitas, sed interim est eiusmodi, ut per illam omnes in eum ipsum contemptum, quod in nobis est, toti propendeamus, si non ab eo singulari plane Dei gratia servaremur, ita et contemptus hic, quanquam maxime invisus Deo, suos tamen etiam gradus habet, qui nobis magis ac magis omnem veniae spem praecludunt, nosque magis ac magis praecipites agunt ad aeternum interitum seu condemnationem. Primus illius gradus est, placere sibi in peccato per eius excusationem ac proindo nullam illius reprehensionem ex verbo Dei

[1]) 1 Sam. 15.

velle admittere. Secundus gradus est securitas quaedam in peccato post contemptas illius omnes ex verbo Dei ad-(885)monitiones, quae tandem tandem evadit in ἀπαλγησίαν peccati ipsius, quemadmodum Paulus docet ¹). Hoc est, ut in peccato nostro dolere plane desinamus, donec aliquando severitate Divini iudicii oppressi agnoscere illud velimus nolimus cum ipsa desperatione cogamur. Postremus autem illius gradus est, odium Dei ipsius et Ministrorum illius omnium. Nimirum posteaquam semel in peccato nostro dedoluimus, sic ut nobis in illo securi iam plane videamur ac demum rursus evitare nos haudquaquam posse videmus formidabilem illam Divini iudicii severitatem flammaeque illius vehementiam, quae nos devorare ad extremum debeat, accendimur odio quodam in Deum ipsum severitatis suae illius nomine, ut non modo illius recordationem omnem exosam plane habeamus, sed ne Ministrorum quoque ipsius aut vocem aut aspectum etiam ferre ullo modo possimus, quemadmodum id in Pharaonis exemplo clarissime nobis delineatum videmus ²). Inter hos igitur contemptus istius gradus hoc etiam discrimen observandum est, quod, quemadmodum in nostra infirmitate non prius de illius gratuita propter Christum condonatione intelli-(886)gere quidquam possumus, quam illius promissionem ad nos pertinere fidei nostrae testimonio in corde nostro sentiamus, ita et in hoc contemptu non prius nos ab omni veniae spe exclusos esse statuamus, quam nos in peccato nostro dedoluisse prorsus, omnique illius sensu caruisse, adhaec odio nos etiam plane implacabili in Deum ipsum et Ministros illius accensos esse in corde nostro sentiamus. Duobus ergo extremis hisce contemptus istius gradibus illum ἀσύγνωστον esse statuemus. Et, sicubi neque ἀπαλγησίας manifesta extare indicia ulla neque item θεοστυγίαν palam sese exeruisse videmus, ibi sane gratiae ac misericordiae Dei locum adhuc reliquum esse minime dubitemus, sed in prioribus etiam contemptus nostri gradibus opem adhuc ad gratiam Domini Dei nostri et privatim et publice imploremus. Id sane nos doceri ipso etiam excommunicationis usu in Ecclesia Christi. Nimirum ferendum quidem non esse in Ecclesia contemptum ipsum in prioribus etiam illius gradibus, nempe in peccati excusatione et admonitionum pertinaci aversatione, sed non ideo tamen cessandum esse a precibus pro excommunicatis ipsis, etiamsi primi iam gra-(887)dus contemptus in illis conspicui esse videantur, cum et ipsam alioqui excommunicationem in remedium contemptus ipsius institutam esse constet.

Haec ita tractantur per Ecclesiasten in ea admonitione ad Ecclesiam super excommunicatorum poenitentia et reconciliatione. Ad

¹) Ephes. 4. ²) Exo. 5, 7, et sequentibus cap.

extremum autem hortatur Ecclesiam Minister, ut procumbens in genua agat gratias Domino Deo, quod excommunicatos illos passus non sit prolabi in graviores illos prorsusque iam immedicabiles gradus contemptus ipsorum, simulque etiam oret, tam pro se ipsa, quam pro excommunicatis illis, ne, si quando nos in priores etiam contemptus gradus prolabi forte contingat, in illis perstare, sed praesentium excommunicatorum exemplo tempori adhuc peccatum nostrum agnoscere illiusque veniam implorare possimus. Monebit praeterea Minister Ecclesiam, ut pro excommunicatis illis peculiariter oret, ut in sancto illo resipiscentiae ac reconciliationis ipsorum cum Ecclesia instituto per Spiritum sanctum confirmari et gubernari possint, ac demum Ecclesiam alloquitur hisce verbis: (388)

Admonitio ad Ecclesiam super excommunicatorum poenitentia et reconciliatione.

„Viri Fratres! posteaquam in conspectu ecce vestro habetis N. excommunicatum istum, qui in vera, ut speramus, sui peccatique sui displicentia et accusatione culpam suam apud vos ad Dei gloriam et Satanae pudefactionem agnoscere veniamque illius primum apud Dominum, deinde vero etiam apud vos omnes, tanquam Dei Ecclesiam, petere instituit, ut ita demum vobis per suam poenitentiam reconciliari atque in vestram rursus fraternitatem Ecclesiasticam recipi possit. Iam et vobis id est praestandum, quod vestri hac in parte officii esse non ignoratis, nempe ut, quoniam summa facilitate ac clementia perditum illum filium in parabola Euangelica a patre suo receptum esse, fratrisque vero sui alterius morositatem patri ipsi displicuisse scitis [1], — patris illius beneficentissimi clementiam vobis (389) potius, quam fratris morosi invidentiam imitandam, gaudiumque cum illo vestrum super excommunicato hoc, qui perierat et rursum in viam reductus est, contestandum esse statuatis. Audiit ille perditum suum filium, priusquam ipse vel verbum unum protulisset. Ostendite et vos propensionem vestram ad audiendum hunc N., qui, e fraternitate vestra eiectus, in gratiam rursus vestram recipi cupit. Procurrit pater ille indulgentissimus obviam eminus adhuc redeunti filio, ut, priusquam ipse sui accusationem institueret, eum amantissime exciperet. Procurrite et vos animis ac votis vestris in occursum huius N., ut illum publica vestra omnium gratulatione in coetum rursus fraternitatis vestrae reducem assumatis. Proruit in amplexus filii sui illius pater. Contestemini et vos eundem affectum vestrum erga poeniten-

[1]) Luc. 15.

tem hunc N, ut, quod facere instituit, tanto alacrius faciat, quanto vos melius erga se affectos esse viderit. Coniungite igitur, fratres dilecti! imo vero coniungamus simul omnes cum ipsius peccato nostra pec-(390)cata omnia, etc.". (*Finem huius admonitionis habet pag. 317, linea 12, [huius ed. p. 189. linea 5] in admonitione ad Ecclesiam super publica lapsi fratris nondum excommunicati poenitentia, qui hic adhiberi debet.*)

Finita admonitione instituit Minister cum tota Ecclesia in genua procumbente precationem pro excommunicato poenitente, quae habetur pag. 318. [*huius ed.* p. 189.] super lapso necdum tamen excommunicato fratre ante ipsius confessionem et reconciliationem: „Omnipotens et misericors Pater noster coelestis, etc.," nisi quod in hac precatione, qui excommunicatus est, nondum appellatur *frater*, priusquam culpam peccati sui publice ipsemet agnoscat ac deprecetur, sicque demum in fratrum numerum recipiatur, quemadmodum mox dicetur.

Finita precatione hac vertet se Minister ad excommunicatum illum et ea admonitione apud eum utetur, quae habetur pag. 121. [*huius ed.* p. 190.], nisi quod illum adhuc etiam non vocabit *fratrem*, donec post factam reconciliationem: „Audivisti iam, mi N., quodnam sit tuum erga offensam per te Ecclesiam officium, etc".

Post hanc admonitionem excommu-(391)nicatus ille claris ac distinctis verbis peccati totius sui contemptarumque ordine suo admonitionum omnium a Ministris Ecclesiae factarum, contemptae item totius Ecclesiae in illius pro se precibus, culpam agnoscit palamque illam confitetur ac deprecatur, primum apud Deum ipsum, deinde vero apud totam Ecclesiam. Postremo pollicetur emendationem pro summa virili sua et ita demum petit, ut in fraternitatem rursus Ecclesiasticam recipiatur.

Quodsi ita ad dicendum instructus non est, ut vel propter pudorem, vel propter infantiam commode omnia et cum Ecclesiae aedificatione recensere non possit, Senioresque Ecclesiae iudicent melius esse, ut Minister ipse et peccatum ipsius et contemptum item in omnibus admonitionibus ordine summetim exponat, atque a poenitente demum illo sciscitetur, num in iis omnibus culpam suam agnoscat et deprecetur, tum Minister, stans in suggestu adhuc, haec ita cum poenitente, auscultante tota Ecclesia, agit.

1. Revocat poenitenti in mentem peccatum illius cum praecipuis circumstantiis eius, cuius culpam interim in primis suis ad-(392)monitionibus agnoscere nolebat, sciscitaturque ab excommunicato illo, num se ita rem habere coram tota Ecclesia agnoscat. Respondetque excommunicatus ille: „Etiam".

2. Commemorat Minister, quoties de peccato suo fuerit admonitus, cum privatim, tum publice, non tantum in Ministrorum ac Seniorum omnium coetu, sed etiam coram tota Ecclesia, et quoties ipse omnes illas admonitiones atque ad extremum ipsam etiam excommunicationem contempsisset, atque hic etiam sciscitatur, num excommunicatus ille ea omnia vera esse agnoscat. Illeque rursum respondet: „Etiam".

3. Quaerit Minister ab excommunicato illo, an non in omnibus iis, quae commemorata essent, sibi ipse coram oculis Dei displiceat peccatumque suum ex animo accuset et culpam illius, imprimis apud Deum, deinde vero apud hanc ipsius Ecclesiam agnoscat supplex atque etiam deprecetur. Respondet: „Etiam".

4. Quaerit Minister, an non in hac culpae suae agnitione ac deprecatione publica certam quoque consolationem in corde suo sentiat de peccati sui remissione propter Christum iuxta Euangelicas promissi-(393)ones, nempe quod peccatum ipsius expiatum sit morte Christi et pretio sanguinis ipsius. Respondet: „Etiam".

5. Quaerit ab illo Minister, an non ille vicissim ad declarandam suam erga Christum Dominum gratitudinem pro tanto ipsius beneficio cupiat ex toto corde suo vitam deinceps suam corrigere, fiduciaque eius ipsius remissionis peccatorum suorum in Ecclesiasticam se rursum societatem recipi petat, ac denuo sese Ecclesiasticae disciplinae ultro ac sponte sua subiicere velit. Respondet: „Etiam".

Absolutis hisce interrogationibus rogat Ecclesiastes ex suggesto reliquos Ministros ac Seniores omnes, excommunicato illi circumstantes, num quid praeterea in ea ipsius poenitentia ac reconciliatione quoquo modo vel ipsi requirant, vel ab aliquibus in Ecclesia requiri sciant. Quodsi quid sit eiusmodi, quod peculiarem satisfactionem poscere videatur, monetur excommunicatus ille per Ministrum, ut id praestet, quod in ipso requiri adhuc videtur. Si vero nihil omnino in ipso requiritur Seniorum iudicio, tum Minister excommunicatum illum paucis alloquitur in hunc modum: (394).

„Agimus gratias Divinae bonitati et misericordiae pro tua resipiscentia, qua tu non tam sane teipsum, quam Satanam potius pudefecisti et vicisti, qui sane tum demum vere pudefit ac vincitur, dum regnum peccati in nobis agnoscimus nostramque miseriam cum opis Divinae imploratione, Christi Domini merito ac promissionibus freti, accusamus."

Postea vertit se ad Ecclesiam Minister et eam hisce verbis adhortatur ad publicam de excommunicati illius resipiscentia gratulationem:

Exhortatio ad Ecclesiam, ut de excommunicati resipiscentia gratuletur post agnitam ac deprecatam culpam peccati ipsius.

„Viri Fratres! posteaquam praestitum iam esse videtis ab hoc N. quod tanto tempore omnes ét a Domino Deo nostro illius nomine precati sumus (395) ét ab ipso N. summo desiderio expectabamus, certo iam documento videtis, Deum, quemadmodum impoenitentiam impiorum hominum aversatur ac punit, ita modis rursum omnibus expositum esse ad recipiendum in gratiam omnes condonandaque peccata eorum omnia, quicunque culpam illorum agnoscunt et deprecantur gratiamque ipsius supplices implorant. Quare vos omnes ante omnia exemplo hoc huius N. consolare debetis et certo statuere, quod, quemadmodum ipsum a Domino Deo in gratiam receptum videtis testimonio huius poenitentiae ipsius — non enim hoc proprium ipsius, sed Dei potius in ipso opus est — ita et vos in omnium peccatorum vestrorum agnitione opisque suae imploratione, tanquam dilectos in Christo Domino ipsius filios, clementer ad salutem vestram audiri inque gratiam recipi ne dubitetis. Deinde etiam huic ipsi N. ex toto corde vestro gratulari debetis, quod illum iam audieritis culpam peccati sui ad gloriam Dei ac pudefactionem Satanae in medio coetu vestro agnoscentem, po-(396)stulantem a vobis, ut in vestram rursus fraternitatem recipiatur, et contestantem fidem suam de Christi Domini in se beneficiis indubitataque peccati sui per ipsum remissione. Haec enim sunt indicia, quibus Deus suam nobis erga illum misericordiam ecce ita patefacit, ut de illa neque ipsemet, neque nos etiam dubitare amplius quoquo modo debeamus. Ut igitur vos id omnes ex animo facere in ipsius et N. consolationem declaretis, in genua omnes procumbite, ut quemadmodum ipsum cum publico luctu nostro inviti, iuxta verbi Divini praescriptum, excommunicavimus propter eius impoenitentiam, ita illum nunc rursus publica etiam omnium nostrum gratulatione in coetus nostri Ecclesiastici fraternam societatem in conspectu Christi nostri, invocato eius ad id nomine, recipiamus, quem sic unanimiter omnes precemur:

Precatio, continens in se restitutionem excommunicati ad Ecclesiasticam fraternitatem. (397)

„Domine Iesu Christe, Rex Doctor ac Pontifex noster aeterne! qui ad attestandam iudicii tui severitatem adversus obstinatum ac rebellem tui et verbi tui atque admonitionum inde petitarum contemptum, potestatem dedisti Ecclesiae tuae, ut eos tuo nomine tuaque autoritate

Divina, ligatis ipsorum peccatis, Satanae in interitum carnis tradat, si quo modo spiritu adhuc servari possint, qui institutas abs te in tua Ecclesia admonitiones ipsumque adeo totius Ecclesiae ministerium et totam denique tuam Ecclesiam in precibus ipsius contemptim spernerent; sed rursus voluisti, ut eadem ipsa tua Ecclesia plenam potestatem atque autoritatem haberet solvendi peccata omnium tuo etiam ipsius nomine, qui illorum culpam agnoscerent illamque deprecarentur ac per nomen tuum Patris tui coelestis opem ac veniam implorarent, — agnoscimus, Servator clementissime! admirabile utrobique hic Divinae tuae providentiae consilium, nimirum qui et propo-(398)sitis severitatis tuae iudiciis et patefactis item beneficentiae ac misericordiae tuae testimoniis ad utrunque modum salutem nostram quaerere volueris, agimusque tuae bonitati pro tanta nostri cura gratias immortales. Et, ut nostram hac in parte erga te, tum obedientiam, tum etiam gratitudinem nostram contestemur, convenimus ecce in conspectu tuo teque per Spiritum tuum in medio nostri esse non dubitamus. Convenimus autem, ut ovem, quae perierat, per publicam eius poenitentiam ac reconciliationem in tuum rursus ovile (nostram inquam societatem Ecclesiasticam) publica omnium gratulatione recipiamus, quem ob eius impoenitentiam coetu nostro excluseramus. Te itaque supplices oramus, ut reductam, quae perierat, ovem hanc tuam, nosque cum illa omnes oculis tuae misericordiae intueri, et nostrum hoc ministerium in excommunicato hoc N. ad societatem rursus Ecclesiasticam recipiendo, ratum in oculis tuis habere digneris. Nos enim abs te edocti, te talem pasto-(399)rem esse, qui erraticas oves tuas humeris tuis superimpositas ad ovile tuum cum gaudio reportes, modo ne salutarem verbi tui vocem aversentur ac refugiant, nostri officii esse putamus, ut tuum hic exemplum sequuti ovem hanc tuam erraticam atque extra septa ovilis tui interea vagantem, sed interim vocem tuam in nobis non amplius aversantem, quin potius te invocantem et reditum in ovile tuum per publicam hanc ipsius poenitentiam quaerentem, in Ecclesiasticam rursum corporis tui societatem nostram recipiamus. Hoc ipsum igitur iam facimus, Servator noster clementissime! atque erraticam ovem hanc tuo ipsius nomine tuaque potestate in Ecclesiasticam rursum corporis tui sacrosancti societatem pro ratione nostri ministerii recipimus, atque ad ipsius et nostram pariter omnium consolationem testamur, omnia illi iam peccata sua haud aliter in coelis remissa esse, quam hic nunc per nos in conspectu tuae Ecclesiae remittuntur, neque minus in regni tui coelestis societatem tuo beneficio rece-(500)ptum rursus esse, quam hic nunc per nos in Ecclesiasticam rursus nostram hanc societatem recipiatur, idque propter meritum vivificae mortis tuae, qui cum Patre

tuo et sancto Spiritu vivis et regnas trinus et unus Deus, laudandus in saecula. Amen."

Postea convertit Minister orationem suam ad receptum in gratiam fratrem, illumque alloquitur ad hunc modum:

Admonitio ad receptum iam fratrem.

„Ecce iam denuo per nostrum in hac Ecclesia ministerium reciperis rursum in coetus nostri societatem, qua quidem receptione nos tibi in nomine et virtute Domini nostri Iesu Christi testificamur, te, qui Satanae membrum esse coeperas, iam rursum esse membrum sacrosancti corporis Christi, denuo cooptatum in filium Dei vivi, qui iam praeceps ad interitum tuum aeter-(501)namque condemnationem, Satanae traditus, ferebaris. Denique te iam rursum esse fratrem Domini nostri Iesu Christi et perinde nostrum quoque in illo omnium, atque ita demum haeredem Dei et cohaeredem Christi, receptum una nobiscum per gratiam illius in sortem sanctorum, ut opulentia gratiae ac misericordiae illius, per tuam istam resipiscentiam et reconciliationem in Ecclesia ipsius celebretur. Agnosce igitur Divini huius in te beneficii magnitudinem, mi frater! hanc agnosce inquam et cave, ne tanto beneficio, etc.". (*Ultima haec verba requirantur pag.* 327 [*huius ed. p.* 192], *paulo ante finem ipsius, atque persequatur Minister hanc deinceps admonitionem ad finem usque, quemadmodum illic habetur*).

Finita vero hac admonitione ad receptum fratrem, adiungitur mox admonitio ad Ecclesiam, quae etiam habetur pag. 328 [*huius ed.* p. 192] et incipit: „Vos autem, fratres omnes! etc. Qua demum absoluta invitatur Ecclesia ad eam gratiarum actionem, quae habetur pag. 329 [*huius ed.* p. 193.] et incipit: „Pater noster coelestis, inexhauste fons etc. Finita vero gratiarum acti-(502)one admonet Ecclesiastes reliquos Ministros ac Seniores omnes, ut receptum fratrem ordine omnes dextris datis coram tota Ecclesia amplexentur, suamque et totius Ecclesiae cum illo reconciliationem osculis suis attestentur. Quod ubi factum est, canitur Psalmus gratulatorius a tota Ecclesia; „Benedic anima mea Domino, — eoque decantato dimittitur Ecclesia more solito cum benedictione et pauperum commendatione.

In pomeridiana autem concione denunciatur apud alias peregrinorum Ecclesias fratris recepti reconciliatio, ne amplius ab illis etiam pro ethnico, sed iam rursus pro fratre communi omnium habeatur.

Atque hactenus de usu disciplinae ad totam in genere Ecclesiam pertinente dictum est. Iam vero de peculiari illius usu inter Ministros duntaxat Ecclesiae omnes dicendum erit.

DE PECULIARI DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE USU INTER GERMANICAE POTISSIMUM ECCLESIAE MINISTROS LONDINI. (503).

Cum legitimus disciplinae Ecclesiasticae usus ita sit necessarius in Christi Ecclesia, ut quemadmodum corporis compages sine nervis, ita et Ecclesia sine illo consistere omnino non possit, atque is non aliunde magis dependeat, quam a Ministris ipsis, nempe ut illum ipsimet inter sese serio ac diligenter observent et a reliqua tota etiam Ecclesia exemplo suo observari curent, facile est videre, praestandum hic esse, si usquam alibi, Ministris omnibus ipsorum officium, ne, quorum opera atque exemplo reliqua tota Ecclesia aedificari potissimum debebat, eorum culpa ad dissipationem propendeat propter neglectum ab illis inter sese in primis usum Ecclesiasticae disciplinae. Utinam vero non tantum suae hic indulsissent primum negligentiae, deinde vero tyrannidi etiam, qui primarii Ecclesiae Ministri aliquot iam saeculis haberi voluerunt! Nimirum nullus proculdubio locus unquam futurus erat antichristianae Papae Romani tyrannidi, qua nunc omnem legitimam Ecclesiae gubernationem omnemque adeo religionem (504) oppressam adulteratamque fuisse videmus. At vero hic non dormivit Satan, qui facile alioqui intelligebat, abolito semel inter Ministros ipsos Ecclesiasticae disciplinae usu, irrecuperabilem plane Ecclesiae confusionem ruinamque adeo totius religionis subsequuturam esse, ut etiam si quando Papae Romani tyrannis excuteretur, non facile tamen ab illius praestigiis liberari adhuc possemus. Id quod equidem plus satis nunc experimur, si rem ipsam propius paulo intueri velimus. Quaquaversus enim nos vertamus, nihil adhuc videmus fere in iis ipsis etiam locis, in quibus Papae Romani tyrannis omnium maxime accusatur, in quo non plurimum adhuc desiderare cogamur, si nostra omnia cum puritate Apostolica paulum modo conferamus.

Haec vero omnia debemus neglectae potissimum inter Ministros ipsos Ecclesiasticae disciplinae circa Ecclesiarum restitutionem. Et haud scio, an sperari unquam possit legitima Ecclesiarum ac religionis restitutio, quae quidem diuturna esse possit, tantisper dum legitimum rursus disciplinae usum inter Ministros po-(505)tissimum ipsos ex verbo Dei restitutum non habeamus. Equidem non temere Christus Dominus Ministros Ecclesiae sub Apostolorum nomine lucem mundi esse docet et finem ac modum tenebrarum nullum fore innuit, si lux ipsa, amisso splendore suo, ullo modo obtenebrescat. Cum vero lux ipsa Ministrorum non aliter lucere possit in ipsorum ministerio, quam si suo officio legitime ac diligenter fungantur, et fieri haudquaquam possit omnino propter exlegem

prorsus naturae nostrae omnium corruptelam, nisi per legitimam ac seriam disciplinae inter Ministros potissimum ipsos observationem, quae in hoc est alioqui inprimis instituta, ut in suo quemque officio contineat, — sane, quemadmodum tenebrae depelli non possunt revera, nisi luce prolata quae luceat, ita, cum lux Ministrorum lucere haudquaquam vere possit in Ecclesia, nisi legitimus disciplinae usus inter ipsos observetur, minime obscurum est, qualisnam sit nobis expectanda religionis atque Ecclesiae restitutio, si nulla legitimae inter Ministros ipsos disciplinae ratio ineatur. Quid enim aliud efficiunt, (506) qui non restituta lumini sua luce, sed obscuri cuiusdam elychnii splendore, veluti lucis umbra quadam, tenebras plusquam Cimmerias dispellere tentent, quam ut res in tenebris iacentes maiore etiam illarum periculo commoveant duntaxat, relapsuras aliqui denuo mox ad easdem aut etiam graviores tenebras, posteaquam elychnium illud sua qualicunque umbra lucis, quae sane diuturna esse non potest, destituetur? Ita videlicet aliud nobis expectandum non erit, nisi legitimus disciplinae usus inter Ministros ipsos observetur, quam aut ut ad Papismum relabamur rursum, ubi direptis bonis Ecclesiasticis causa ipsa religionis in odium atque invidiam propter doctrinae dissidia vocabitur, aut non tam equidem sublatam, quam mutatam potius, ne dicam conduplicatam, Papae tyrannidem habituri sumus. Atque sane postremi huius mali initia quaedam haudquaquam obscura animadvertere iam licet. Nam et doctrinae professio ad unius alteriusve hominis autoritatem, perinde atque ad Papam ipsum, revocari iam ita coepit, neglectis legitimis omnibus catholicae Ecclesiae (507) iudiciis, ut haereseos damnentur, quicunque magnis (si Deo placet) Prophetis illis, a quibus solis dissentire non liceat, subscribere nolint. Et universam praeterea Ecclesiae totiusque adeo cultus Divini gubernationem pertrahi ad eos videmus, qui, ad gladii duntaxat ministerium in Ecclesia divina ordinatione vocati, Apostolicam quoque functionem sibi in praescribendis cultus divini ritibus arrogare videntur. Est sane Magistratus in Christi Ecclesia custos ex divina ordinatione, non modo tranquillitatis publicae, sed et pietatis etiam, et perinde cultus quoque divini, in quo magna pietatis pars consistit. Caeterum custos est duntaxat, non dominus, et praescriptam habet custodiae huius suae functionem, nimirum non ut ipse pro suo suoramve arbitrio leges rituum in cultu Dei praescribat, sed ut legem Dei, quod ad divina potissimum attinet, a sacerdotibus et, qui sacerdotum loco in Christi Ecclesia habentur, requirat ac sequatur, et, quae illi iuxta legem Dei (hoc est verbi Divini praescriptum) observanda esse docent, ea ut iuxta traditum sibi gladii, non dominatum, sed ministerium pro custodiae suae officio observari curet. In omnibus interim, quae

ab istis docentur, non equi-(508)dem humanae rationis ac prudentiae consilia, sed legis Divinae in scripturae testimoniis praescriptum atque autoritatem requirat, ne non tam legis Divinae, quam humanae prudentiae Minister potius fuisse in Dei olim iudicio inveniatur. Nunc vero, non tam sane legem Dei, quam humanae prudentiae consilia requiri videmus passim in causa restituendae religionis, et, neglectis legitimis Ecclesiae iudiciis, neglectis item eorum sententiis, quos per Spiritum sanctum in rectores ac gubernatores Ecclesiae, quod ad divina attinet, constitutos esse docet Paulus, auspiciis consiliisque aulicorum restituitur religio ex Principum arbitrio, cum nihilo plus autoritatis potestatisve sibi a Deo traditae habeant Principes Satrapaeque illorum omnes in statuendis de religione cultuque Divino in eius Ecclesia legibus, quam verbi Ministri habent in forensibus ac politicis legibus in re publica praescribendis, nisi quod, quemadmodum verbi Ministri sunt quidem et ipsi custodes politicae Magistratus in Christi Ecclesia gubernationis, ut ne quid in illa contra verbi Divini praescriptum geratur statuatur alatur ac (509) defendatur, sed legitimis hac in parte ex verbo Dei admonitionibus apud Magistratum quemlibet utantur, qui pro Christiano haberi inque corpore Ecclesiae numerari velit, in aliis vero omnibus commendent ac promoveant politicam Magistratus autoritatem apud totam Ecclesiam; — ita et politicus quisque Magistratus vicissim est quidem et ipse custos pietatis publicae omnium in Ecclesia Christi, ut intelligat, curam religionis non minus ad se, quam ad ipsos etiam Ecclesiae pastores ac rectores in verbi ministerio pertinere, sed esse praescriptam sibi interim eius suae custodiae rationem. Nempe ut, observatis legitimis Ecclesiae ex verbo Dei iudiciis, illis gubernandae Ecclesiae autoritatem permittat, quod ad Divina conscientiarumque pacificationem attinet, quos ad id peculiariter ab ipsomet Deo per Spiritum sanctum suum constitutos esse scriptura ipsa testatur, — ex ore tamen illorum legem verbi Divini in omnibus summa cura ac diligentia requirat, pro ratione suae custodiae, quaecunque illi observanda esse docent, ne quid et ipsi (510) humanum pro divino Ecclesiae obtrudant. Sunt enim et illi homines, qui et falli possunt et fallere, ut omnia sane illorum probari examinarique oporteat. Sed si sua illi omnia, observatis legitimis Ecclesiae iudiciis, verbo Dei consentanea esse et ad Ecclesiae aedificationem pertinere doceant, officium Magistratus est, ea omnia amplecti et efficere iuxta gladii sibi concrediti ministerium, ut per omnes suos reverenter, ut aequum est, ac religiose observentur. Hoc sane est officium cuiusque Magistratus in Christi Ecclesia circa causam religionis. Sed quantum ab illo nunc discessum sit, facile passim videmus. Quod tamen totum

neglectae potissimum inter Ministros ipsos Ecclesiasticae disciplinae proculdubio debemus, quae si extaret legitimumque suum usum in Ecclesia haberet, neque sane verbi Ministris liceret negligentes esse in suis apud Magistratum admonitionibus, neque Magistratus ipse item pro Dei Ministro in eius Ecclesia haberetur, si adversus Ministrorum legitimas ex verbo Dei admonitiones pertinaciter aliquid atque obstinate age-(511)re in Ecclesia vellet, quemadmodum de Theodosio Imperatore legimus. Imo vero omnia suo loco suoque gradu consisterent in Ecclesia omniaque suum hauddubie progressum legitimum haberent, si legitimus Ecclesiasticae disciplinae usus, inter Ministros potissimum ipsos haberetur. Proinde et nos, post permissam nobis Divino beneficio et Regia benignitate Ecclesiae hic nunc institutionem, ne nostro hac in parte officio defuisse ullo modo videremur, in hoc protinus omnes omni cura ac studio nostro incubuimus, qui ad illius ministerium admoti sumus, ut, constitutis Ecclesiae Senioribus seu Presbyteris, legitimum inter nos ante omnia disciplinae usum institueremus, etiamsi nos id sine magnis multorum clamoribus magnaque praeterea multorum invidia facere non posse intelligeremus. Atque a nobis ipsis auspicandum esse usum disciplinae existimavimus, ut reliquae nostrae toti Ecclesiae, ut de aliis taceam, exemplo qualicunque nostro hac in parte praeluceremus. Qualem igitur instaurandae inter nos disciplinae usum gubernandaeque adeo in (512) nostro ministerio totius Ecclesiae rationem instituerimus, id vero iam totum ordine ponemus.

Primum tota Ecclesiae nostrae gubernatio non est posita in unius aut alterius cuiuspiam, quisquis tandem ille sit, arbitrio atque autoritate, sed in unanimi coetus universi omnium Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae assensu et comprobatione. In quo tamen coetu interim, non tam equidem numerantur, quam ponderantur potius singulorum sententiae, ut omnia ex verbo Dei statuantur, eaque reiiciantur, etiamsi numero suffragiorum superiora esse videntur, quae verbi Divini autoritate comprobari non queant: certe nihil omnino fiat, quod ullo modo a verbi Divini doctrina dissentaneum videri possit. Etsi autem Superintendenti proximisque post illum Ministris aliis suus honor semper habetur, in gubernatione tamen ipsa Ecclesiae dicendaque in coetu Ministrorum ac Seniorum sua sententia nihilo plus habet Superintendens, vel potestatis, vel (513) autoritatis, quam unus quilibet e Seniorum numero, nisi quod omnium sententias colligit et observat, idque inprimis operam dat, ut in ferendis singulorum suffragiis omnia ordine ac dicenter fiant. Maximo enim Ecclesiarum malo videmus, collatam in unum aut alterum omnem gubernandae Ecclesiae autoritatem in Antichristianam tandem tyran-

nidem erupisse, et pugnat praeterea haec talis gubernandae Ecclesiae inter Ministros ratio cum Christi ipsius eiusque Apostolorum doctrina atque observatione.

Deinde Ministri, Seniores et Diaconi omnes, alii pro aliis sedulo sunt solliciti aliique aliorum inter sese curam in eo peculiarem habent, ut, si aliquem inter se videant in praestandis suis officiis negligentiorem — sive quod ad ministerii suscepti functionem, sive quod ad vitae alioqui conversationem attinet — gradibus admonitionum protinus apud illum utantur. Caveturque modis omnibus, ne quisquam e Ministrorum omnium coetu a reliqua Ecclesia, aut quibusvis adversariis omnino, ullius rei merito (514) notari accusarive possit, cui non iam antea alioqui remedium inter Ministros ipsos adhibitum fuisse constet, sive per privatas unius apud alterum, sive per publicas in coetu ipsorum admonitiones.

Postremo iidem etiam Ministri et Seniores potissimum Ecclesiae omnes in hoc toti assiduique sunt, ut nihil omnino praetermittatur apud totam Ecclesiam, quod ad promovendum urgendumque modis omnibus disciplinae usum pertinere quoquo modo vident, dantque omnem operam, ne quid in fratrum omnium in Ecclesia lapsibus, aut odio cuiusquam exasperetur, aut rursum amore ullo dissimuletur, in faciendis recipiendisve admonitionibus, sed ut omnes omnium in Ecclesia fratrum admonitiones instituantur in charitate et lenitate Christiana sine ullis omnino privatis affectibus ullove etiam peculiari respectu personarum, quemadmodum id iam antea quoque in quarta adnotatione super disciplinae diffinitione explicatum habetur, pag. 272 (*huius ed.* p. 171). Nempe ut, qui ullius lapsus nomine admonentur, intelligant, nihil apud se (515) aliud quaeri omnibus admonitionibus omnino, quam suam resipiscentiam suique lucrifactionem ad vitam aeternam, neque ipsa videant, illas non aliunde, quam ex mero amore ac studio se lucrifaciendi et ex peccati condolescentia ac commiseratione provenire. Denique ut in corde ipsi suo convincantur, alio non spectare totam disciplinae usum, quam ut gloria Dei in fratrum lapsibus per ipsorum resipiscentiam Ecclesiaeque totius aedificatio promoveatur.

Ut vero Ministri ac Seniores pariter omnes suum in praestandis hisce omnibus officium, quoad eius fieri potest, attestentur et declarent, utque hic certo suo ordine ac decenter omnia fiant, primum publice coram tota Ecclesia omnes pariter testantur, se non minus velle subesse disciplinae Ecclesiasticae, quam minimus quisque in tota Ecclesia, et petunt a tota Ecclesia, ut, si quisquam in illis aliquid videat, in quo admonendos esse putet, eos in charitate et libertate Christiana admoneat, neque id ullo modo praetermittat. Id faciunt

Ministri et Seniores quater in anno, quem-(516)admodum postea dicetur. Deinde constitutos habent inter sese coetus suos peculiares etiam, ut tanto commodius et de promovendo disciplinae usu, tam inter se ipsos, quam apud totam Ecclesiam, et de recte gubernanda tota Ecclesia deliberare semper possint, de quibus ipsorum coetibus singulis nobis iam dicendum erit.

De peculiaribus Ministrorum inter sese coetibus in Ecclesia Germanorum Londini.

Primum habetur coetus Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae omninm semel, ut minimum, singulis hebdomadibus, nempe diebus Iovis, hora secunda pomeridiana. In quo coetu, posteaquam omnes iam Ministri et Seniores convenerunt, invocatur ante omnia per unum e Ministris verbi nomen Domini. Fitque precatio, ut Dominus corda atque ora Ministrorum ac Seniorum congregatorum in deliberationibus et consiliis ip-(517)sorum omnibus per Spiritum sanctum suum regere et gubernare dignetur ad laudem et gloriam sui adorandi nominis et Ecclesiae sub ipsorum ministerio aedificationem, pro qua filius suus unigenitus semet ipsum victimam propitiatoriam offerre non dubitavit. Finita precatione rogantur per Superintendentem singuli ordine suo, num aliquid proponendum habeant, quod vel de disciplinae observatione, vel de gubernatione ipsa Ecclesiae, vel si quid alioqui incidat, quod seria deliberatione egeat, tractandum esse putent, rediguntur que in scriptum omnia, quae quisque in coetu tractanda proponit, atque ex iis demum ea tractanda desumuntur, quae plus habere ponderis magisque urgentia esse videntur. Postea vero monentur per Ministrum aut Superintendentem omnes, ut quisque illorum de re in consultationem vocata ordine suo id proferat, quod suae conscientiae testimonio intelligit maxime facere ad Ecclesiae aedificationem iuxta verbum Dei et eius conservationem. Atque ita demum quisque ordine suo dicit suam sententiam de cau-(518)sa proposita iuxta conscientiae suae testimonium. Et, ubi omnes sententias suas dixerunt, id demum unanimi omnium consensu statuitur, quod omnium maxime verbo Dei consentaneum Ecclesiaeque ipsi utile esse videtur. Quod ipsum alioqui in scriptum protinus redigitur, ut certum omnium consiliorum, per coetum illum approbatorum, documentum haberi deinceps possit. Sicque demum ad aliarum, si quae sunt propositae, causarum tractationem proceditur eodem ipso, qui est praedictus, ordine, donec de rebus propositis omnibus certi etiam aliquid statuatur. Quodsi omnia simul tractari non possint, tum, quae uno conventu absolvi non possunt, in alium

proximum differuntur, ut ante omnia demum etiam pertractentur. Porro in hisce coetibus, qui per singulas hebdomades diebus Iovis, ut dictum est, habentur, dissidia inter fratres omnia, si quae ullo modo exorta sint, componuntur, et ad coetus illos vocantur fratres illi in Ecclesia, qui aut privatas aliorum fratrum in lapsibus suis admonitiones contempserunt, aut (519) eiusmodi aliquid designarunt, quod vel pluribus iam sit notum, quam ut coelari possit, vel totam praeterea Ecclesiam in discrimen aliquod adducere omnino videatur. Si quando autem incidat, ut praeter ordinarium illum diebus Iovis conventum opus sit alio etiam praeterea Ministrorum ac Seniorum coetu, tum, non expectato alio rursum die Iovis, Superintendens aut proximi post illum verbi Ministri convocant reliquos Ministros ac Seniores omnes, ut de eo consilia sua communicent, propter quod illos convocari oportebat.

Deinde singulis mensibus semel, nempe primo quoque die Iovis cuiusque mensis, habetur etiam peculiaris coetus Ministrorum, Seniorum et Diaconorum omnium. Non quod cura gubernandae Ecclesiae ad Diaconos, perinde atque ad Seniores ipsos ac verbi Ministros pertineat, sed quod Diaconorum quoque ministerium, tam in colligendis quam in dispensandis eleemosynis, inculpatum atque irreprehensibile haberi in Ecclesia oporteat, cuius alioqui Diaconorum ministerii ratio in menstruis hisce coetibus (520) potissimum habetur. Solet enim fere hoc genus ministerii multis suspicionibus atque obtrectationibus passim esse obnoxium. Ut igitur fidelitas Diaconorum perspecta sit, non tantum verbi Ministris ac Senioribus, sed toti etiam Ecclesiae, ad hoc potissimum coetus hic menstruus observatur, ut Diaconi pariter omnes, propositis coram Ministris ac Senioribus acceptarum et expensarum eleemosynarum mensis totius tabulis, rationem illarum omnium in coetu illo alius post alium suo ordine subducant. Denunciatur autem id toti Ecclesiae proximo ante die Solis in concione publica, ut, si quis ex Ecclesia calculis illis Diaconorum adesse velit, ad comprobandam Diaconorum fidelitatem in ipsorum ministerio, is coetui ipsi calculisque Diaconorum adesse possit, ut ita demum omnis omnium suspicionum atque obtrectationum occasio amputetur. Quia vero Diaconatus ministerium plurimum laboris ac diligentiae requirit, sic ut per eosdem semper illi satisfieri non facile possit, ita inter illos etiam constitutum est, ut alternis mensibus curam colligen-(521)darum ac dispensandarum eleemosynarum inter sese partiantur, et, qui uno mense iam totum onus alioqui ministerii sustinuerunt, altero mense per eiusdem ministerii collegas, eo onere liberentur post subductam eorum, quae ipsi perceperunt et expenderunt, rationem, donec rursum alius mensis recurrat

Post absolutos vero eleemosynarum calculos omnes, si quid Diaconi inter se habent, in quo aliquo modo haereant, id, dimissis aliis fratribus, per Ministros verbi et Seniores discutiendum proponunt, atque in Diaconorum praesentia per Ministros ac Seniores more illorum solito deliberatur de re ad hunc modum proposita. Imo vero in gravioribus etiam totius Ecclesiae causis, vel quoties in disciplinae usu ad publicas in coetu ipso Ministrorum admonitiones progrediendum est, admittuntur sane ad Ministrorum ac Seniorum coetum et Diaconi ipsi sententiaeque illorum ordine suo rogantur, ut et ipsi in suo ministerio pro collegis quodammodo Seniorum ac verbi Ministrorum a tota Ecclesia habeantur, et Ministri ipsi verbi ac Seniores tanto (522) diligentius muneri suo incumbant, atque eo maiorem praeterea etiam autoritatem consilia illorum obtineant, quo plurium suffragiis comprobantur.

Praeterea, quoniam plures sunt peregrinorum sub uno Superintendente Ecclesiae, sic ut una sine altera periclitari non possit, habetur etiam singulis mensibus, primo die Lunae cuiusque mensis, conventus Ministrorum, Seniorum ac Diaconorum omnium simul peregrinarum Ecclesiarum. In quo coetu post nominis Divini, ut dictum est, invocationem rogantur per Superintendentem Ministri singularum Ecclesiarum suo ordine, num quid habeant, quod in eo coetu tractandum esse putent, quod praesertim in commune ad omnes illas Ecclesias pertineat, aut si quid unius Ecclesiae Ministri in aliis requirant. Et tum de omnibus, quae sunt proposita, instituitur deliberatio, quemadmodum et in aliis coetibus, roganturque ordine suo ac demum etiam colliguntur per Superintendentem omnium illorum Ministrorum ex omnibus peregrinis Ecclesiis sententiae, atque ad extremum (523) id statuitur, quod verbo Dei consentaneum esse, quemadmodum et in aliis coetibus, et ad unanimem omnium illarum Ecclesiarum consensum ac pacem facere videtur. Quodsi quando aliquid eiusmodi incidat, quod commune illarum Ecclesiarum consilium, non expectato menstruo conventu illo, postulet omnesve simul Ecclesias illas concernat, tum protinus convocantur per Superintendentem Ministri ac Seniores omnium illarum Ecclesiarum, et de causa illa tractatur modo praedicto, propter quam coetus est convocatus, ut, quod ad omnes simul Ecclesias illas pertinere videtur, communi etiam omnium consilio unanimiter tractetur et transigatur.

Postremo habetur etiam peculiaris conventus Ministrorum, Seniorum ac Diaconorum omnium Germanicae Ecclesiae, nempe secundo die Iovis quarti cuiusque mensis, ad observandum inter ipsos peculiariter Ecclesiasticae disciplinae usum, reiectis omnibus, quae eo alioqui die agenda erant, in proximum deinceps Iovis diem aut ali-

quem alium, si tanta mora noxia esse videa-(524)tur. In quo coetu id inprimis agitur, ut doctrinae puritas consensusque unanimis, et vitae item probitas atque integritas inter Ministros, Seniores ac Diaconos simul omnes observetur et custodiatur. Primus autem istiusmodi coetus habetur mense Martio, secundo die Iovis illius, alter vero secundo die Iovis in mense Iunio, tertius item die Iovis secundo in mense Septembre, et quartus die Iovis secundo in Decembre. Proximo autem die Solis ante praedictos hosce disciplinae inter Ministros observandae dies monetur eius rei in publica concione tota Ecclesia et rogantur fratres in Ecclesia omnes, ut, si quis omnino, vel in doctrina, vel in vita Ministrorum, Seniorum ac Diaconorum, aliquid ullo modo requirat, aut quenquam illorum ullius rei nomine admonendum reprehendendumve esse putet, id ut ante praescriptum diem Iovis illum alicui e Senioribus indicet in charitate et libertate Christiana, ut hoc ipsum per fraternas in coetu illo admonitiones corrigi in tempore possit. Hoc sane esse officium omnium membrorum Eccle-(525)siae, ut omnium clandestinarum obtrectationum ac murmurationum adversus Ministros in Ecclesia occasiones omnes tollantur. Quisquis enim, non admonitis ulla de re Senioribus, Ministrorum deinceps Seniorumque ac Diaconorum vel doctrinam vel vitam nihilominus in Ecclesia traduceret, is sane non alio, quam perturbatoris ac murmuratoris loco a fratribus omnibus habendus esset. Interim tamen, ne quisquam ullam accusationem adferat adversus quenquam Ministrorum verbi Seniorumve aut etiam Diaconorum omnino, nisi illam duorum aut trium testimonio comprobari posse sciat, qui praesertim aut e fratrum numero essent, aut alioqui ita inculpate viverent, ut de fide illorum dubitari non posset. Prohiberi enim a Paulo, ne ullae adversus Ministros Ecclesiae accusationes admittantur, nisi sub certo duorum aut trium testimonio [1]). De hoc ita monetur publice tota Ecclesia die Solis proximo ante illum diem Iovis, observandae inter Ministros Ecclesiasticae disciplinae destinatum. Postea vero quam ad constitutum diem illum Iovis Ministri, (526) Seniores ac Diaconi omnes convenerunt, tum unus e verbi Ministris hortatur omnes ad divini nominis seriam invocationem, ipseque aliis auscultantibus precatur ad hunc aut similem modum:

Precatio in coetu Ministrorum circa disciplinae inter ipsos peculiarem observationem.

„Domine Deus, fili Dei vivi unigenite, Iesu Christe! qui nos miseros

[1]) 1 Tim. 5.

planeque indignos homines in regni hic adeoque et corporis tui mystici, quod est Ecclesia, ministerio constitui voluisti, agnoscimus, Servator clementissime! ministerii huius sublimitatem multo maiorem, quam ut illi pares ullo modo esse possimus. Agnoscimus item nostram in illo tenuitatem et insufficientiam, etiamsi omnes vires nostras ad illud recte obeundum conferamus. Sed agnoscimus praeterea etiam no-(527)stram in illo negligentiam, cuius culpam apud te supplices deprecamur, et te oramus, Rex ac Pontifex noster aeterne! ut nostrae huic negligentiae propitius esse, verumque illius sensum atque agnitionem in nostris animis augere ad nostri correctionem per Spiritum *tuum digneris, in mutuis potissimum nostris, quas inter nos instituimus, admonitionibus fraternis. In hoc enim convenimus ut nostram invicem alii pro aliis sollicitudinem fraternam in communi nobis omnibus corruptela nostra per mutuas, abs te institutas, admonitiones declaremus, fidemque nostri ministerii tibi primum, tanquam vero summo atque aeterno Regi, Doctori ac Pontifici nostro, deinde vero tuae huic etiam, cuius Ministri sumus, Ecclesiae pro nostra infirmitate approbemus. Te igitur supplices precamur, Domine Iesu Christe! ut nostro huic instituto per Spiritum sanctum tuum adesse, cordaque ac linguas nostrum omnium ita gubernare digneris, ut omnes nostrae invicem (528) admonitiones Divino afflatu tuo instituantur atque in nobis fructificent ad gloriam tui adorandi nominis, ad nostram item omnium correctionem ornamentumque tui in nobis ministerii et ad Ecclesiae tuae aedificationem. Amen".

Finita hac aut simili precatione, hortatur Superintendens aut verbi Minister aliquis reliquos Ministros, Seniores ac Diaconos omnes, ad habendam rationem, in omnibus admonitionibus vel faciendis vel accipiendis invicem, charitatis potissimum et libertatis Christianae. Charitatem enim esse condimentum eiusmodi, ut omni fere offensione careat [admonitio], quae a charitate Christiana profecta esse constat, — et libertatem rursus, cum omni modestia ac lenitate coniunctam, certissimum esse argumentum in istiusmodi admonitionibus, eas Spiritu sancto autore institui, qui hypocriticam alioqui in dissimulandis fratrum vitiis servitutem ferre non potest. Ubi Spiritus, inquit Paulus, ibi libertas. (529) Super omnia autem monet Superintendens, ut omnes sibi ab eo caveant, ne fratris illius quodcunque peccatum aut exaggeretur odio ullo ullave fratris admonendi invidia in instituendis apud illum admonitionibus, aut etiam ullo cuiusquam favore atque amore extenuetur excuseturve vel dissimuletur, sed in omnibus admonitionibus quaeratur gloria Dei, correctio admonendi fratris et Ecclesiae aedificatio.

Initium porro admonitionum fit ab ipso Superintendente, si adsit, aut proximo alioqui post ipsum verbi Ministro, sic ut vel Superintendens, si adsit, vel proximus alioqui post ipsum verbi Minister, paululum coetu aliorum omnium excedat, ut, ipso absente, a reliquis fratribus deliberetur, cuiusnam rei nomine in coetu illo ipsum reliqui fratres omnes aut admonendum reprehendendumve aut etiam consolandum animandumque esse putent. Priusquam tamen coetu excedat (siquidem adest) Superintendens — quem tamen adesse oportet, si nullo alioqui legitimo impedimento distringatur — recensentur paucis istius officia in eius ministerio, (530) de quibus dictum est in superioribus in ea concione, quae habetur circa Superintendentis electionem, pag. 18 [D 1ᵇ] (*huius ed.* p. 58). Quibus commemoratis, Superintendens sese subiicit fratrum reliquorum in coetu illo admonitionibus et censurae, quacunque in re suo officio, sive in doctrina sive in vita, defuisse videatur, atque ita coetu illo paulisper excedit, donec rursum per aliquem fratrum ad coetum revocetur. Interea vero, ipso absente, singuli fratres ordine suo per unum e Ministris interrogantur, num qua in re illum admonendum esse putent, sive in doctrina, sive in vita ipsius, adnotanturque ea omnia, in quibus vel admonendus, vel etiam reprehendendus, aut alioqui consolandus esse videtur. Ac tum rursus ad coetum revocatur exponunturque illi ea omnia libere et amanter totius coetus nomine, quae fratres in ipso admonitione digna esse iudicarant. Illeque cum omni subiectione recipit omnes, quae ad ipsum fiunt, admonitiones.

Ad eundem porro modum agitur cum reliquis verbi Ministris, Senioribus et Diaconis, iuxta ipsorum ordines, prius tamen recitatis eorum officiis, quam (531) coetu ipso excedere iubeantur, nempe ut, priusquam aliquis e verbi Ministris exire iubeatur, legantur verbi Ministrorum officia, quae habentur in concione circa Ministrorum verbi electionem, pag. 9 ac deinceps [C 4ᵇ] (*huius ed.* p. 54). Rursus, priusquam aliquis Seniorum exire iubeatur, recitantur etiam ipsorum officia, quae habentur in concione circa ipsorum electionem, pag. 13 [C 7ᵃ] (*huius ed.* p. 56). Ac priusquam rursus Diaconorum aliquis exire iubeatur, recitantur quoque Diaconorum officia, quae habentur in concione circa ipsorum electionem, pag. 24 [D 4ᵃ] (*huius ed.* p. 60) [1]. Ita vero singillatim alii post alios et verbi Ministri et Seniores et Diaconi e coetu sese paulisper subducunt, ut de singulis reliqui fratres omnes sub ipsorum absentia suas sententias rogentur ac ferant, quem-

[1]) *Incisio pagellarum per totum hoc opusculum mirum in modum perturbata et complexa est, quare potius duxi, obliquis sigillis numerum paginarum editionis originalis, in nostra editione obsitum, uncibus vero inclusas ipsius nostrae editionis pagellarum notas apponere.* Ed.

admodum de Superintendente dictum est, et singulis rursum totius coetus nomine, dum ad coetum revocantur, exponitur, qua in re unumquemque fratrum admonendum reprehendendumve aut etiam consolandum esse iudicarunt.

Quodsi quis Ministrorum in genere omnium admonitionem coetus illius ullo (532) modo contemnat aut illi reluctari quoquo modo velit, tum sane, quisquis ille omnino sit quavecunque autoritate aut eruditione praeditus, a ministerii protinus sui sanctione coetus totius autoritate suspenditur, donec aut culpam contemptus sui illius coram eodem ipso coetu agnoscat ac deprecetur, aut ex verbo Dei ostendat, se non recte atque merito admonitum reprehensumve fuisse. Suspenditur item et a coenae Dominicae usu, donec alterum horum, quae iam sunt dicta, in coetu ipso faciat. Si vero in contemptu suo illo perstet, neque ullum resipiscentiae indicium faciat in subsequentis hebdomadis coetu Ministrorum ac Seniorum, tum, si post unam adhuc aut alteram admonitionem in suo nihilominus contemptu perseveret cum maiore indies ministerii sui dedecore maioreque indies Ecclesiae offendiculo ac perturbatione, in concione publica coram tota Ecclesia exponitur contemptus ipsius cum obstinatione coniunctus, rursusque coram tota Ecclesia ad resipiscentiam invitatur. Et, si ne sic quidem admonitus resipiscere adhuc velit, tum se-(533)quenti die Dominico publice coram tota Ecclesia cum assensu illius, quae eius ad octavum ante diem admonetur, ministerio suo destituitur in publica antemeridiana concione. Ad extremum vero, si adhuc obstinatus esse pergat, proceditur ad eius excommunicationem. Ad ministerium vero suum non facile recipitur, si semel destituatur, etiamsi postea cum coetu Ministrorum ac tota Ecclesia per poenitentiam publicam reconcilietur, praeterquam si insigne aliquod poenitentiae specimen aedat, quale in Petro Apostolo et Davide legimus, inque illius seria perseveratione per iustum aliquod tempus exploretur, sic ut Ecclesia ipsa, cognita ipsius vera iustoque tempore declarata resipiscentia, restitui illum rursus postulet, ne in sua illa pudefactione absorbeatur.

Caeterum si ita incidat (quod absit!), ut Superintendens ipse coetus illius admonitionibus parere nolit, tum sane de illo a ministerio suo vel suspendendo, vel magis multo destituendo, unius Ecclesiae Ministri, Seniores ac Diaconi nihil sibi statuendum sumunt, nisi coniunctis (534) sibi aliarum etiam peregrinarum Ecclesiarum Ministris omnibus. Coniuncti autem simul omnium peregrinarum Ecclesiarum Ministri ac Seniores adversus contemptum Superintendentis ita procedunt in singulis ipsorum Ecclesiis ad eius suspensionem atque etiam destitutionem et ad extremum ad eius quoque excommunica-

tionem, si obstinatus esse pergat, quemadmodum de uno quolibet alio Ministro, contemptore admonitionum, dictum habetur. Neque enim in usu disciplinae ulli homini parcitur, qui modo ad Ecclesiam pertinet, nedum ut ullius peculiaris aliqua ratio habeatur, nisi quatenus id ipsa ministerii vocatio postulare videtur. Quin potius tanto maiore severitate agitur adversus praecipuos quosque Ministros in Ecclesia, si disciplinae Ecclesiasticae parere quoquo modo recusent, quanto magis sunt exposita oculis omnium exempla illorum, plusque et offendiculi et periculi etiam adferre videntur. Equidem palam est nihil esse, quod maiorem secum ruinam totius Ecclesiae vel traxerit hactenus vel trahere etiam possit, quam si (535) Ministri Ecclesiae, in quacunque tandem functione versentur, ab usu disciplinae Ecclesiasticae seipsos eximant, quam aliis praescribunt, cum ipsorum in primis partes sint, illam suo exemplo aliis commendare. Ita in vetere Israelis Ecclesia profanatam fuisse legimus omnem fere religionem, quod Principes sacerdotum ac Pharisaei ne summis quidem digitis ea attingere dignabantur, quae vel ipsimet in populo statuebant, vel divinitus instituta habebant. Ita vero nunc idem etiam oculis ipsi nostris in Papae Ecclesia videmus, ubi, abiecto prorsus per Ministros omni legitimo Ecclesiasticae disciplinae usu, adulteratam nefandissime omnem religionem ac verum Dei cultum invectamque prodigiosam plane, ac ne Ethnicis quidem unquam auditam, ἀρτολατρείαν et tyrannidem ad extremum prorsus Antichristianam inductam usurpatamque tanto iam tempore intuemur. Imo ne nunc quidem, post revelatam passim divino iam beneficio Romani Antichristi eiusque cornuum tyrannidem et restitutam magna ex parte Euangelio lucem suam, veram adhuc religionem interim legitimumque Dei cultum propter solam disciplinae (536) inter Ministros negligentiam contemptumque admonitionum repurgari ullo modo posse videmus. Et periculum est, siquidem disciplinae hic Ecclesiasticae remedium tempori non adhibeatur, ne, quam magnis clamoribus accusamus, Papae tyrannidem, non tam sane sublatam, quam mutatam potius in orbe Christiano habeamus. Qua sane de re multa dicenda essent, sed nunc vel leviter attigisse satis erit, ut omnes intelligant, nullam veram ac legitimam verae religionis verique cultus Dei instaurationem aut repurgationem expectandam nobis esse, donec usum legitimum disciplinae Ecclesiasticae inter Ministros potissimum ipsos plene restitutum videamus. Quemadmodum sane negari non potest, neglectum initio, deinde vero prorsus abolitum illius usum, causam fuisse atque etiamnum esse omnis profanationis omniumque abusuum et omnis tyrannidis in orbe Christiano, — proinde nos Ecclesiae nostrae institutionem inde potissimum auspicandam esse existimavimus, ut

ante omnia Ministri ipsi disciplinae Ecclesiasticae sese subiicerent, illamque summo studio ac cura inter sese observarent sine ulla cu-(537)iusque omnino exceptione, ut omnis dissidiorum indulgentiaeque in peccatis, denique et tyrannidis inter illos occasio amputaretur. Et re ipsa experti sumus indiesquē magis experimur, nulla alia ratione in Ecclesia ét bona retineri ét mala omnia vitari posse per gratiam Dei, quam seria ac diligenti legitimae ex verbo Dei disciplinae Ecclesiasticae observatione.

Atque hactenus quidem de usu disciplinae in nostra Ecclesia, tam in plebe universa totius Ecclesiae, quam inter Ministros in genere omnes. Sub Ecclesiae vero nomine eos duntaxat intelligimus, qui ex natione Germanica, sedita publice fidei suae confessione, vel coram tota Ecclesia, vel in coetu saltem ipso Ministrorum, disciplinae ipsi sese praeterea etiam Ecclesiasticae ultro ac sponte sua subiecerunt. Eorum porro, qui sunt extra nostram Ecclesiam, curam iudicium ac sollicitudinem ministris ac pastoribus ipsorum permittimus, quibus interim nostra omnia deferimus officia, si ulla in re operam consiliumve nostrum vel ipsimet vel pastores eorum requirant. Caeterum si quis peregrinorum, po-(538)tissimum autem Germanus, nostrae Ecclesiae non adiunctus, praetextu nostrae Ecclesiae falsam aliquam doctrinam serere sectasve ullas alere velit nobisque id ullo modo innotescat, nos pro nostri ministerii fide in nostra Ecclesia hunc morem, qui sequitur, retinemus.

De iis Germanis, qui non adiuncti nostrae Ecclesiae falsam aliquam doctrinam spargunt aut sectas alioqui in Ecclesia alunt.

Si Superintendens cum reliquis Ministris ac Senioribus intelligat aliquem Germanum aut alioqui peregrinum esse, qui in fraudem nostrae Ecclesiae aut falsas doctrinas ullas spargat aut sectas ullas alat, primum omnium designantur duo aut tres e Senioribus Ecclesiae, qui illum adeunt, ut fontes doctrinae ipsius suspectae ab ipso resciscant, et videant cum omni modestia ac mansuetudine, si quo modo col-(539)loquium ex verbo Dei admittere velit, super suspecta illa doctrina sua. Et, si admittat, agunt cum illo privatim et amanter ac fontes doctrinae ipsius cum ipso excutiunt, ut videant, num accuratiorem doctrinae suae examinationem non refugiat. Quodsi illam non refugit, invitatur per designatos illos ad coetum Ministrorum ac Seniorum Ecclesiae et dies constituitur, quo venire debeat. Atque tum in coetu primum fontes doctrinae ipsius omnes nemine interturbante audiuntur atque adnotantur, vel ab ipsomet autore in

scripto petuntur, quibus demum legendis atque excutiendis, si sint prolixiores, aliud tempus constituitur. Qui vero vocatus venit, actis illi gratiis dimittitur, donec rursus, ut alias redeat, ei indicetur. Et, si quid post dimissum e coetu eum, qui vocatus fuerat, de doctrina illius excuti potest, id fit rogatis ordine singulorum sententiis de unoquoque fundamento doctrinae suspectae, ut vel adnotata sunt, vel ab ipsomet autore tradita habentur, et, quae tunc absolvi non possunt, in alium diem coetus reiiciuntur. Excussis vero omnibus doctrinae illius (540) suspectae fontibus, testimoniis ac rationibus, in scriptum rediguntur omnia, quae a singulis Ministris ad singula testimonia ac rationes producta fuerunt, praeterquam si eadem a pluribus sint repetita, ac demum responsio, reductis in ordinem omnibus quae sunt dicta, formatur quam brevissima haberi potest, atque demum autor ille suspectae doctrinae ad coetum invitatur, respondeturque illi ad traditos, vel per nos ipsos adnotatos, fontes doctrinae ipsius. Et, si quid ille vel in responsione desideret vel denuo forte ad doctrinae suae confirmationem adferat, id obiter aut explicatur, si quid obscurius dictum videtur, aut etiam excutitur, si quid praeter priora sit productum, ac demum autori illi suspectae doctrinae in alium usque coetum tempus deliberandi permittitur, ut ostendat, qua parte illi satisfactum non sit in tradita ei Ministrorum ac Seniorum omnium responsione. Ad constitutum porro diem auditur rursum ille, et, ubi finem dicendi fecit, quaeritur ab illo, num alia ulla adhuc documenta doctrinae suae habeat, ut omnia producat, ut illi simul etiam ad omnia respondeatur. Po-(541)stea vero, illo rursum dimisso, excutitur, si quid denuo ab ipso est productum, et, si quis priori adhuc responso aliquid praeterea addendum esse putat, id in medium adfert, ut adnotetur et suo demum loco in responsione addatur. Excussis porro omnibus doctrinae illius suspectae fontibus ac testimoniis, ubi denuo autor ille suspectae doctrinae ad coetum Ministrorum et Seniorum vocatur, repetitur illi rursum obiter data illi antea responsio et supplentur, si quae antea forte praetermissa erant. Refelluntur item ea, quae in ultimo colloquio prolata fuerunt, neque quidquam praetermittitur intactum eorum, quae autor ille ad suspectae doctrinae suae confirmationem adferebat. Ibi vero si autor ille doctrinae suspectae neque responsiones coetus diluere ex verbo Dei, neque interim a serenda suspecta doctrina sua cessare velit, tum coetus universi nomine monetur, ne in fraudem ac perniciem nostrae Ecclesiae doctrinam suam illam deinceps serat, quam verbi Divini autoritate defendere non possit. Etenim, si ipse non cessaret falsa sua doctrina perturbare nostras Ecclesias, fidem nostri (542) ministerii id non permittere, ut nostram Ecclesiam per ipsum ita

perturbari ac falsa ipsius doctrinae falli sinamus. Quodsi nec sic quidem a suo instituto dimoveri potest doctrinamque suam nihilominus adhuc spargere ac tueri pergit, tum in publica concione coram tota Ecclesia nomen eius denunciatur per Ministrum summaque doctrinae suae exponitur cum eius in coetu Ministrorum habita refutatione, moneturque Ecclesia, ut, si cui in Ecclesia doctrina illius nondum satis refutata esse videatur, is ut, qua parte in illa forte adhuc haeret, dubitationes suas per aliquem e Senioribus, sive verbis sive scripto, in Prophetia publica proponi sinat, ut ad illas publice per Ministros ac Seniores respondeatur, omnesque praetextus defendendae adeoque et excusandae doctrinae illius, quoad eius fieri potest, amputentur.

Neque hic moramur cavillos quorundam, qui hac tali hominum haereticorum denunciatione publica peccari clamant adversus legem charitatis Christianae. Non est sane huius loci velle persequi, quae ab istis adferuntur, (543) et fortassis hoc alias commodius fiet. Nunc satis erit ostendisse, nos huius nostri consilii Christum Dominum ipsummet, qui summa est alioqui charitas, ducem atque autorem habere, unaque et Apostolos et antea multo Prophetas quoque ipsius. Quos dum sequimur, nihil equidem hic moramur, aut humanae rationis argutias, aut periculorum metum, quem a nonnullis praetendi videmus. Christum Dominum ducem hic atque autorem nostri consilii habemus, dum productis nominatim Pharisaeis, et cavendum ab illorum doctrina discipulis suis omnibus esse docet, et vult, ut, ab eis segregati, illos omittant prorsusque valere sinant [1]). Sic et Ieremias publice accusat Hananiam apud totam Ecclesiam ex Dei ipsius mandato interitumque illi denunciat [2]). Sic et Paulus nominatim accusat Hymenaeum, Alexandrum et Philetum falsae doctrinae nomine, Timotheumque una cum ipsius Ecclesia admonet, ut ab eorum doctrina sibi caveat [3]). Quid? quod Christus Dominus in eo potissimum fidem boni Pastoris in eius ministerio commendat, si sedulam ac diligentem cu-(544)ram ovium suarum adversus luporum morsus habeat [4])? An vero hoc est curam habere ovium, ut ad lupi adventum conniveamus, canesque, ovium custodes, non ab invadendis modo lupis, gregi nostro insidiantibus, sed ab ipso etiam latratu, dum eos ovili imminere vident, arceamus? Charitatis est scilicet, lupis parcere totius ovilis periculo, ac non potius oves ab illorum arcere insidiis, etiamsi illi a canibus dilacerari debeant, si sui similes esse pergant. Nos hic pluris sane nobis faciendum esse putamus exemplum ac doctrinam Christi, Prophetarum item atque Apostolorum

[1]) Matth. 16. [2]) Ierem. 28. [3]) 1 Tim. 1. 2 Tim. 2. [4]) Ioan. 10.

ipsius, quam leges novas quasdam praeposterae, nescio cuius charitatis. Et, cum ovium nobis Christi in nostra Ecclesia, non autem luporum, gregi nostro insidiantium, curam a Domino commendatam habeamus, nostri proculdubio fideliumque praeterea pastorum omnium debiti atque officii esse putamus, ut, dum oves suas a luporum insidiis tutas alioqui esse non posse vident, canes ipsos potius adversus dolos ipsorum arment, nedum ut illos a latratu arceant, tametsi lupis non modo peri-(545)culum, sed certum etiam interitum imminere videant, quam ut vel unius oviculae periculo luporum sibi curam ullam habendam esse putent. Quare, etsi lupos etiam ipsos, si id ullo modo fieri posset, lucrifieri omnes cupiamus, neque, quod ad eam rem attinet, praetermittendum hic quidquam esse libenter fateamur, tamen, si oviculas nostras ab ipsis periclitari, neque eos alia ratione a nostris ovilibus arceri posse videmus, malumus, iuxta Christi Domini Prophetarumque et Apostolorum doctrinam pariter atque exemplum, oviculas nostras de luporum illis imminentium insidiis submonere, ut ab illis sibi caveant, adeoque et lupos ipsos commonstrare, quam ut per nostrum silentium oves nostras fraudenus ac fraudulentis luporum morsibus exponamus. Quemadmodum enim maius gaudium esse legimus super unius peccatoris resipiscentia, quam super nonaginta novem iustis, ita rursum maiorem luctum fore non dubitamus super interitu unius oviculae, quam nonaginta novem luporum, nedum ut unius lupi salutem infinitis ovibus anteponere debeamus, praesertim cum nihil esse (546) sciamus vel fraudulentius vel nocentius lupina hypocrisi in Ecclesia Christi. Atque utinam pauciora illius exempla nostro hoc tempore videremus! —

Haec vero de observatae in nostra Ecclesia disciplinae usu ita iam recensuisse satis erit, tam in universo coetu illius, quam inter Ministros ipsos. Ad alias iam igitur etiam nostrae Ecclesiae ceremonias veniamus, ac primum de publicis illius, si quando id res postulat, supplicationibus dicemus.

DE PUBLICIS ECCLESIAE SUPPLICATIONIBUS.

Vetus est consuetudo catholicae Dei Ecclesiae, ut, quoties aut insigne aliquod beneficium a Domino Deo accepit, aut publica aliqua necessitate premitur, aut gravem sibi ullam alioqui calamitatem impendere etiam videt, ad Deum sese precibus ac ieiuniis tota convertat, proque collatis beneficiis gratias agat, in praesenti vero necessitate opem il-(547)lius imploret et mala item impendentia omnia supplex deprecetur. Sic igitur et nostra observat Ecclesia, ut, quoties aut illi, aut urbi alioqui nostrae, in qua versamur, totive in primis

regno, sive boni aliquid sive etiam mali obvenisse impendereve videmus, publicae mox in illa ac peculiares supplicationes instituantur ad hunc modum.

Ante omnia convocatis Ministris ac Senioribus Ecclesiae, proponitur illis causa instituendae publicae supplicationis, ut dispiciant, num sit necesse atque utile illam institui. Quod si annuant, tum dies certus in sequenti hebdomade huic tali supplicationi deputatur, qui omnium maxime commodus convocandae Ecclesiae esse videtur. Die vero Dominico ante constitutum diem illum Ecclesiastes pro concione publica denunciat toti Ecclesiae diem illum publicae supplicationi destinatum causasque illius omnes recenset et Ecclesiam totam ad totius eius diei ieiunium, quatenus id cuiusque valetudo permittat, adhortatur, monetque omnes, ut sese per verum peccatorum suorum agnitionem ad publicas (548) preces toto illo die constituto componant atque in templo tempori omnes adsint.

Ad constitutum porro diem, ubi Ecclesia ante horam nonam convenit, orditur Ecclesiastes suam concionem, in qua sibi locum aliquem e scripturis desumit, quem ei causae, propter quam est instituta publica supplicatio, subservire novit. Ut enim variae sunt, tam beneficiorum divinorum, quam etiam calamitatum, quae incidunt, occasiones ac rationes, ita conciones quoque in hoc argumento ad unam formam reduci non possunt, et proinde satis erit adnotasse communes quosdam locos, circa quos potissimum minister in sua concione versatur.

Quodsi propter publicam aliquam calamitatem instituta est supplicatio, tum de his potissimum monetur Ecclesia in publica concione.

Argumentum concionis in publica Ecclesiae calamitate.

1. Docetur Ecclesia, non sine causa fie-(549)ri, ut Deus, non solum impiis hominibus, sed suae etiam Ecclesiae publicas calamitates immittat, neque posse nobis quidquam omnino ullo etiam modo obvenire, nisi quatenus immittitur a Domino Deo nostro. Atque huc citantur testimonia, Esa. 42: »Dominus est, qui tradit Iacob, ut conculcetur", et c. 45. »Ipse est, qui facit pacem et creat malum", Amos 3: »Nullum est malum in civitate, quod non sit a Domino", et quae multa eiusmodi habentur, quibus manifeste impietatis convincuntur, qui et bona et mala omnia fortuito obvenire putant.

2. Monetur Ecclesia de causa, propter quam omnes alioqui calamitates a Domino nobis immittantur, nempe de peccato. Omnes enim

calamitates non propter aliud, quam propter peccatum obvenire, infinitis scripturae locis ostenditur, Esa. 50, 59, 65, Hierem. 5, 9, 18, 19, 1 Cor. 10.

3. Docetur, etsi una sit causa calamitatum omnium, fines tamen illarum diversos esse. Impiis enim immitti calamitates, veluti primitias quasdam aeterni ipso-(550)rum cruciatus et aeternae condemnationis, quemadmodum in Sodomae et Gomorrhae exemplo videmus. Piis vero immitti, veluti remedia quaedam infirmitatis eorum ad salutem ipsorum, nempe incitamenta nobis necessaria ad nostri in peccatis nostris agnitionem, ad fidei nostrae explorationem et aliorum per nostram tolerantiam confirmationem. Ad nostri in peccatis nostris agnitionem calamitates nobis immitti a Domino, docetur manifeste Ionae quinto, in exemplo Ninivitarum. Rursum Hierem. 18: „Si redierit, inquit, ea gens, contra quam loquebar, a malitia sua, iam et me quoque poenitebit mali, quod ei facere constitueram etc". Immitti vero nobis calamitates a Domino ad fidei nostrae explorationem, insigni illo tempestatis excitatae exemplo docemur, dum, Christo Domino dormitante, Apostoli metu periculi animum propemodum desponderent atque Christum Dominum e somno excitarent [1]). Et ad aliorum per nostram tolerantiam confirmationem calamitates nobis immitti quandoque docemur a Paulo, dum se ille pro Corinthiorum suorum (551) consolatione affligi docet, quatenus videlicet Corinthii eam Pauli in afflictionibus tolerantiam sine magna consolatione secum non poterant reputare [2]). Et est insigne exemplum illud caeccinati, Io. 9, in quo Christus Dominus diserte fatetur, caecitatem hominis illius non fuisse illi immissam propter ullum, aut ipsius, aut parentum eius flagitium, sed propter solam divinae in illa gloriae illustrationem, ut intelligamus, piorum afflictiones omnes non tam equidem provenire a severitate divini iudicii, peccata nostra punientis — neque enim, qui credunt, in iudicium veniunt amplius (Io. 5) — quam a paterna potius benignitate illius ac misericordia, qui nostram in peccatis nostris indulgentiam, ad quam per naturae nostrae corruptelam propendemus, immissa cruce aliqua frenat, ut nos in officio nostro contineat, periclitaturos alioqui, nisi sic contineremur.

4. Monetur Ecclesia, ut fines eos, propter quos calamitates omnes a Domino in suos immittuntur, secum diligenter expendat atque ad se cogitet pertinere, posteaquam se praesenti calamitate a Domino exerceri ac probari videt. Hicque minister ex-(552)ponit calamitatis immissae aut impendentis magnitudinem, atque inde sumit occasionem reprehendendi exaggerandique peccata, quibus omnium maxime

[1]) Matt. 8. [2]) 2 Cor. 1.

Ecclesiam laborare obnoxiamque esse novit, adhortandique omnes in Ecclesia, ut quisque intra sese descendat suamque conscientiam in peccatis suis exploret, ut illa agnoscat, in illis sibi displiceat, illorum se nomine accuset, illa deploret, proque illis veniam supplex petat. Deinde hortatur Ecclesiam, ut in ea calamitate a Domino immissa aut impendente fidem quoque suam de Dei bonitate ac misericordia gratuita exploret, hoc est, num quisquam in Ecclesia post agnitum, accusatumque peccatum suum ac petitam pro illo veniam, intra se etiam in conscientia sua habeat sensum aliquem benignitatis erga se ac misericordiae divinae, num pro illo oret, num illum expetat, num ulla illius suavitate in corde suo tangatur, huque inducit testimonia ex scripturis, quae nobis expositam opulenter esse testantur gratuitam Dei erga nos misericordiam in Christo, etiam priusquam illam imploremus, modo ne illa in contemptu ipsi (553) nostro a nobis propellamus, imo vero implorasse Dei misericordiam adeoque et illam in corde nostro expetiisse, esse peculiare in nobis opus Divinae erga nos misericordiae, qua fit ut excitemur per spiritum ipsius ad eius implorationem, — et proinde praesentem etiam aut impendentem alioqui calamitatem debere omnibus in Ecclesia esse incitamentum quoddam ad fidei nostrae in nobis explorationem, num videlicet nos in ea calamitate aut deserendos aut iuvandos esse in corde nostro statuamus, ant nos alioqui excitari sentiamus, ad petenda a Domino fidei nostrae incrementa, quatenus vim illius in nobis refrixisse planeque elanguisse videmus. Postremo docet Ecclesiastes, intuendam esse omnibus Dei gloriam in ea calamitate, quam nobis, aut immissam esse iam, aut alioqui impendere cernimus, nempe ut, fidei nostrae testimonio persuasi, non posse nobis nisi optime cedere, quidquid omnino in nos Dominus permittat, curaque nostri tota illi concredita, id potissimum oremus, ut per eam calamitatem Dei gloria in nobis nostraque tolerantia illustretur, hoc est, ut, qui nobis in fidei (554) nostrae confessione nondum assentiuntur, lucrifiant Domino, conspecta nostra tolerantia, si ullo modo fieri potest, infirmiores confirmentur in sua fide, et, qui sunt firmiores et sibi et nobis pariter in Domino de fidei patientiaeque nostrae dono gratulentur.

Postea exponit Ecclesiastes, ideo institutam esse in Ecclesia publicam illam supplicationem et publicum ieiunium, ut eos ipsos immissae aut impendentis calamitatis fines Ecclesia universa et singula illius membra tanto maiore cura studio atque attentione secum reputent tantoque diligentius sese componant ad praestanda ea, quae fines praedicti requirunt, pro doni quisque sui mensura, quanto calamitatem ipsam, sive iam sit immissa, sive adhuc impendeat, graviorem esse constat.

Ieiunium porro tale, hac fine institutum, esse proculdubio cultum Deo gratissimum, si legitime observetur, hoc est, si afflictis inedia ultronca nostris corporibus, quae nos merito a Domino affligi testetur, ieiunio istiusmodi nostro studium atque ardorem in nostris cordibus invocandi super nos divini nominis resipiscendique a nostris peccatis coniunctum esse sentiamus, (555) quale ieiunium nobis alioqui in Ninivitis et propositum et commendatum haberemus. Ac proinde uniuscuiusque in Ecclesia officium esse, ut institutum illud in Ecclesia publicum ieiunium Domino Deo ad eum, ut dictum est, modum, approbare possit. Alioqui ieiunium nostrum fore abominationem in oculis Dei, atque adeo placatum non iri Dominum nostro ieiunio, ut etiam conduplicandus sit furor illius contra nos propter nostram hypocrisim, quam Deus gravissime odit et punit, Hierem. 18, Lucae 13.

Hic vero taxatur abusus ieiunii in papismo, ubi neque propter ullam publicam Ecclesiae necessitatem, sed propter cultum divorum idololatricum pharisaicamque superstitionem instituitur, et non tam inediae, quam ciborum delectui, meriti opinio adfingitur contra dignitatem unius meriti Christi. Hoc porro tali abusu papistici ieiunii abolitum esse usum legitimum ieiunii veri in Ecclesia Christi.

Haec ita pro concione attinguntur in die ieiunio publico publicaeque supplicationi destinato propter praesentem ali-(556)quam aut impendentem etiam publicam Ecclesiae calamitatem aut necessitatem, quibus absolutis hortatur Ecclesiastes totam Ecclesiam ad seriam atque ardentem nominis Divini pro omnibus Ecclesiae necessitatibus invocationem procumbenteque in genua tota Ecclesia orditur consuetas Ecclesiae preces publicas atque iis interserit precationem pro depellenda calamitate illa, cuius nomine instituta publica supplicatio ad eius imitationem, quae habetur Danielis nono cap. cum peccatorum confessione.

Ut autem tanto ardentioribus animis Ecclesia tota ad precandum sese componat, administratur eodem ipso die etiam Coena Dominica, ad cuius usum Minister Ecclesiam totam absoluta hac precatione adhortatur, desumptis ex ea admonitione seu concione, quae ipso die Coenae ordinarie haberi solet pa. 208 (*huius ed.* p. 143), praecipuis quibusdam capitibus, quae ad Coenae Dominicae commendationem, pro eo ac tempus id permittit, videntur pertinere. Ac ita demum Coena ipsa solito ritu suo administratur, qua peracta ac (557) Psalmo de more decantato, monetur Ecclesia, ut quisque, domum suam reversus, precatione lectioneque sacrorum ac ieiunio totum diem illum transigat, quatenus id cuiusque valetudo ferre queat, atque sic demum dimittitur Ecclesia cum benedictione et egenorum commendatione. Quod-

si Ministris ac Senioribus utile videatur, iubetur rursum Ecclesia convenire hora secunda pomeridiana habeturque rursum admonitio, quae ad institutum faciat, ac demum instituitur Prophetia, quae ieiunio illi ac supplicationi publicae subserviat, ut totus ille dies cultui Divino et sacrorum tractationi impendatur publicumque ieiunium in omni abstinentia ciborum toto eo die ad vesperam usque observetur sine ullo interim ciborum discrimine, praeterquam si cuius valetudo id ferre sine incommodo non posset. Sabbatum enim propter hominem, non homo propter Sabbatum.

Supplicatio gratiarum actoria pro publicis beneficiis in Ecclesiam collatis. (558)

Ad eundem porro modum per Ministros ac Seniores designatur dies aliquis publico ieiunio et publicae supplicationi, si quando Dei beneficio insigne aliquod beneficium, aut nostrae Ecclesiae, aut toti civitati, aut universo alioqui Regno obtigisse constet, — omniaque ad eum ipsum modum instituuntur, ad quem modum diximus institui publicum ieiunium et publicam supplicationem propter publicam Ecclesiae calamitatem, aut iam immissam, aut impendentem, nisi quod argumentum concionis ac precationum pro rei diversitate mutatur, ad hunc modum.

Argumentum concionis post collatum in Ecclesiam publicum aliquod beneficium.

Sumitur locus aliquis e scripturis, quo bona Dei erga nos voluntas ac misericordia in sustentanda tuenda ornandaque, praeterea atque extollenda sua Ecclesia commendatur. Nimirum, quemadmodum Deus ad nos in nostro continendos officio nostram erga se fidem exercere vult quandoque immissa (559) cruce aliqua pro admirabili sua providentia, ita immensam vicissim etiam bonae suae erga nos propter Christum voluntatis opulentiam collato publico beneficio Ecclesiae suae declarat, ut suam nobis beneficam alioqui beneficentiam adversus omnes nostros adversarios approbet et attestetur. In commendatione porro eiusmodi beneficiorum Dei, horum imprimis Ecclesia admonetur.

1. Omnia quidem beneficia, non aliunde, quam a fonte ipso bonorum omnium provenire, nempe Deo, et proinde velut ex ipsius Dei manibus cum gratiarum actione semper accipienda esse. Sed dum non eadem sit semper omnium beneficiorum ratio, etiamsi ab uno Deo omnia proficiscantur, observandam esse diligenter eius beneficii rationem, cuius nomine publica supplicatio instituta esset.

2. Monetur Ecclesia in collati huius beneficii ratione observanda haec esse, ut illo recte utamur: primum, quanam occasione, deinde, per quos, postremo, gratuito ne an vero sub conditione ulla sit (560) collatum. Plurimum enim interest, qua occasione, per quos, et qua conditione beneficia conferantur. Aut enim beneficia collata respondent eorum vocationi, in quos sunt collata, atque ita demum in totam etiam Ecclesiam redundant, — aut non respondent, etiamsi in totam Ecclesiam redundare possint. Aut enim ea occasione collatum est beneficium, ut ét qui illud contulit ét in quos collatum est, utrique pariter id imprimis quaesierint, ut legitima earum in Ecclesia vocationum functio promoveretur, sine quibus illa neque recte gubernari, neque consistere facile posset, — aut sane, qui beneficium contulit, aliam habuisse videri potest conferendi illius occasionem. Rursum de pietate eius, qui beneficium contulit, aut constat plane, aut adeo non constat, ut diversum multis argumentis colligi possit. Postremo, aut gratuitum esse vult beneficium, qui illud contulit, aut certis illud legibus adstringit. Haec igitur omnia observanda esse doceantur in Ecclesia in iis beneficiis, quorum nomine instituuntur publicae supplicationes. Latere (561) enim hic solet, ut dicitur, sub unoquoque lapide scorpius.

3. Monetur Ecclesia de occasione collati beneficii, pro quo est instituta supplicatio, eaque omni Ecclesiae exponitur. Et, si constet, hac occasione collatum esse beneficium, ut quaesita sit ab eo, qui illud contulit, via ac ratio promovendi legitimam in Ecclesia earum vocationum functionem, sine quibus illa neque gubernari recte neque facile consistere possit, commendatur occasio ipsa toti Ecclesiae collati illius beneficii, ot ad ardentiorem pro illo gratiarum actionem excitetur. Sunt enim, ut Deo gratiora, ita etiam magis diuturna, quae e bonis fontibus promanant, et proinde maioribus etiam praeconiis, denique et gratiis maioribus digna, quam quae aliunde alioqui provenerunt. Si vero de eiusmodi occasione collati beneficii non constet, atque adeo videri etiam possit, non usque adeo bona occasione collatum esse beneficium, pro quo est instituta supplicatio, commendanda nihilominus est Domini Dei potentia benignitas et providentia, qui (562) malorum etiam hominum, denique et tyrannorum autoritatem ad Ecclesiae suae bonum publicum deflectere potest, vult et optime novit. Agendae sunt enim gratiae Deo pro omnibus beneficiis, per quae modo gloriam Dei promoveri constet, sive ea per veritatem, ut Paulus ait, sive per qualemcunque occasionem conferantur. Sed monenda est Ecclesia, maiorem adhibendam esse diligentiam ac sollicitudinem, ne, istiusmodi beneficiis illecti, transverse tandem, intermissa officiorum nostrorum in Ecclesia cura, agamur.

4. Monetur Ecclesia, non tantum de occasione, sed etiam de ministro ipso collati beneficii, per quem illud alioqui Deus conferri voluit. Ut enim optima quaque occasione vir malus abuti potest ad imponendum piis, ita satis non est, beneficiorum occasiones observasse, sed illi quoque nobis diligenter sunt observandi, per quos beneficia conferuntur. Nimirum hic artificem agit Satan et videri vult ipse quoque in tyrannis suis nocentissimis altor (si Deo placet!) ac propugnator Christi Ecclesiae, ac proinde hypocritam animi sui erga illam propensionem (563) praeclaris in speciem suis officiis apud pios non raro attestari et comprobare conatur, quo illis demum fraudulentius imponat, quare magna diligentia semper est observandum, per quos nobis conferantur beneficia, quae praesertim publica sunt et ad totum alicuius Ecclesiae corpus pertinere videntur. Atque si constet beneficium insigne aliquod in Ecclesiam collatum esse per hominem verae religionis amantem, qui sibi Dei gloriam cordi semper esse declararit, commendatur toti Ecclesiae collatum beneficium eius etiam personae nomine, qui illud contulit, et excitatur Ecclesia ad tanto ardentiorem pro collato beneficio gratiarum actionem, ad spem item tanto melioris successus post collatum a tali homine beneficium, quanto eum, qui illud contulit, verae pietati ac promovendae Dei gloriae magis addictum esse constat, ad quem modum nos habere nobis videmur iustissimam rationem commendandi piis ubique omnibus omnia etiam beneficia in nostram collata Ecclesiam Regiae ipsius Maiestatis nomine, Eduardi in-(564)quam Sexti, Angliae etc. Regis, qui sane non alia occasione, quam sola peregrinorum hominum commiseratione, qui, relictis patriis sedibus, ad Regnum illius se conferre verae religionis nomine, quam domi suae tyrannide Antichristiana premi maluerunt, neque alio item consilio nostram hic instituit Ecclesiam, quam ut ea occasione veram religionem in doctrinae et cultus Divini puritate per universum regnum suum promoveret. Si vero suspicio sit, hypocritam esse, per quem est collatum beneficium, commendatur quidem Ecclesiae beneficium ipsum, velut a Domino profectum, qui non frenare modo tyrannorum impietatem ac truculentiam potest vult et novit, sed eos ipsosmet etiam, aut imprudentes, aut invitos quoque, publicis Ecclesiae commodis facit non raro subservire, qua sane in parte commendatur insigniter potentia benignitas et providentia Dei. Sed interim monetur etiam Ecclesia, ut summam cautionem adhibeat precibusque assiduis apud Dominum instet, ne quo modo sub praetextu beneficii, fuco ac dolis eorum (565) hypocritarum fallatur, aut, quo non oportet, inducatur, per quos collatum illud beneficium accepit. Nihil enim fraudulentius est hypocrisi, quae specioso aliquo pietatis fuco ornari posse videtur.

5. Monetur Ecclesia, non tantum esse observandam occasionem, ministrumve ipsum beneficii, per quem est collatum, sed etiam, gratuito ne an vero certis quibusdam legibus conferatur. Fieri enim posse, ut et optima occasione et per pios alioqui homines etiam conferantur beneficia, interim tamen eiusmodi legibus astringantur, sive per imprudentiam, sive per nimiam quandoque prudentiam, ut sine Ecclesiae servitute quadam ipsiusque adeo religionis periculo non facile accipi possint. Quamobrem id quoque diligenter esse observandum, num beneficium, cuius nomine est instituta supplicatio, collatum sit gratuito, sine adstrictionibus ullis, an vero certis aliquibus legibus conditionibusve conferatur. Gratuitam porro beneficii collationem vocamus, dum is, qui confert beneficium, aliud nihil ab iis requirit, in quos illud contulit, quam ut in (566) omni sua doctrina omnibusque suis ritibus solam duntaxat Apostolicam doctrinam atque observationem sequantur. Nam hoc semper est praestandum, quoad fieri potest, etiamsi nulla omnino in nos beneficia conferantur. Si igitur gratuito est collatum beneficium, cuius nomine est instituta publica supplicatio, magnitudo ipsa beneficii commendatur Ecclesiae per amplificationem, et ob oculos toti Ecclesiae ponitur debiti rursum nostri, nostrae inquam gratitudinis, ratio pro beneficii magnitudine. Nimirum quanto maius est beneficium, tanto maius esse etiam gratitudinis nostrae debitum, quae nobis alioqui declaranda est praestandis nostrae erga Deum observantiae atque obedientiae officiis pro summa virili nostra, nisi ingratitudinis accusari atque illius nomine puniri etiam alioqui velimus. Si vero collatis aliquibus in Ecclesiam beneficiis conditiones certas extra verbum Dei adnexas esse videmus, commendatur sane nihilominus toti Ecclesiae collatum in illam beneficium doceturque amplectendum esse, tanquam ex ipsius Domini manibus, siquidem adnexae illi leges aut conditiones ad nullam nos manifestam impietatem (567) necessario adstringant impellantve. Sed monetur etiam diligentissime Ecclesia, potissimum autem Ministri ac Seniores illius, ne se ullis omnino extra verbum Dei conditionibus implicent, ullius etiam beneficii nomine, nisi quatenus duntaxat pertineant ad ferendam utcunque (cum fraterna interim reprehensione), non autem alendam comprobandamve ullo modo ullam etiam inter nos infirmitatem mutuam, quae praesertim aut superstitionem aliquam habeat, aut progressum puritatis Apostolicae, tam in doctrina, quam in cultus Divini ritibus impediat ac remoretur. Ferendam enim esse nobis invicem in charitate Christiana nostram infirmitatem, seu ita ferendam, ut ad perfectiora interim semper progrediamur, observatis videlicet Christianis admonitionum gradibus ex verbo Dei. Caeterum nostram invicem infirmitatem alere quoquomodo

sine ullis omnino reprehensionibus, progressumque verae religionis per nostrae inter nos infirmitatis istiusmodi indulgentiam remorari, haudquaquam plane debemus.

6. Monetur Ecclesia, nostram erga De-(568)um gratitudinem consistere non tantum in publica oris in coetu Ecclesiae gratiarum actione externove illo totius Ecclesiae ieiunio, sed potissimum in interno nostri cordis motu ad resipiscentiam, quatenus videlicet nostrum cor ad praestanda pro nostra virili omnia gratitudinis atque observantiae nostrae erga Deum officia affectum esse sentimus. Ut enim cor est affectum, ita et loquimur et agimus omnia, et, si nullam in affectibus verbis atque operibus nostris resipiscentiam declaramus, frustra equidem nobis gratitudinis ullius nostrae erga Deum eiusque beneficia nomine blandiemur.

7. Monetur Ecclesia, Deum ita requirere nostram erga se suaque beneficia gratitudinem, ut, nisi illam pro virili nostra declarare studeamus, post collatum praesertim in nos aliquod ipsius beneficium, conversurus sit et ipse rursum sua beneficia in publicas easque gravissimas calamitates ad puniendam nostram ingratitudinem, non aeterna modo nostri condemnatione, sed plagis etiam publicis in vita hac, ut ira ipsius adversus nostram ingratitudinem mundo e-(569)tiam toti conspicua fiat. Huc vero inducuntur loca ex scripturis aliqua, id ipsum contestantia, ut est Hier. cap. 18 et Threni eiusdem. Item Ezech. 5, 7, 28, et quae huius generis alibi habentur.

8. Monetur Ecclesia, duo nobis maxime esse vitanda, quoties publica in nos a Domino beneficia ulla conferuntur, nempe indulgentiam animi cum nimia quadam securitate coniunctam, et fastum quendam, qui felicem fere rerum successum comitari semper solet, quod per haec duo, veluti per gradus quosdam, deducamur plerunque ad Dei ipsius Divinorumque omnium contemptum, quem Deus nunquam alioqui inultum sinit, adeoque et tanto gravius punit, quanto maiora illius in nos beneficia extiterunt.

De his ita monetur Ecclesia, ut ex hac tali beneficiorum Divinorum consideratione sui erga Deum officii memor esse discat. Primum, propter debitum nostrae gratitudinis, quae tanto maior requiritur, quanto sunt maiora beneficia, quae in nos collata videmus. Deinde, propter periculorum magnitudinem in conferendis (570) beneficiis, ex observatione occasionum, autorum et conditionum, ut est dictum. Postremo, propter gravissimas Dei comminationes, quibus se ille sua beneficia in horribiles calamitates conversurum esse minatur, si eis per nostram indulgentiam abutamur.

Quibus ita omnibus absolutis, hortatur Minister Ecclesiam ad gratiarum actionem pro accepto beneficio, cuius nomine est instituta

supplicatio. Moxque orditur publicas Ecclesiae preces, quibus adiungitur publica pro accepto beneficio gratiarum actio, et precatio item adversus securam illam post accepta beneficia indulgentiam nostram ac fastum, ne per haec Ecclesia collato in se Dei beneficio abutatur.

Postea monetur Ecclesia de Coenae Dominicae usu legitimo, quae mox administratur, et omnia deinceps administrantur, quemadmodum antea paulo in supplicatione calamitatis publicae tradita habentur, pa. 557 (*huius ed.* 243). (571)

DE CONIUGIORUM CONIUNCTIONE IN ECCLESIA GERMANORUM.

Nemo in Ecclesiae nostrae ministerio coniungitur matrimonii vinculo, nisi in publico Ecclesiae coetu, tum ut publica matrimoniorum honestas plene observetur, tum ut admonitiones huc pertinentes a tota semper Ecclesia audiantur ad illius aedificationem. Deinde, nulla etiam matrimonia pro legitimis habentur in nostrae Ecclesiae ministerio, priusquam in publico Ecclesiae coetu per eius Ministros coniungantur. Postremo, nemo coniungitur in nostra Ecclesia, nisi qui sese ultro ac sponte disciplinae Ecclesiasticae prius subiecit in coetu Ecclesiae post aeditam illic fidei suae confessionem.

Monetur autem subinde Ecclesia, ut in ineundis desponsionum contractibus graves semper aliquot viri et, si commode fieri potest, nonnulli etiam ex Senioribus Ecclesiae adhibeantur, qui deinde omnia rite ac decenter peracta esse in Ministrorum ac Seniorum omnium coetu testificari possint. (572)

Monetur praeterea subinde Ecclesia, ne in ineundis desponsionum contractibus ulla eiusmodi verba intercedant, quae ita alioqui iam sponsum cum sponsa invicem obstringant, ut non amplius coniugium inter ipsos, si quae impedimenta intercedant, rescindi possit, donec coram coetu Ecclesiae ritu publico approbetur et coniungatur.

Postea vero quam contractus desponsionis aliquis inter certa Ecclesiae nostrae membra, ut iam est dictum, rite ac decenter transactus est, defertur res tota, ut acta est, ante omnia ad coetum Ministrorum et Seniorum omnium, ibique inquiritur, num quis aliquid obstare posse putet, quominus desponsio illa in coetu Ecclesiae approbetur atque desponsi invicem illi publice etiam de more coniungantur. Et, si nihil eiusmodi profertur, instituuntur protinus ternae coniungendi eius matrimonii denunciationes publicae et nomina contrahentium catalogo eorum, qui in nostra coniunguntur Ecclesia,

adscribuntur. Denunciationes porro illae ternae, fiunt in publicis concionibus singil-(573)latim sub finem illarum, in hanc fere sententiam.

Primum nomina contrahentium toti Ecclesiae indicantur dicunturque sibi invicem matrimonii fidem, in gravium virorum et seniorum quorundam etiam praesentia, spopondisse, quod equidem in coetu Ecclesiae cuperent approbari atque ita demum sanciri etiam, praeterquam si legitimum aliquod impedimentum sub ternis illis denunciationibus, ante destinatum nuptiis diem, proferretur. Proinde si quisquam in Ecclesia aliquid eiusmodi sciret, quod merito progressum matrimonii impedire posset, id ut intra tempus trium illarum denunciationum ante nuptias ipsas ad Seniores Ecclesiae deferret, alioqui matrimonium ipsum comprobatum, denique et sancitum iri in totius Ecclesiae coetu. Interea vero omnes in Ecclesia debere diligenter precari, ut denunciatum matrimonium illud, si nullum proferatur impedimentum, in Christi Domini nomine coram tota Ecclesia sanciatur contrahentesque ipsi illud in timore Domini, cum eius benedictione, ad illius gloriam (574) et suam ipsorum salutem auspicentur, et in illo demum etiam per omnem ipsorum vitam in pace ac concordia Christiana mutuoque invicem amore perpetuo atque unanimiter perseverent.

In hanc sententiam denunciantur ter in tribus publicis concionibus coniungenda in coetu Ecclesiae matrimonia, priusquam nuptiae fiant. Quodsi interea ante destinatum nuptiis tempus legitimum aliquod impedimentum profertur, tum et tempus nuptiarum differtur, donec de producto impedimento illo legitime statuatur. Si vero in tertia denunciatione nihil proferatur, tum coniugium illud, ter iam (ut dictum est) denunciatum, in coetu Ecclesiae per ministrum illius approbatur et sancitur ad eum qui sequitur modum.

Ritus coniungendi publice matrimonia in Ecclesiae coetu.

Post factas suis temporibus publicas coniungendi coram Ecclesia matrimonii denunciationes et non productum (575) a quoquam legitimum ullum illius impedimentum, ubi tempus nuptiarum venit, iubentur adesse contrahentes illi in templo ante publicam concionem, ut illam audire possint. Veniunt autem sine ullo aut strepitu aut fastu pompave theatrica ulla, nisi quod sponsum unus aut alter vir honestus, sponsam item aliquae honestae matronae in silentio et moderatione Christiana deducunt.

Absoluta autem concione et publicis Ecclesiae precibus, priusquam

Psalmus extremus decantetur, prodire iubentur contrahentes in locum paulo aeditiorem coram Ministris et Senioribus, ut a tota Ecclesia conspici possint, atque illic in totius Ecclesiae prospectu constitutis, Minister ante omnia Ecclesiam ipsam alloquitur claris et disertis verbis in hunc qui sequitur modum.

Admonitio ad Ecclesiam in publica Matrimonii coniunctione.

„Viri fratres ac sorores in Domino et quicunque praeterea (576)
hic adestis! Iampridem audistis, hos, qui nunc ecce in vestro omnium conspectu adstant, N. et N., unanimiter id postulare, ut coram coetu hoc vestro, posteaquam nullum hactenus legitimum matrimonii ipsorum impedimentum est a quoquam productum, in nomine iam tandem Dei patris et Filii et Spiritus sancti coniungantur. Proinde horum vos iam omnium testes esse, et adorandum praeterea nomen Dei super contrahentes istos in vestris cordibus suppliciter invocare debetis, ut hoc ipsorum matrimonium per nostrum ministerium, cum virtute et potestate Domini nostri Iesu Christi adversus omnes Satanae conatus sanciatur et coniungatur ad gloriam divini nominis, ad salutem ipsorummet contrahentium et ad Ecclesiae Christi aedificationem. Amen."

Absoluta hac admonitiuncula, accedit Minister ad ipsos contra-(577)
hentes, ut una cum eis a tota Ecclesia conspici et commode audiri etiam possit, impositoque silentio et conversa ad contrahentes ipsos oratione, orditur suam ad illos admonitionem, in qua haec potissimum tractantur pro eo ac tempus id permittit.

Argumentum admonitionis ad contrahentes in publica ipsorum coniunctione.

Ante omnia gratulatur minister ipsis contrahentibus, adeoque et coniugatis in Ecclesia omnibus, de ipsorum felicitate, quod ipsos Dominus ad hoc vitae genus pro sua misericordia vocarit. Esse enim hoc vitae genus eiusmodi, ut illo in terris iuxta ipsam creati a Deo hominis naturam, neque gratius ullum Deo, neque homine ipso dignius, neque item felicius ullo modo esse queat. Id vero explicat ad hunc modum.

1. Matrimonium esse omnium gratissimum in terris vitae genus Deo, id clarum esse ex illis Dei verbis: „Non est bonum homini, ut sit solus". Quod enim hic Deus homini convenientius, utilius, denique

et commodius esse iudicat, idem sibi quoque eadem (578) opera gratius esse testatur, non commendaturus alioqui societatem illam coniugalem prae omni solitudinis genere, si non illi gratior etiam acceptiorque fuisset. Deinde idem probari etiam lege illa, non humano tantum generi sub primorum parentum nostrorum persona, sed omnibus etiam animantibus data: „progignite, multiplicemini, replete terram". Nimirum, quanto gratiores tum Deo ante peccatum in lumbis parentum nostrorum eramus, qui nunc nihil alioqui sumus aliud in nobis ipsis, quam irae et mortis filii, tanto sane Deo gratius esse oportuit, illud vitae nostrae genus prae aliis omnibus, quod tum ipse, non humano tantum in primis nostris parentibus, sed universo etiam animantium omnium generi praecepit, et ita praecepit, ut vim ipsam progignendi veluti divinae suae virtutis partem quandam, denique et affectum ad progignendum peculiarem — rectum interim, non autem vagum aut exlegem — naturae nostrae inseverit atque impresserit, qui alioqui tunc imaginis similitudinisque suae nostra ipsorum natura (in primis nostris parentibus) participes adhuc eramus. (579) Neque vero huic mandato quidquam est derogatum per naturae nostrae corruptelam post peccatum, quemadmodum plerique somniant. Confirmatur enim denuo hoc ipsum, et universo rursum humano generi in Noah et filiis eius praescribitur post diluvium, cum iam natura nostra in illis etiam plane corrupta esset. Esse igitur matrimonium, etiam in corrupta iam natura nostra, vitae nostrae genus omnium gratissimum Deo, perinde atque initio nostrae creationis erat — quod in se quidem est — etiamsi plurimum incommodorum in matrimonio secum attulerit naturae nostrae corruptela. Quod enim matrimonio per naturae nostrae corruptelam decessit, id equidem, ut nulla matrimonii culpa per se obvenit, ita etiam matrimonio ipsi adscribi nullo modo potest. (Quae hic de virginitatis laudibus adduci solent, postea suo loco excutientur.)

Praeterea docetur alia quoque ratione matrimonium esse genus vitae nostrae Deo, quod in se est, omnium longo gratissimum eo, quod in illo magis reluceat, quam in ullo alio vitae hic nostrae genere, imago quaedam, non (580) modo benignitatis erga nos divinae, sed etiam inconspicuae prorsusque ineffabilis existentiae ipsius. Quemadmodum enim non potest non esse gratissimum Deo, ita hominibus innotuisse, ut se nobis ipsemet patefecit (id quod alioqui et incarnatio ipsa filii Dei et institutum praeterea ab ipso publicum Ecclesiae ministerium locupletissime testantur), ita non potest etiam matrimonium ipsum non esse omnium gratissimum Deo vitae hic nostrae genus, quatenus in illo prae aliis omnibus vitae nostrae generibus imago, ut dictum est, quaedam et existentiae et benignitatis divinae erga nos magis exprimitur ac refertur. Imaginem porro nobis divinae,

tum existentiae, tum benignitatis, matrimonii vinculo prae aliis omnibus vitae hic nostrae generibus adumbrari, id vero certissimis documentis ostendi posse. Primum vinculo matrimonii monemur pluralitatis personarum in monade divina. Ut enim individuae iam alioqui societatis in matrimonio nomine plures in unum corpus quodammodo concrevisse, Deo ipso autore, videmus, sic ut alter alterius caro (581) una iam, et quidem caro ex eadem carne et ossa ex iisdem ossibus esse censeantur, ita nobis imaginem quandam pluralitatis personarum in una interim atque eadem divinae existentiae monade umbra hac nexus coniugalis exprimi suo quodam modo atque repraesentari, denique et commendari intelligamus, id quod nullo alioqui coelibatus cuiuscunque genere adumbrari ullo modo potest. Deinde vis ipsa et affectus ille progignendi in matrimonio, naturae nostrae Deo ipso autore inditus atque penitus impressus, Dei quoque Patris inscrutabile consilium illud nobis velut ob oculos ponit, quo nimirum pater deus aeterna sua illa nobisque prorsus ineffabili generatione filium suum unigenitum ex semetipso genuit, ut, cum genus humanum per generationem multiplicari in matrimonio insito naturae eo affectu cernimus, ex Dei ipsius providentia atque ordinatione, tum sane Patrem Deum etiam, ut nostrum Archetypum, unam atque individuam divinae suae existentiae monadem in plures personas per aeternam suam nobisque minime inquirendam generationem divinam multiplicare voluisse credamus.

Quod vero ad divinae erga nos benigni-(582)tatis adumbrationem attinet, eam sane nobis a Paulo Apostolo in matrimonii vinculo ita commendatam habemus, ut vel solius illius nomine matrimonium ipsum omnibus aliis vitae hic nostrae generibus merito anteponi possit. Dum enim Apostolus matrimonium nostrum typum quendam desponsionis esse docet inter Christum Dominum et Ecclesiam ipsius, simul equidem testatur, adumbrari nobis adeoque et suo modo exprimi admirabile illud mysterium desponsionis filii Dei cum sua Ecclesia ad salutem illius, in qua sane desponsione omnium evidentissime nobis innotuit divina erga genus humanum benevolentia ac propensio. Quemadmodum enim quivis sponsus sponsae suae adglutinatur individuo iam deinceps per omnem vitam matrimonii vinculo, ita quoque filius Dei universo se mortalium generi adglutinare dignatus est per carnis nostrae assumptionem in sua incarnatione. Ac rursus, quemadmodum sponsus, sponsae suae adglutinatus ét sibi cum illa ét illi secum communia vult esse omnia, praeterquam si ipsa coniugii fidem adulterii perfidia violet atque infringat, ita et filius Dei, universo iam mortalium generi (583) per suam incarnationem adglutinatus, omnem illius calamitatem sibi cum illo iam et omnem suam item plenisufficientiam illi secum vicissim vult omnino

communem esse, praeterquam si qui tantum ipsius beneficium destinata ac rebelli prorsus impietate sua scientes ac volentes a se reiiciant ac propellant, ruentes alioqui in omne scelerum genus ἐν πλεονεξίᾳ, et abiecto plane omni metu ac sensu iudicii divini adversus talem defectionem, quemadmodum Paulus docet. Quatenus igitur non potest non esse Deo gratissimum, ita hominibus innotescere, ut se nobis ipse in verbo suo patefecit, hactenus certe negari etiam non potest, tanto illi esse gratius matrimonium prae aliis omnibus vitae hic nostrae generibus, quanto nobis per illud significantius summa illa, quae recensuimus, divinae cognitionis mysteria adumbrantur exprimuntur et commendantur.

2. Non esse ullum in terris vitae genus homine ipso dignius matrimonio iisdem ipsis rationibus docetur, quibus illud Deo ipsi omnium gratissimum esse dicebamus. Quibus enim rationibus aliquid Deo gratissimum esse in vita hominis constat, iisdem (584) utique etiam et homine ipso dignissimum esse negare non potest, quisquis nostram dignitatem e divinae dignitatis reputatione aestimare volet. Ut enim Deo nihil esse potest gratum, nisi idem sit ipso dignum etiam, ita quo illi gratius aliquid esse cognovimus, idem sane dignius quoque ipso ac proinde nobis etiam omnibus esse, statuere profecto debemus. Est nimirum ea summa imaginis cuiusque laus ac dignitas, ut ad suum archetypum quam proxime accedat ipsumque significantissime exprimat ac repraesentet. Sed tamen si vel originem praeterea ipsam finemve aut ornamenta matrimonii iuxta verbum Dei consideremus, nullum omnino vitae hic genus homine ipso dignius esse comperiemus. Quodque ad originem primum matrimonii attinet, cum non sit dubium, naturam nostram ante peccatum in sua adhuc integritate magis placuisse Deo, quam nunc placeat in peccati nostri corruptela, quantum in nobis quidem est, — certe, quemadmodum nobis locum tunc omnium honorificentissimum omnique deliciarum genere affluentem in terris designarat, cum quo nullus alius conferri in terris potest, (585) ita et vitae genus, quod tum Deus homini praescripsit, tale fuisse oportet (nempe matrimonium ipsum), ut cum illo nullum aliud omnino comparari ullo modo possit.

At vero est etiam et virginitatis et omnis eiusmodi coelibatus autor Deus, qui propter regnum Dei sine ustione observatur, et habet talis sive virginitas sive coelibatus laudem suam ac dignitatem non vulgarem in scripturis expressam, sed quae cum laude ac dignitate matrimonii conferri haudquaquam possit. Quidquid enim laudis ac dignitatis habet quaecunque tandem continentiae observatio, eam sane non aliunde quam ex peccato propter naturae nostrae corruptelam habet. Alioqui neque virginitas ipsa, neque ullum omnino castrationis Evangelicae genus

non laudem modo aut dignitatem ullam, sed ne locum quidem ullum, sine gravi alioqui contemptae benedictionis divinae culpa, in Christi etiam Ecclesia obtinuisset, si natura nostra in prima illa creationis suae integritate permansisset. Quae vero haec est ratio, ut, quorum laudem ac dignitatem nobis commendat, non tam equidem aut ipsa rei excellentia per se, aut aeterna (586) alioqui Dei censura ulla, quam potius peccati ac corruptelae nostrae calamitas, — ut haec, inquam, cum eius vitae generis dignitate conferantur, nedum ut ei anteponantur — quod tamen a plerisque factum videmus — quod et aeterna Dei censura in naturae adhuc nostrae integritate collaudatum ac rursum in corrupta demum etiam natura nostra praescriptum et tot praeterea tantisque divinis mysteriis cohonestatum commendatumque esse constat? Quatenus igitur omnem nobis omnino omnis etiam coelibatus observandi laudem ac dignitatem peperit ipsa peccati nostri nostraeque corruptelae calamitas, — quatenus item omnia corruptelae nostrae incommodorumque ab illa profectorum remedia non alio spectant, quam ad amissae primae illius nostrae integritatis ac dignitatis reparationem, in qua matrimonium alioqui ipsum olim praestantissimum in terris vitae genus futurum erat, etiamsi illam nunc in Christo Domino locupletissime restitutam, atque amplissimo praeterea foenore auctam habeamus, — hactenus certe neque virginitatis ipsius neque ullius omnino quamlibet laudati coelibatus dignitas cum laude ac dignitate (587) matrimonii conferri ullo modo potest. Et proinde, si originem ipsam matrimonii cum laudatissimo quoque etiam coelibatus genere conferamus, facile videbimus, nullum omnino vitae hic nostrae genus, quod in se est, matrimonio dignius esse quoquomodo ex ipsa Dei institutione, etiamsi nobis virginitatem aliaque laudati coelibatus genera, vel Ecclesiae collapsae necessitas in ipsius ministeriis obeundis, vel etiam commoditas quaedam sub hac corruptelae nostrae miseria, insigniter Deo ipso autore commendet. Deinde, si finem quoque ipsum matrimonii spectemus, inde quoque facile apparebit, non esse ullum omnino in terris dignius vitae genus matrimonio. Cum enim Deus ita ab aeterna statuisset, ut genus humanum per generationem multiplicaretur, atque non vim modo ipsam, divinum plane alioqui donum, sed affectum etiam peculiarem naturae nostrae divina sua benedictione inseruisset, — equidem, ut nihil est convenientius, ita nihil etiam est dignius homine, quam ut mentem ac consilium aeternum Dei de multiplicando per generationem humano genere sequatur, cum ad id praesertim et vim ipsam et (588) affectum naturae suae Dei ipsius benedictione insitum ita habeat, ut negare non possit, se in hoc ita a Deo ipso conditum omnino esse. Alioqui cum Deus ipsemet solitudinem homini

non bonam, hoc est, naturae ipsius plane inconvenientem esse pronunciarit, eo quod Divino suo illi consilio de multiplicando per generationem humano genere non responderet, eodem sane decreto omne solitudinis genus homine ipso indignum esse (in illa potissimum naturae suae integritate) iudicavit. Quin et in corrupta iam etiam post peccatum nostrum natura hoc ipsum adversus omnem solitudinem decretum denuo Dominus ipse comprobavit, dato iam post diluvium eodem ipso mandato de progignendo ipsi Noah et omnibus sine ulla cuiusquam exceptione, quod antea Adae et Haevae dederat ante ullam omnino naturae nostrae corruptelam, additurus proculdubio aliquam mandato illi suo exceptionem, si ullum omnino coelibatus observandi genus aeque dignum esse homine, atque est matrimonium, in corrupta iam alioqui etiam natu-(589)ra nostra iudicasset. Proinde verbis Dei illis „Non est bonum homini, ut sit solus" manifeste nos doceri, tanto esse digniorem homine coniugalem societatem prae omni quantumvis laudato solitudinis genere, quatenus videlicet Divino illi consilio de generis humani multiplicatione mandatoque illi de progignendo, semel atque iterum dato, subservit, quanto Deus ipsemet omnem omnino solitudinem minus bonam homini, hoc est, naturae humanae, ad progignendum formatae, minus convenientem et proinde incommodam quoque esse pronunciavit.

Ipse igitur etiam matrimonii finis clarissime testatur, nullum omnino continentiae observandae genus cum societate coniugali, quod ad eius dignitatem attinet, conferri quoquomodo posse. Postremo, si ornamenta matrimonii intueamur, in scripturis duntaxat nobis prodita, ea sane tot tantaque sunt, ut illorum tantummodo nomine matrimonium ipsum omnibus plane vitae hic nostrae generibus merito anteponi et possit et etiam debeat omnino. Ut enim hoc loco iam omittatur incom-(590)parabilis plane Divinorum mysteriorum excellentia, de quibus iam antea dictum est, quae ut vinculo matrimonii prae omnibus alioqui vitae hic nostrae aliis generibus exprimuntur et commendantur, ita illi maximum etiam proculdubio ornamentum adferunt. Equidem promissiones, quae Deum seminis nostri Deum liberosque nostros in Ecclesia sanctos esse omnes testantur, eiusmodi sunt ornamenta matrimonii, ut illud plane in terris incomparabile genus vitae esse testentur.

Quid enim homine esse dignius illique honorificentius aut etiam iucundius obtingere potest, quam si Dei iam ipsius filios, Christi Domini beneficio, ex suis ipsius lumbis progignat, civium Regni coelestis numerum per Divinam benedictionem ex sua ipsius carne augeat et in coelesti demum gloria multiplicatum varie lumborum suorum fructum in aeternitate illa nunquam finienda conspiciat?

Certe, ut fructus atque ornamentum istiusmodi, neque in virginitate, neque in alio plane ullo coelibatus nostri genere commonstrari ullo proculdubio modo potest, ita nemo (591) etiam aliud ullum vitae genus aequare matrimonio, ornamentorum praesertim ac fructuum nomine, ullo modo potest.

Quae hic de virginitate atque Euangelica illa propter regnum Dei castratione dicuntur, nempe quod per haec plures multo filii Dei progignantur in Ecclesiastico ministerio, quam in matrimonio, inepte plane, ne dicam impie etiam, adducuntur ad matrimonii elevationem. Quis enim dicat, virginitate id aut ulla omnino ministrorum castratione effici, ut filii Dei ulli omnino per Ecclesiasticum ullum ministerium progignantur, ad quem sane modum vere dici de matrimonio potest, legitimo illius usu id effici in Christi Ecclesia, ut ex nostris ipsorum lumbis virtute divini nobiscum foederis filios Dei progignamus. Spiritus sancti id quidem virtuti divinae in ministerio Ecclesiastico libenter tribuimus, sed non ulli omnino ministrorum dignitati, multo minus autem eorum virginitati aut castrationi, quae commoditatem sane aliquam in ministerio secum adferre utcunque potest propter natas ex peccato in (592) corrupta iam natura alioqui nostra matrimonii molestias, caeterum virtutem ipsam atque efficaciam progignendi in ministerio filios Dei, eam profecto ut in se non habet ullam, ita nullam etiam ipsi ministerio addere quoquomodo potest. Hoc nimirum soli spiritui sancto est proprium, ut, cum ipse sit perpetuus testis ac glorificator Christi Domini in omni eius institutione, idem quoque potens atque efficax reddat ad salutem institutum ab ipso Ecclesiae ministerium Divina virtute sua, pro eo ac vult, iuxta fidei cuiusque hominis mensuram. Unde demum facile etiam est videre, quam sit futile dictum illud, etiamsi magnos autores habeat, matrimonio quidem terram, virginitate autem coelum impleri, cum istiusmodi dicta in ipsius etiam spiritus sancti contumeliam redundare quodammodo videantur.

Iam vero et illud est non vulgare matrimonii ornamentum, quod eiusmodi sit vinculum ex Dei ipsius ordinatione, ut illud parentibus ipsis etiam oporteat anteponi, nimirum Deus ipse aperte indicat, quanti vinculum hoc matrimonii et (593) ipse faciat et a nobis haberi velit, dum si ipsos etiam parentes, quos alioqui honorari vult, postbaberi iubet. Quid vero istiusmodi aut de virginitate, aut de quocunque tandem coelibatus genere audimus? Proferuntur et hic quidem nescio quae virginitatis ac coelibatus sponsiones, sed proferuntur praeter verbi Divini mentem ac dispositionem. Omnes enim sponsionum illarum nexus, unico duntaxat verbi Divini illo apud Paulum ariete petiti, concidunt: »Propter libidinis intemperiem

suam quisque uxorem habeat et suum quaeque maritum, eo quod sit melius iungi matrimonio, quam uri," nedum ut sponsiones illas omnes, quantumvis solemnes, levissimum etiam parentum contemptum excusare in Dei iudicio ullo modo possint. Sed et hoc singulare est matrimonii ornamentum, quod, si quis ab illo ullum omnino hominum genus arcendum esse cum qualicunque eius contumelia statuat, is sane non qualiscunque haereseos, sed ipsorum adeo Daemoniorum doctrinae, et quidem non humano ullo, sed ipsi-(594)nsmet spiritus sancti iudicio damnetur. Quid vero simile in scripturis usquam vel de virginitate, vel de laudatissimo quovis alio coelibatus genere habetur? Certe et virginibus et inconiugatis in genere omnibus, si quidem uramur, praecipi matrimonium andimus. Virginitatem autem seu quemvis aliam coelibatum adeo non audimus praecipi ullo modo, ut omnes etiam, qui id conentur facere, Diabolicae doctrinae accusari adeoque et damnari audiamus. Quum igitur reliqua hic vitae nostrae genera omnia longe sint infra haec, quae iam sunt exposita, matrimonii ornamenta, et non desint multo adhuc plura alia, quae singula commemorare nimie longum fuerit, palam est, matrimonium ornamentorum suorum ex verbo Dei nomine omninm esse dignissimum in terris vitae genus, neque aliud cum illo ullum conferri omnino posse.

8. Docetur, non esse felicius etiam in terris ullum vitae genus matrimonio. Etenim cum homo ita sit natura ipsa ad societatem comparatus, ut omnes plane societatem nescio quo modo (595) expetamus, solitudinem vero omnes etiam refugamus atque aversemur — quo sane nomine homo sociale animal a plerisque vocatur — atque ea demum felicissima societas esse censetur, quae et coniunctissima sit et maxime diuturna, — equidem, quo magis est coniuncta magisque diuturna coniugalis vinculi societas prae omnibus aliis societatis humanae generibus, hoc illam etiam feliciorem esse, fatendum proculdubio erit. Non esse autem ullius omnino societatis humanae arctius magisque diuturnum vinculum matrimonio, id vero res ipsa docet. Nimirum hic non animi tantum voluntatesque mutuae invicem coninnguntur (quod equidem in aliis omnibus honestis vitae societatibus summum est), sed ipsa etiam corpora, altera videlicet nostri pars, in unam atque eandem carnem nostram unanimiter conglutinantur, fortunaeque praeterea omnes nexu iam deinceps individuo ita consociantur, ut per omnem vitam in coniugio neuter iam in suum ipsius, sed alter in alterius corpus potestatem iusque connubiale habeat, omnibus etiam fortunis suis in commune (596) semper utantur. Quid vero hac tali societate felicius aut optatius etiam, in qua, nexu alioqui per omnem vitam individuo, ita sunt omnia inter

socios invicem ipsos communia, tum laeta, tum tristia, ut et laetitia semper conduplicetur et molestiae rursum omnes quodammodo dimidientur? Sive igitur vinculi ipsius nexum in coniugali societate, sive etiam illius diuturnitatem intueamur, manifeste videmus, non esse ullum societatis humanae genus in hac vita felicius matrimonio Christiano. Nos enim de Christiano hic duntaxat matrimonio loquimur, cuius cum Deus ipse autor sit, gubernat sane in illo et sustentat etiam coniuges ipsos, ut Satan nullum in eos imperium ad alenda dissidia mutua habere omnino possit. Tanti refert videlicet, coniungi in Domino matrimonia, hoc est, ut in illis coniungendis eos potissimum fines spectemus, ad Dei ipsius gloriam nostramque ipsorum salutem, propter quos matrimonium ipsum a Domino institutum esse constat, et super contrahentes ipsos nomen Domini etiam una cum illis (597) serio invocemus. Deinde, si ea demum societas felix esse censetur, in qua et amorem ipsum socialem et fortunas adeo omnes augeri indies magis ac magis videmus, equidem nulla est in terris vitae societas matrimonio felicior, in quo et amor inter coniuges indies augetur per nostri ipsorum quandam in mutuis prolibus multiplicationem, et actiones item omnes prosperantur per adiunctam semper Christiano matrimonio, quatenus id quidem coniugatis ipsis salutare est, divinam promissionem simul et benedictionem, id quod alioqui in nuptiis illis Canauaeis á Christo Domino et praesentia ipsius et miraculorum suorum primitiis abunde comprobatum habemus. Ad haec, quaenam maior felicitas haberi potest, quam si nostras ipsorum proles ex lumbis nostris progenitas nostraque cura per Dei gratiam ita institutas conspiciamus, ut non tantum nobis ipsis, sed universae adeo Christi etiam Ecclesiae adiumento, solatio, denique et ornamento in hac quoque vita esse possint? Postremo, si id demum vere est felix, quod Deus ipse felix in vita hac beatumque (598) esse pronunciat, — sane nullum vitae hic nostrae genus matrimonio felicius constitui potest, siquidem Deus ipsemet matrimonium ipsum in summa beatitudinis felicitatisque hic nostrae parte connůmerat et praecipuum adeo proemium in vita hac timoris sui ac pietatis esse fatetur (Psalm 118), id quod sane de alio quovis vitae hic nostrae genere dictum esse nusquam ostendi potest. Haec igitur tanta tamque multiplex felicitas cum in nullo alio vitae genere, praeterquam in matrimonio, commonstrari ex verbo Dei potest, certum est, non esse ullum hic genus vitae felicius matrimonio ex Dei ipsius institutione et benedictione.

Atque habet sane matrimonium adiunctam sibi etiam crucem suam variique generis molestias, quemadmodum Paulus docet, sed quae interim, cum non tam equidem matrimonii, quam corruptelae nostrae potius

nomine propter peccatum nobis obveniant, matrimonio certe etiam imputari merito non possunt. Et in omnibus alioqui matrimonii molestiis certissimam hauddubie consolationem habemus, quae ad coniugatos potissimum pertinet, in divina il-(599)la, Abrahae coniugato facta, promissione, nempe quod sit pariter et noster et seminis nostri Deus. Ut enim semen sibi nostrum excitari non vult, nisi in matrimonio, ita suam etiam de nostro semine promissionem ad coniugatos proculdubio vult peculiariter pertinere. Quatenus igitur in legitimo potissimum matrimonio Deus se pariter et nostrum et seminis nostri Deum esse profitetur, ut nobis illum in coniugio adesse semper intelligamus, dum nostro semini excitando iuxta eius ordinationem atque demum etiam iuxta eius voluntatem educando operam damus, — hactenus quoque certum est, illum, ut nostrum iam pariter ac seminis nostri Deum, nunquam nobis esse defuturum in omnibus nostris afflictionibus ac molestiis, — quae nobis alioqui sine ipsius voluntate nullae omnino obvenire possunt — dum nos in matrimonio semini nostro, tum excitando, tum educando operam damus, ut dictum est, si modo adorandum ipsius nomen super nos ac semen nostrum, promissione ipsius freti, supplices assidue invocemus, et proinde moderaturum (600) semper etiam omnes nostras afflictiones ac molestias in omni cruce nostra, ut re ipsa testetur et declaret, se omnino esse et nostrum simul et seminis nostri Deum, hoc est, nostrum in coniugio gubernatorem sospitatorem consolatorem et servatorem. Ita Christus Dominus, ad nuptias vocatus, libenter illis adfuit sponsique inopiae liberaliter succurrit, quatenus alioqui miraculum suum gloriae Dei Patris sui subservire intelligebat. Quid? quod nullum est omnino vitae genus, quod non suam crucem habeat, perinde atque matrimonium ipsum, ne quid dicam aliud. Equidem nulla est alia gravior crux atque afflictio, quam quae animum ipsum inprimis augit atque affligit. Pacificatis namque et erectis verbo Dei nostris animis, magna iam molestiarum omnium pars levata est, quae vel corpora alioqui nostra, vel etiam fortunas nostras infestant. Cum vero eiusmodi crux animi nusquam facilius depelli possit, quam in Christiano matrimonio, in quo semper praesentem nobis et nostro semini Deum habemus, iuxta ipsius promissionem, quae nobis mentiri non (601) potest, et quae peculiariter, ut dictum est, ad coniugatos pertinet, cum item omnes molestiae in matrimonio, ut antea quoque diximus, dimidientur, — sane tantum abest, ut matrimonium crucis atque afflictionum nomine refugiamus ullo modo aut aversemur, ut vel propter leniendas crucis atque afflictionum molestias matrimonium ipsum expetere in Domino debeamus. Quae vero est crux gravior ulla, quam est ustio in omni coelibatus genere, libidinisque impotentia, quae plurimos

alioqui ad desperationem atque insaniam, denique ad necem ipsam etiam quandoque impellit? Haec vero cum frenetur atque arceatur matrimonio, quomodo, obsecro, quis refugiat matrimonium crucis nomine, quod alioqui in crucis remedium a Deo ipso constitutum habemus? Qui donum habet continentiae, ut nunquam uratur, sive masculus sit, sive foemina, is quidem sibi molestiam non necessariam accersit, dum matrimonio iungitur. Recipit enim in se curam familiae, a qua liber esse alioqui et Deo eiusque Ecclesiae in liber-(602)tate sua, non divisus, ut Pauli verbo utamur, servire potuisset, et proinde, hoc dono praeditus, melius facit, si curam Ecclesiae curae unius familiae anteponat, neque cuiquam adstrictus totum se ministerio Ecclesiastico impendat. Sed non peccat interim, si in Domino matrimonio iungatur, praeterquam si, contempta Ecclesiae necessitate, propter suum ipsius ventrem id faciat. At vero is iam non in Domino iungitur, nos vero de iis loquimur, qui in Domino iunguntur. Non igitur adimit matrimonio suam felicitatem crucis ullius molestia, quin potius magna ex parte crux ipsa matrimonio levatur frenatur arcetur et quodammodo, ut dictum est, dimidiatur, estque perspicuum, non esse hic vitae genus aliud ullum matrimonio, quod in se est, vel Deo gratius, vel homine multis nominibus dignius, vel etiam felicius quoquomodo.

Accedunt adhuc ad matrimonii commendationem, uxoris encomia, scripturis prodita, dum illam spiritu sancto autore viri bonum auxilium gaudium (603) donum benedictionem et coronam, ab ipso Deo ordinatam, vocari audimus.

Commendato ad hunc modum matrimonii vinculo, hortatur Minister contrahentes ipsos et coniugatos adeo omnes, ut rei tam sanctae fines potissimum ipsos secum diligenter reputent ac per omnem vitam suam in prospectu suo semper habeant, summaque cura observent, si quidem pie simul in coniugio vivere iuxta voluntatem Dei gratiamque ac auxilium, denique et benedictionem Dei perpetuam habere velint. Tres autem fines praecipuos esse, propter quos potissimum sit matrimonium institutum.

Fines, propter quos potissimum est Institutum matrimonium.

Primus finis instituti coniugii est, ut solitudinis incommoda ac molestiae vitentur, dum Deus ipse solitudinem, ut ab ipsa hominis natura alienam, ita illi etiam incommodam atque inconvenientem esse pronunciat, ac proinde vitae eiusmodi societatem instituit, (604) viri et foeminae inquam, ut alter alteri praesto semper adesset, alter

alteri adiumento solatio atque ornamento esset. Atque in hac quidem tali societate nullam unquam fuisse futuram inaequalitatem, si eam nobis felicitatem Satan non invidisset, sed peccato demum parentum nostrorum factum esse, ut mulier, quae prior peccaverat, viro suo ex Deo ipsius decreto subiiceretur [1], maritus vero iussus sit nihilominus uxorem eo loco habere, quo suum ipsius corpus, non autem ullo modo adversus ipsam praeeminentiae illius suae nomine insolescere, aut eam prae se contemnere quoquomodo. Haec igitur contrahentibus ipsis et omnibus adeo coniugatis in societate matrimonii consideranda atque etiam praestanda esse, sic ut alter alteri in coniugio cogitet se deberè esse semper adiumento, non oneri, solatio, non moerori, ornamento, non dedecori, vir quidem in sua praeeminentia, uxor autem in sua subiectione, haec quidem in omni secundum Deum observantia, ille vèro in omni benevolentia, et veluti proprii sui corporis amore ac dilectione.

Secundus finis coniugii est liberorum (605) procreatio, cum enim Deus ita hominem formasset initio suae creationis, ut illi solitudo inconveniens atque incommoda futura esset, societas vero magis multo conveniens ac commoda, atque etiam statuisset, genus humanum, non equidem unica creatione, quemadmodum in Angelis fecit, sed generatione multiplicari, cum et ipsemet totam atque eandem divinitatis suae Monadem, non sane per ullam creationem, sed per aeternam atque ineffabilem aeterni etiam filii sui generationem multiplicasset in personarum pluralitatem, — hanc talem a se institutam hominis societatem vi atque affectu progignendi per suam benedictionem exornavit, iussitque, ut progignendae soboli, atque ita demum multiplicando humano generi operam darent, qui hac tali societate coniuncti essent.

Tertius finis instituti matrimonii est ustionis in corrupta iam natura nostra remedium, nimirum affectus ille progignendi initio quidem optimus, post peccatum autem per naturae nostrae corruptelam vagus atque exlex factus, remedio ac freno eget, (606) quod utrunque nobis Paulus in matrimonio commonstrat. Vult enim, ut propter libidinis aestum matrimonio iungamur, ut morbi nostri remedium indicet. Et frenum morbi commonstrat, cum non nisi unam uxorem viro et non nisi unum maritum uxori, tantisper dum una vivunt, permittit. Ex quibus Pauli verbis tertium hunc matrimonii finem colligi constat.

Hos fines matrimonii coniugatos omnes intueri semper diligentissimeque observare debere, ut vitam omnem suam inter sese ita com-

[1]) Gen. 2. Eph. 5.

ponant, ut hisce finibus respondeant. Et, quoniam contrahentes ipsi coniugalem eam societatem inter sese coram Ecclesia inire vellent, ab utroque singillatim sciscitatur Minister coram tota Ecclesia, de eorum mente hac in parte et voluntate, ad hunc modum.

Admonitio peculiaris ad sponsum.

„Audisti, mi frater N.! commendationem et fines Christiani cuiuslibet matrimonii. (607) Quare tibi iam cogitandum est, te a Deo ipso ad hoc vitae genus vocari, ut in coniugali tua iam deinceps cum adstante tibi ecce sponsa hac tua, N., societate, tantisper dum vos Dominus una superstites esse volet, vivas, intelligasque, te iam in maritum ipsius constitui Deo ipso autore, nempe ut sis iam caput uxoris huius tuae, illamque diligas ut tuum ipsius corpus, habeas curam illius, illam instruas in omnibus, consoleris tuearis alas et gubernes, ad quem modum corpus universum capitis industria cura ac providentia alitur sustentatur gubernatur ac defenditur, sisque erga illam ita plane affectus, ut Christum Dominum erga mysticum corpus suum (quod est Ecclesia) affectum esse scimus, et tu ipse erga te affectum esse cupis, nempe ut omnem uxoris tuae infirmitatem in te ipsum recipias, illam amanter feras, tegas et non tam illi, (608) quam tibi ipsi imputari velis. Proinde alienam a te omnino esse oportet omnem amarulentiam omnemque duriciem ac severitatem erga illam, sed omnia tibi amanter in charitate sustinenda erunt, ne usquam modestiae et mansuetudinis Christianae septa transilias, sed tuam hanc uxorem, ut vasculum infirmius, in omni lenitate possideas et honores. Praeterea, quoniam viro id est constitutum ut in sudore et labore victum sibi ipse paret, hoc tibi quoque pro tua virili praestandum erit, ne vos invicem ocio ac luxui dedatis, sed iuxta vestram vocationem operi vestro diligenter et in timore Domini instetis, ut familiae vestrae ne desitis et egenis fratribus etiam de vestro, pro eo ac facultates vestrae ferent, succurrere possitis.

„Haec ne ita agnoscis omnia, mi N.! et in animo tuo proponis per Dei gratiam, atque hic etiam (609) coram hac Ecclesia profiteris, te ad eum modum per omnem vitam tuam una cum uxore hac tua N. velle vivere, quam tu iam publice hic agnoscis esse unicam veram ac legitimam uxorem tuam, tibi a Domino datam, ut illam tibi adiungas et illi vinculo matrimonii adglutineris?"

Sponsus respondet: „Etiam."

Deinde se vertit Minister ad sponsam ipsam et ab illa etiam mentem ac voluntatem ipsius coram tota Ecclesia sciscitatur, cum tali admonitione.

Admonitio peculiaris ad sponsam.

„Iam et tu, mea soror, N.! audivisti, quo pacto maritus hic tuus N. tecum deinceps vivere per omnem vitam simul vestram debeat. Et hoc tibi igitur etiam est audiendum, quo pacto tu vicissim cum ipso vivere debeas, nempe ut ea omnia praestare modis omnibus studeas pro virili tua, quae tui officii esse audies, iuxta (610) verbum Dei. Nempe ut maritum tuum ex toto corde tuo secundum Deum diligas atque ames, venereris illum ac verearis, sisque illi subiecta, ut domino tuo, quemadmodum corpus totum capiti suo subiectum esse videmus, atque agnoscimus Ecclesiam Christo Domino subiectam esse oportere, — cogites te dari marito tuo a Domino Deo tuo in adiumentum, non in impedimentum, in solatium, non in molestiam, in ornamentum, non in dedecus aut ignominiam vitae ipsius. Proinde nihil tibi unquam sumere aut quoquomodo permittere debebis adversus maritum tuum, sed in silentio et subiectione tuum officium amanter et placide illi praestabis, ut sis adiumento solatio et ornamento vitae ac familiae ipsius. Ita enim hoc a Deo constitutum est, ut uxoris cuiusque desiderium esse debeat ad maritum, non autem adversus maritum ipsius, (611) et quod maritus illi dominetur. Cavebis igitur summa cura ac diligentia, ne hanc talem Dei constitutionem violes ullo modo, ut tibi videlicet ullum omnino imperium sumas in maritum tuum, aut tibi id suaderi permittas. Sed quo te magis sibi maritus tuus aequare volet pro suo officio suoque in te amore, hoc tu magis te vicissim demittere apud ipsum, in omni subiectione atque obedientia debebis, et sequendum tibi esse hic statues mandatum Dei, atque item exemplum sanctarum matronarum, quae nobis eo nomine potissimum in scripturis commendantur, quod maritis suis, spe sua in Dominum Deum collocata, morigerae planeque subiectae essent, ad quem modum Saram Abrahae suo subiectam fuisse legimus, ut illum dominum suum esse agnosceret et vocaret. Eris igitur in istiusmodi subiectione adiumento marito tuo in cura (612) ac gubernatione domus suae cum omni modestia placiditate et sobrietate sine fastu luxuque ullo, ut tuae pietatis atque parsimoniae exemplo aliis praelucere possis, ad Dei gloriam et mariti tui universaeque adeo familiae vestrae ornamentum.

„Haec ne ita, mea soror N.! agnoscis esse tui officii omnia, atque in animo tuo per gratiam Dei proponis et coram hac Ecclesia etiam profiteris, te ea omnia pro summa tua virili in coniugali iam deinceps tua societate per omnem vitam tuam praestare velle cum adstante ecce tibi N., quem hic iam coram hac Ecclesia publice agnoscis esse tuum unicum verum ac legitimum maritum, tibi a

Domino datum, ut te illi adiungas omnemque tuam vitam cum ipso vivas?"

Respondet sponsa: „Etiam."

His ita peractis coniungit Minister invicem manus contrahentium in totius Ecclesiae conspectu, eosque innetis iam in-(613)vicem manibus, audiente tota Ecclesia, alloquitur in hunc modum:

Coniunctio ipsa matrimonii.

„Deus Optimus Maximus, qui vos ad coniugalem invicem societatem vocavit, coniungat et conglutinet vos invicem in unam carnem per vinculum spiritus sui in vera perpetuaque dilectione mutua et timore suo, ut per omnem simul vitam vestram in vestro coniugio admirabile mysterium illud desponsionis Christi Domini cum sua Ecclesia exprimere, vosque ipsos illius reputatione invicem semper consolari possitis, foecundet vos insuper ac multiplicet Dominus Deus noster ad vestram ipsorum salutem et ad incrementum suae Ecclesiae, propter eundem ipsum Dominum nostrum Iesum Christum. Amen."

Postea hortatur Minister coniunctos illos et totam Ecclesiam, ut audiant, quam (614) firmiter Deus observari velit vinculum hoc coniugii, et ad quem modum violari etiam atque infringi possit, id vero utrunque contineri dicit cap. 19° Matthaei, unde locum illum de coniugio ac divortio recitat, auscultante tota Ecclesia, ad hunc modum:

„Et adierunt Christum Pharisaei, tentantes eum et dicentes ei: Licet ne homini dimittere uxorem suam quamvis ob causam? Qui respondens dixit eis: An non legistis, quod, qui initio condebat, masculum et foeminam fecerit eos? et ait: Propterea deseret homo patrem ac matrem et adglutinabit uxori suae, eruntque duo in carnem unam. Proinde iam non sunt duo, sed una caro. Quod igitur Deus copulavit, homo ne separet. — Dixerunt ei: Cur ergo Moses iussit dare libellum repudii et dimittere eam? Ait illis: Moses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores (615) vestras, caeterum ab initio non fuit sic. Dico autem vobis, quod quisquis dimiserit uxorem suam, nisi ob stuprum, et aliam duxerit, is in adulterio vivit, et, qui dimissam duxerit, is quoque in adulterio vivit."

Recitato hoc Matthaei loco, vertit se rursum Minister ad recens coniuctos illos eosque alloquitur in hunc modum:

„Ex hisce Christi Domini verbis facile videtis, quam sit firmum prorsusque indissolubile matrimonii vinculum, nimirum quod non nisi

morte sola et scortatione dirimatur. Cavete igitur vobis diligentissime, non tantum ab adulterio seu scortatione, sed ab omni etiam occasione petulantium verborum ac cogitationum. Horum enim indulgentia facile demum fit, ut parum casta etiam opera ipsaque adeo adulteria sequantur. Ne fraudetis vos invicem, nisi pusillum aliquid, idque ex consensu mutuo, et quidem non (616) odio aut fastidio ullo vestri invicem, sed duntaxat, ut tanto expeditiores esse possitis ad unanimiter precandum ac ieiunandum ad tempus aliquod. Et memineritis neutrum vestrum sui, sed alterum alterius corporis ius ac potestatem habere. Coadunet vos igitur Dominus in carnem unam per omnem vitam vestram, ad gloriam sui nominis et vestram salutem. Amen."

Postea invitat Minister totam Ecclesiam ad publicam precationem pro recens coniunctis illis coniugibus, ipseque, procumbente in genua atque auscultante Ecclesia, precatur clara voce ad hunc modum:

Precatio pro recens iunctis coniugibus.

„Omnipotens misericors Deus, Pater noster coelestis! qui nobis vinculum coniugii multis nominibus per luculentissima verbi tui testimonia insigniter commendas, et damnas stupra ac scortationes omnes, te supplices (617) precamur, ut coniuges istos novos, per nostrum nunc ministerium, in tuo nomine copulatos, regere velis spiritu sancto tuo, in coniugali hac societate ipsorum. Connecte corda ipsorum invicem amore inter sese mutuo et tua illos Divina benedictione complectere, quam in patribus nostris, servis atque amicis tuis, Abraha, Isaaco et Iacobo, opulentissime declarasti. Foecunda eos, Pater indulgentissime! ut re ipsa comperiant, te vere esse et suum et seminis ipsorum Deum, fac pro bona voluntate tua, ut semen tibi suum suscitent illudque educent ac instituant in timore tuo ad gloriam tui sancti nominis et ornamentum tuae Ecclesiae, quatenus id illis salutare esse nosti. Converte aquas omnes afflictionum omnium, quibus illos quandoque exerceri voles, in plenum suavitatis vinum illud tuarum promissionum, ut vim ac (618) consolationem illarum in omni cruce sua spiritu sancto tuo autore sentiant, seque illis sustentent. Largire illis gratiam tuam, ut in sancta hac a te instituta coniugali societate iuxta tuam voluntatem pie et unanimiter invicem vivere una nobiscum, et ad coelestem demum gloriam pervenire possint, merito et beneficio dilecti tui filii, Domini nostri Iesu Christi, tecum in secula laudandi. Amen."

Finita precatione vertit se Minister ad novos coniuges, illisque auscultante Ecclesia benedicit in hunc modum:

„Deus Optimus Maximus, vestri huius coniugii autor, benedicat vobis in coniugali hac societate vestra, ut vos ipsos in vestro semine multiplicare per gratiam ipsius illudque in timore ipsius educare possitis, quatenus id ille pertinere novit ad (619) gloriam adorandi sui nominis, ad vestram ipsorum salutem et Ecclesiae suae ornamentum atque aedificationem. Is igitur vobis et nobis pariter omnibus adesse dignetur. Amen."

Postea canitur Psalmus a tota Ecclesia: Beati omnes qui timent Dominum, 128, aut Psalmus 127: Nisi Dominus aedificaverit domum, — decantatoque Psalmo dimittitur Ecclesia cum solita benedictione, et egenorum commendatione.

DE AEGROTORUM VISITATIONE IN ECCLESIA GERMANORUM.

Quandoquidem Germani nostrae Ecclesiae omnes sparsim per totam civitatem Londinensem habitant, sic ut ministri non facile de morbis omnium semper scire possint, monetur subinde Ecclesia in publicis concionibus, ut, si quis in morbum forte aliquem incidat, id ut vel aeger ipse per suos, vel vicini ipsius, si qui sint e nostra Ecclesia, continuo indicent Ministris aut Senioribus Ecclesiae. Atque tum protinus designantur, qui ae-(620)grotum fratrem visitent admoneant et consolentur ex verbo Dei, pro eo ac cuiusque mores id atque ingenium, deinde vero ipse morbus etiam postulare videntur. Ut enim sunt varia hominum ingenia, varii item in morbis affectus, et alias minus, alias vero maius in morbo vitae periculum, ita non potest etiam una atque eadem admonitionum ex verbo Dei aut consolationum forma aegris ex aequo omnibus subservire. In hoc igitur est minister, ut in omnibus apud aegrotos admonitionibus ac consolationibus mores imprimis atque ingenium decumbentis, sive fratris, sive sororis, morbique magnitudinem observet, et remedium adhibeat, qua parte illo maxime opus esse videt, atque ipsa etiam morbi id ratio magnitudoque permittit. Neque ullam sane certam hic admonitionum aut consolationum formam praescriptam habemus habendamve esse putamus, sed, quae in omnibus alioqui morbis ac calamitatibus observari semper in genere oportet, de his, pro eo ac res ac tempus permittunt, aegroti in eam fere sententiam admonentur. (621)

1. Monetur aeger, ut cogitet, morbos omnes, non equidem temere, casuve fortuito, sed certo Dei consilio iuxta ineffabilem illius providentiam immitti, et proinde non dubitet, morbum quoque suum non aliunde, quam a Domino Deo suo, sibi immissum esse, agnoscatque, illum sibi, tanquam ipsius Dei manibus immissum, cum omni animi gratitudine ac tolerantia ferendum esse.

2. Monetur, ut cogitet, non frustra nobis a Domino morbos aliaque varia crucis genera immitti, sed ut nos in naturae hac nostrae corruptela subinde admoneant iustitiae pariter ac misericordiae Dei, dum et affligimur, et afflicti interim etiam iuvamur.

3. Monetur, ut intelligat, morbos esse quidem evidentia documenta iustitiae divinae tam in piis, quam in impiis (pariude enim iusto Dei iudicio puniuntur et pii et impii), sed alia interim iustitiae divinae ratione immitti morbos impiis, alia vero piis. Impiis enim, Dei beneficiorumque eius contemptoribus, infligi poenas impietatis ipsorum etiam in hac vita, veluti primitias quasdam aeterni ipsorum cruciatus aeternaeque condemnationis, ut iam etiam in vita hac horrorem illum iusti iudicii divini sentiant, in quo alio-(622)qui nihil aliud intueantur, quam inexplebilem illam flammae adversus se exardescentis imaginem, quae illos tandem totos abripiet sub extremum iudicii diem in aeternam condemnationem. Piis vero immitti morbos atque alia crucis genera omnia iusto quidem etiam iudicio Dei — per peccatum enim mors et omnes appendices illius — sed tamen non tam poenae sane illius, peccato nostro promeritae, ad condemnationem, quam potius remedii cuiusdam salutaris nomine, ut nos in nostro officio ad vitam aeternam contineant. Ita enim visum esse Deo, ut, etsi nostra omnis condemnatio, peccato nostro in primis nostris parentibus iam olim promerita, sit in Christo Domino per mortem eius expiata prorsusque abolita, quatenus hoc tantum beneficium contumaci nostra incredulitate a nobis ipsi non propellamus, tamen, quoniam corruptela nostra in nobis haeret adhuc, etiamsi propter Christum non amplius membris ipsius imputetur, atque ea nos transverse agit semper, ut nobis ipsi nimium semper nescio quomodo placeamus, ac proinde rebus secundis plus aequo etiam insolescamus Deique propemodum obliviscamur, — (623) ita, inquam, visum esse Deo, ut per morbos et alia quaevis crucis genera frenum quoddam nostrae in nobis corruptelae iniiciat nostraeque afflictiones omnes miseriae nos nostrae, sub quam iusto Dei iudicio per peccatum prolapsi sumus, et magnitudinis item divinae erga nos in Christo misericordiae subinde admoneant, ut neque rebus perpetuo secundis nimium insolescamus, sed, morbo aut alio quocunque crucis genere pressi, servitutis ac miseriae nostrae in peccato memores simus, hanc in nobis accusemus nullam-

que in nobis planè salutis nostrae spem, quod in nobis est, reliquam esse agnoscamus, — et ut, nobis ita iam diffisi, ad magnitudinem protinus gratuitae Dei erga nos in Christo misericordiae, oculos nostros per fidem convertamus illosque totos in admirabile illud, idemque etiam indissolubile nostrae cum Christo Domino gratuito nobis delatae communionis vinculum defigamus, in quo ille omnem nostram infirmitatem cum omnibus eius fructibus, non equidem nobis amplius, sed sibi ipsi, omnem vero suam iustitiam ac plenisufficientiam nobis secum ita vult imputari, ut neque nos sine (624) illo affligi iam possimus corruptelae nostrae in ipsum translatae nomine, neque ille sine nobis in coelesti sua gloria, ut caput sine corpore, regnare etiam possit. Habere igitur impios, beneficiorum Dei contemptores, crucem suam in vita hac, veluti primitias quasdam aeternorum cruciatuum et aeternae condemnationis, eo quod delatum sibi communionis huius cum Christo vinculum destinata incredulitatis suae contumacia a se ipsis repulerunt, quandoquidem extra hoc communionis istius cum Christo vinculum non est spes salutis ulla, omniaque tam laeta quam tristia exitialia plane esse oportet. Habere item et pios crucem suam iuxta externum quidem carnis aspectum, cruci impiorum non absimilem, eo quod utrique in eadem carne hic adhuc versentur, sed iuxta internum spiritus iudicium in fide longe dissimilem, nempe quae et ipsa quidem pios omnes admoneat divinae iustitiae, sed longe diversa ratione, nempe adiuncta simul etiam divinae misericordiae et nostrae iam cum Christo Domino communionis consideratione. Esse enim crucem piorum memoracu-(625)lum quoddam iusti Dei adversus peccatum iudicii, quod, etsi Christus Dominus loco nostro, in carne videlicet nostra, sustinere iam olim omnemque peccati nostri condemnationem morte ita demum sua expiare dignatus est, reliquias tamen illius quasdam extare adhuc vult in sua Ecclesia, non quae ad nostram amplius condemnationem nullo omnino modo pertineant (hanc enim locupletissime iam expiatam habemus), sed quae, veluti frena quaedam nostrae in nobis corruptelae, in nostro nos officio ad vitam aeternam contineant, nempe ut et nostram ipsi miseriam in perpetua hic peccati servitute et gratuitae simul etiam Dei erga nos misericordiae magnitudinem, cruce aliqua pressi, per omnem hic vitam nostram agnoscere discamus.

4. Monetur aeger, ut, posteaquam morbus ipsius est illi immissus a Domino in memoraculum divinae iustitiae simul ac misericordiae, ipse quoque divinae erga se in morbo suo et iustitiae et misericordiae meminisse velit. Iustitiae porro divinae omnium optime meminimus in Decalogi consideratione. Misericordiam autem (626) nobis omnium evidentissime commendat nostra cum Christo Domino

communio, si vim ac dignitatem illius nobiscum in promissionibus Euangelicis diligenter reputemus. Quanto enim longius abesse nos a Decalogi obedientia videmus, quae coram Dei praesertim iudicio subsistere possit (absumus autem quam longissime), tanto maiore sane nostro merito maioreque adeo bono etiam nostro morbos nobis et alia crucis genera a Domino immitti intelligemus, ut nostram in peccato miseriam, cruce aliqua pressi, tanto diligentius observemus, in illa nobis ipsi displiceamus et cum nostri ipsorum accusatione ad opis divinae implorationem accendamur. Rursum, si nostram cum Christo Domino communionem intueamur, intelligemus, nos, ut membra iam corporis Christi saluti aeternae destinata, ad instar auri vel argenti probari, ad fidei nostrae explorationem, ut, quemadmodum ille suarum nos afflictionum participes hic facit ad nominis sui gloriam, vultque, ut afflictionum ipsius reliquias in nostris etiam corporibus perfera-(627)mus, non ad nostri ipsorum explorationem tantum, sed ad Ecclesiae etiam suae aedificationem atque ornamentum — ad quem modum Paulus reliquias se passionum Christi in suo corpore pro Ecclesia sustinuisse gloriatur — ita nos olim etiam coelestis suae gloriae participes reddat atque conspicuam toti mundo faciat fidem ac tolerantiam nostram in nostris hic afflictionibus, quo magis divina virtus ac potentia illius in nostra infirmitate ad pudefaciendam Satanae truculentiam illustretur. Cogitaret igitur aeger, morbum suum ideo sibi a Domino immissum esse, ut per eius fidem ac tolerantiam Satanae olim truculentia pudefiat. Divina vero in nostra hic infirmitate virtus ac gloria toti mundo conspicua fiat, ad quem modum Iobi olim fides ac tolerantia in morbo ac cruce ipsius Satanae procuidubio truculentiam evidentissime infamabat, Divinam vero in sua infirmitate virtutem ac potentiam insigniter illustrabat. Atque hic quidem minister se accommodat aegri ingenio, pro eo ac morbus id permittit, ut illi aut iustitiae divinae opus inculcet, si illum plus (628) aequo sibi indulgentem in conscientiae certamine esse videat, aut ad divinae illum misericordiae nostraeque cum Christo communionis reputationem excitet atque erigat, si illum in sua conscientia angi morbique magnitudine gravius videat perturbari.

5. Moueatur aeger, ut, quoniam fides ac tolerantia sunt dona Dei, quae ille nobis impertitur pro eo ac vult, nosque thesaurum nostrae fidei in fragilibus nostris vasculis circumferimus, quae Satan multis et magnis arietibus impetere nunquam cessat, Apostolorum hic sibi precationem imitandam esse statuat, nempe ut cum illis assidue in corde suo clamet: Domine! adauge nobis fidem, — capita religionis nostrae, Apostolico Symbolo comprehensa, subinde ac diligenter secum repetat, mysteria item baptismi et coenae Dominicae ob oculos suos

posita semper habeat. Haec enim cum ad nos pertineant Sacramentorum testimonio, et quidem ex Christi ipsius, qui non mentitur, institutione, non possunt sine magna consolatione nostra reputari. Nimirum baptismus noster testa-(629)tur, nos, ad quem modum aqua sordes omnes eluuntur, ita sanguine Christi etiam ablutos esse in morte ipsius, ut, etsi in nobis servi adhuc peccati simus per omnem hic vitam nostram, in Christo tamen Domino mundi iam modis omnibus simus per salutarem sanguinis sui in morte ipsius ablutionem, sic ut nulla iam nostra infirmitas imputari nobis possit propter Christum ad nostram condemnationem. Et coena rursum Dominica testatur etiam, omnem iustitiam, omne meritum et omnem gloriam Christi Domini tam certo ad nos omnes pertinere, qui de uno pane edimus et de uno poculo bibimus in coenae suae usu iuxta eius institutionem, quam certo credimus ex Pauli doctrina, Coenam ipsam Dominicam esse indubitatam communionem corporis et sanguinis Christi, hoc est, societatem nostram individuam cum Christo Domino in iis omnibus, quae ullo modo pertinere possunt ad corpus et sanguinem ipsius, sic ut neque nos sine Christo Domino damnandi unquam simus, neque ille sine nobis corporis sui sociis adeoque et membris mysticis, in (630) coelesti sua gloria regnare etiam possit.

6. Monetur aeger, ut, quoniam morbi nostri et omnia alioqui crucis genera nobis a Domino ad fidei nostrae explorationem immittuntur, et fides nostra non aliunde melius, quam ex charitatis officiis aestimari potest, iisdem quoque charitatis officiis illam aeger ipse et Deo ipsi et suae etiam Ecclesiae studeat in morbo hoc suo approbare. Esse autem haec praecipua charitatis inter eos officia: reconciliari iis, quos offendimus, sive domi nostrae, sive foris, ignoscere omnibus, qui nos ullo etiam modo offenderunt, restituere, si quid cuiquam praeripuimus, cavere, ne ullis turbis ac dissidiis ullam etiam post nos occasionem relinquamus. Si quem igitur offendisset aeger, sive consulto, sive per imprudentiam, potissimum autem in sua ipsius familia, huic ut reconcilietur et pro virili sua satisfaciat. Ablata restituat, habet enim ultorem Deum omnis iniustitia, atque adeo excluditur etiam a Regno Dei. Ignoscat omnibus, a quibus ullo modo laesus est, ad quem modum ipsemet sua (631) sibi peccata a Domino remitti ac condonari optat. Disponat tempori de bonis ac rebus suis omnibus, sive per testamentum, sive alio quovis modo, tollatque, quod in ipso est, omnes post se litium ac dissidiorum occasiones.

In hanc fere sententiam habentur potissimum apud aegros admonitiones, observato, ut dictum est, ipsorum ingenio atque affectu in morbo ipso, observata item morbi magnitudine ac periculo, ne importune conscientia ipsorum gravetur.

Habentur etiam preces publicae in templo per Ecclesiam pro aegrotis illis fratribus nominatim, si ullo modo de vita periclitari videantur, admoneturque Ecclesia de illis visendis, ut eis aliquot fratres subinde adesse possint. Et apud aegrotos ipsos, ubi fratres aliquot adsunt, habentur etiam preces, ipsomet aegroto auscultante ac simul etiam precante.

Quodsi aeger inopia ulla premitur, tum Diaconis iniungitur, ut eius inopiae succurrant, moneturque ut curam illius peculiarem habeant, efficiantque ne un-(682)quam sit solus, sed habeat, qui illi adsint.

Quodsi quis a morbo suo revalescit, id quoque ministris indicatur, habeturque publica in coetu Ecclesiae pro aegroti revalescentia gratiarum actio, adiuncta precatiuncula, ne, qui revaluit, dono hoc revalescentiae aliquo modo abutatur, ipseque aeger monetur, ut post restitutus a morbo vires ad coetum Ecclesiae ipsemet veniat et suam erga Deum pro restituta valetudine gratitudinem publice attestetur. Neque enim impunem esse apud Deum omnem ingratitudinem omnino.

Ad eundem vero modum et puerperae post completos dies purgationis ipsarum iubentur adesse in coetu Ecclesiae, sine ulla interim aut Iudaicae aut Papisticae purificationis superstitione, ibique agit Minister publice gratias Deo cum tota Ecclesia pro puerperae illius partu ac valetudinis restitutione, et precatur, ut puerpera beneficio Dei illo utatur ad gloriam divini sui nominis et suam ipsius salutem, foetum autem sibi a Domino datum diligenter curet, ut filium Dei, eo quod illum, (683) non tantum sibi ipsi, sed Deo potissimum et eius Ecclesiae peperisset.

DE RITU SEPELIENDI MORTUOS.

In mortuorum sepultura non adhibemus fastum ullum theatricum ullumve aut Ethnicum aut Papisticum apparatum, sed summam quam possumus simplicitatem cum publica interim funeris honestate retinemus ad Ecclesiae aedificationem.

Ac primum ad aedes fratris demortui conveniunt fratres aliqui et unus aut alter e senioribus Ecclesiae, qui funus ad templum deferant, unaque et matronae nonnullae, quae viduae, funus deducenti, adsint, atque sub tempus publicae concionis funus in silentio et cum omni modestia ac gravitate ad templum adferunt, allatum ad foveam sepulturae destinatam collocant, repositoque ad foveam funere, Ecclesia tota sese ad concionem audiendam componit.

Postea orditur Minister suam concionem, et, si sit ordinarius publicarum concionum dies, prosequitur aliquandiu (634) suam concionem ordinariam ad semihorae spatium. Deinde vero orationem suam de funere instituit. Si vero non sit dies destinatus publicis concionibus et sepultura tanto alioqui tempore differri commode non queat, tum minister de solo funere admonet Ecclesiam, in hanc ferme sententiam.

Admonitionis circa funus argumentum.

1. Monetur Ecclesia, funera eorumque sepulturam in Ecclesia institutam esse, non tam propter mortuos ipsos, quam potius propter funerum in Ecclesia spectatores. Mortuis namque, quod ad illos attinet, periude esse, quocunque modo aut loco aut tempore sepeliantur — nimirum sepultura salutem mortuorum, neque iuvare neque impedire potest — sed Ecclesiae interesse, ut funera piorum suorum fratrum cum gratiarum actione rite ac decenter propter spem resurrectionis sepeliantur. Atque hic obiter traducitur error Papisticus de adiuvanda mortuorum (635) salute per funebres ipsorum nenias, oblationes atque apparatus, qui error, cum sit in meritum mortis Christi contumeliosus, in eius Ecclesia neque ferri neque dissimulari debet.

2. Docetur Ecclesia, quomodo mors genus humanum, ad immortalitatem alioqui creatum, per parentum nostrorum peccatum invaserit. Eam nimirum esse Maiestatis divinae, tum sanctitatem, tum etiam dignitatem, ut nullum omnino peccatum impune ferat ullo modo, etiamsi nostrae rationi levissimum esse videatur, quemadmodum sane unius pomi vetiti esus levis videri potest. Id porro satis conspicuum esse in filio Dei, quem et carnem in se nostram, ut mori posset, assumere, et mortem demum ignominiosissimam, ad peccati nostri expiationem, oppetere oportebat, imo et in nobis omnibus conspicuum adhuc esse, quatenus adhuc propter illum ipsum vetiti pomi esum morti nos omnes subiectos esse oportet. Proinde merito omnes cavere debere summa cura ac diligentia, ut sibi modis plane omnibus caveant ab omni omnino quamlibet levis pec-(636)cati occasione. Si enim Adae imprudentia illum excusare non potuit, quominus cum universa sua posteritate sub mortem aeternam, quod in nobis est, condemnaretur, etiamsi ipse in sua transgressione se ita peccasse non omnino persuasum haberet, — quanto maiore nos iam culpa tenemur, dum nobis in iis, quae cum Dei voluntate pugnare certo novimus, neglectis Dei praeceptis, indulgemus? Atque hic inducuntur loca scripturae, quae faciunt ad peccatorum indulgentiam accusandam ac detestandam.

3. Docetur Ecclesia, quod, etsi mors ita iam, ut est dictum, universum genus humanum propter peccatum pervaserit, naturaque nostra, ex nobis ipsis, aliud nihil simus, quam irae ac mortis filii Deum tamen nostri misertum, quemadmodum nos non equidem ad mortem, sed ad vitam aeternam initio creaverat, ita nos etiam a morte rursum ad vitam aeternam, donato nobis in carne nostra unigenito suo filio, revocare voluisse. Hunc igitur Dei filium, Patri suo coaeternum et coaequalem, assumpta ex matre virgine carne nostra, ho-(637)minem factum esse, per omnia nostri similem, excepto solo duntaxat peccato, atque ita demum universi humani generis carnem in suo corpore sanctificasse, etsi in nobis haec illius sanctificatio conspicua non sit adhuc. Sed quoniam carnis haec nostrae in Christi corpore sanctificatio ad nos propter peccatum nostrum non aliter potuit pertinere, quam si aeternae Patris Dei iustitiae pro nostra transgressione satisfieret, ipsummet eundem filium Dei sacrosanctum iam in se carnis nostrae corpus in mortem, peccato nostro constitutam, summa cum ignominia ad peccati nostri expiationem ultro obtulisse, dependisseque per corporis sui innocentissimi in carne nostra oblationem, quod eidem ipsi carni in nobis propter peccatum nostrum decreto Dei fuerat constitutum, sic ut nobis amplius peccatum nostrum ad condemnationem propter Christi Domini mortem imputari haudquaquam possit, praeterquam si nos ipsi per contemptricem tanti istius beneficii incredulitatem ab ea peccati nostri expiatione in Christo Domino excludamus. Vult enim filius Dei fide apprehen-(638)di suum hoc beneficium, ut nostram erga illum gratitudinem attestemur, et nos ab impiis ipsius contemptoribus fidei nostrae testimonio separemus. Non quod salus nostra a fide nostra pendeat, sed quod Deus contemptricem illam beneficii Christi incredulitatem aeterna condemnatione puniat. Requiri igitur fidem in nobis, si beneficium illud expiati per Christum Dominum peccati nostri ad nos debeat pertinere, sed requiri, non ut causam ullam mediumve salutis nostrae — causa enim salutis nostrae unica est, nempe gratuita Dei misericordia, medium item unicum etiam, nempe Christi Domini in carne nostra meritum — sed requiri ut gratitudinis nostrae quandam attestationem, qua ab impiis tanti beneficii contemptoribus discernamur.

4. Docetur Ecclesia, quaenam sit ea fides, quam Deus in nobis requirit, ne a Christi Domini beneficiis excludamur. Tres esse illius notas scripturis sanctis proditas. Primam, ut certo verbi Divini testimonio iuxta unanimem totius scripturae consensum nitatur. Fides ex auditu, inquit Paulus, auditus (639) per verbum Dei. Alteram, ut sit firma ac certa persuasio, non flexilis ad omnem ventum doctrinae cuiusvis, instar arundinis, sed ut ei quod credimus toto corde

nostro pro nostra infirmitate assentiamur. Sic Christus Dominus fidem in Petro vacillantem reprehendit, firmam vero in Ioanne Baptista commendat, Matth. 14, 11; sic et alibi fidei firmitudinem commendari, haesitationem vero traduci videmus, Matth. 21, Mar. 11, Rom. 4, Iacob. 3. Tertiam vero fidei notam esse, ut non e rationis nostrae indicio nostrisque affectibus nascatur, sed spiritum sanctum autorem suum in corde nostro habeat, qui divino afflatu suo corda nostra excitet ad apprehendendas verbi divini promissiones, ut nobis placeant, nosque pacificata nostra conscientia in illis fiducia Christi Domini conquiescamus, etiamsi nondum ea, quae in promissionibus divinis habentur, in nobis hic conspicere possimus. Ex fructibus vero istis facile apparere, num spiritum sanctum fidei nostrae autorem habeamus. Neque enim est ociosus afflatus ipsius, sed profert semper fructus suos, qui nobis in cor-(640)de nostro testantur, nos habere intra nos spiritum sanctum fidei nostrae autorem. Esse autem hoc proprium spiritui sancto, ut carnis concupiscentiis, non equidem indulgeat, sed prorsus adversetur. Tum demum igitur spiritum sanctum nostrae fidei autorem esse intelligemus, dum nostrae fidei repugnantiam spiritus adversus carnem in corde nostro adiunctam esse sentimus. Et hanc si nullam omnino in corde nostro sentiamus, frustra equidem nobis ullo prorsus fidei nomine, quam Deus alioqui in nobis requirit, blandiamur. Nam eam ipsam, quam ipsemet largitur, et non aliam ullam fidem requirit in nobis Deus, si a Christi Domini beneficiis excludi nolimus. Cuius sensum si ullo modo in corde nostro ipsius beneficio habeamus, atque adiunctam illi repuguantiam adversus carnem nostram intra nos pro nostra infirmitate sentiamus, atque haec talis fides, non sit dubia plane et certo praeterea verbi divini testimonio, ut dictum est, nitatur, tum equidem tam nos certos esse debere de sublata a nobis omni peccati nostri condemnatione deque abolito plane (641) mortis regno in nobis per Christi Domini propitiatoriam in morte eius oblationem, quam certum est, Deum esse Deum, qui in verbi sui divini promissionibus verax sit et fidelis, neque mentiri ullo modo possit.

5. Docetur Ecclesia, quod, etsi peccatum nostrum sit iam expiatum morte Christi Domini, regnumque mortis sit in nobis iam prorsus abolitum (quatenus quidem in nostra cum Christo Domino communione fidei nostrae testimonio permanemus) sub peccato tamen adhuc, et proinde sub morte etiam, quod in nobis est, dum hic vivimus, haereamus. Nimirum Christus Dominus non equidem peccatum ipsum, cuius alioqui prorsus expers erat, sed solam peccati poenam pariter ac culpam sine peccato interim ullo in se transtulit. Et proinde, dum sub peccato haeremus adhuc, quatenus equidem illi, (quod in

nobis est, subiecti sumus, hactenus nos morti etiam subiectos esse oportet ad tempus usque nostrae restitutionis. Sed ad quem modum peccatum in nobis haerens, etsi nos cogat facere malum quod nolumus, et non permittat facere bonum quod volumus, non est tamen damnans nos amplius peccatum propter (642) Christum, — ita et mors, etsi nos propter peccatum invadat, non tamen in regno amplius suo detinere nos potest propter Christum. Sed quemadmodum Christum Dominum, posteaquam illum loco nostro invasisset, detinere in Regno suo non potuit; redivivumque ferre coacta est in ipsius resurrectione, ita et nos redivivos in nostra resurrectione ferre cogetur, etiamsi nunc morsum illius evitare non possimus. Unde fit etiam ut mors haec nostra, qua anima a corpore separatur, non tam mors iam alioqui, quam somnus quidam potius vocetur.

6. Monetur Ecclesia de incerto mortis tempore, quod equidem Deus ita incertum esse voluit, ne, si de illo certi essemus, resipiscentiam nostram in extremum usque vitae nostrae tempus differremus, cum ne sic quidem sub temporis ea incertitudine magna illius cura, nisi morbo gravi aliquo adacti, tangamur. Quanto igitur minus certi esse possumus de mortis hic nostrae tempore, tanto nos ad illam magis componere debere, perinde atque si in foribus esset. Est enim dies Domini, sicut fur, et ipsemet se ea hora, qua omnium (643) minime expectaretur, adfuturum esse praedixit.

Haec ita in genere pro funebribus concionibus tractantur. Et, si quid a demortuo fratre illo dum viveret praeclare actum est, in fidei suae confessione promovendave religione, aut iuvanda alioqui Christi Ecclesia, aut si quid pro Christi nomine passus est, id totum commemoratur, ut dona Dei in illo praedicentur et Ecclesia ad eius imitationem invitetur, potissimum autem si quod peculiare specimen resipiscentiae aut fidei suae dedit ante mortem suam, ut per eam occasionem Ecclesia etiam ad resipiscentiam et mundi huius momentanei contemptum excitetur.

Finita concione, deponitur funus in foveam et demum terra tegitur ut fovea expleatur. Interea vero canitur Psalmus a tota Ecclesia, 103. „Benedic anima mea Domino." Quo absoluto completaque funeris sepultura, Minister Ecclesiam ad precationem publicam invitat, complectentem in se pro evocato e vitae huius miseria fratre demortuo gratiarum actionem, ad hunc modum: (644)

Precatio post absolutam funeris sepulturam.

„Agimus tibi gratias, omnipotens et misericors Pater! per Iesum Christum filium tuum Dominum ac liberatorem nostrum, quod no-

strum hunc fratrem, N. (*aut sororem N.*) e mundi huius miseriis ad vitam ac gloriam tuam aeternam in vera filii tui fide et confessione evocasti, neque dubitamus quin et animam illius iam transtuleris in regnum tuae immortalis gloriae, et corpus etiam ipsius excitaturus sis suo tempore ad resurrectionem vitae ac gloriae tuae aeternae, etiamsi nunc in terram defossum quiescat, quo quidem nomine demortuo nostro huic fratri (*aut sorori*), tua freti misericordia, ex animo gratulamur, teque supplices precamur, ut et nos omnes, dum hic vivimus, tua complecti paterna misericordia, actionesque nostras omnes et omnia nostra consilia per spiri-(645)tum sanctum tuum gubernare digneris, ut nostris oculis a rerum mundi huius cura, ad te rerumque coelestium meditationem sublatis, te potissimum, Pater beneficentissime! tuumque in nobis opus intueri semper tibique per omnem deinceps vitam nostram in sanctitate et iustitia servire pro nostra infirmitate possimus, utque ita demum in fide ac confessione filii tui ex hac vita excedentes, iuxta beneplacitum sanctae voluntatis tuae tecum una in aeternum esse possimus. Et quidem non nostro ullo, qui aliud nihil in nobis ipsis quam misera peccati et mortis aeternae mancipia sumus, sed solo dilecti filii tui merito, summi fidelissimique ac aeterni Pontificis animarum nostrarum, qui tecum pariter et cum sancto spiritu in una atque eadem divinae existentiae monade est unus verus atque aeternus Deus, (646) laudandus in secula. Amen."

Finita hac precatione, dimittitur Ecclesia cum solita benedictione et pauperum diligenti commendatione, Diaconis ad portas templi stantibus et eleemosynas more solito colligentibus pro egenis.

APPENDIX AD LECTOREM.

HABES, candide lector! non externos tantum Ecclesiae nostrae ritus, sed omnem praeterea rationem gubernationis illius in nostro ministerio, denique et doctrinae adeo nostrae summam fere omnem, pro eo ac ministerii nostri quaeque actio id postulare videtur. Tractavimus autem id totum quanta potuimus fide et simplicitate, non alio spectantes, quam ut concessum nobis a Deo Optimo Maximo instituendae nostrae Ecclesiae ineffabile beneficium piis omnibus palam faceremus, Pientissimi item Regis exemplum, aeterna alioqui memoria dignum, studium praeterea ac pietatem illius in promovenda sanae doctrinae et cultus Divini (647) *puritate, et singularem erga peregrinos omnes propensionem (qui modo verae religionis amantes essent). Ecclesiae Christi commendaremus, simulque etiam ministerii nostri fidem sub tanto Dei beneficio piis ubique omnibus approbaremus. Quodsi cuiquam forte hic non probetur, aut doctrinae genus, aut rituum forma, aut ratio alioqui ipsa gubernandae Ecclesiae, eum rogamus, ut charitatis et modestiae Christianae memor esse velit, hoc est, ut, quae illum quoquomodo offendunt, ea sine conviciis ac praeiudiciis tragicisque turbis ex verbo Dei reprehendat. Nos sane nihil humani a nobis alienum esse putamus, nedum ut nos et falli et labi posse non libenter etiam agnoscamus. Et proinde adeo non recusamus moneri, denique et reprehendi, sive privatim sive publice, in lenitate et modestia Christiana, ut nos etiam omnibus plurimum debere profiteamur, qui nobis errata nostra verbi divini testimoniis commonstrent, tantum abest ut piis modestis et Christianis reprehensionibus offendamur. Caeterum maledictis ac conviciis, denique et praeiudiciis contendere, non am-*(648)*amus, Paulumque Apostolum hic sequi malumus, qui hunc morem et a se et ab Ecclesia Dei alienum esse testatur. Atque audimus quidem nonnullos offendi, quod in instituenda nostra Ecclesia, non equidem nobis sequendos esse existimaverimus aliarum Ecclesiarum ritus atque observationes, sed novas propemodum omnes nobisque peculiares caeremonias observemus, veluti con-*

temptis aliis Ecclesiis, quae interim contemni a nobis hac in parte non debebant. At vero huic istorum offensioni et in libello ipso (sicubi se occasio offerebat) et in ipsa potissimum liminari Epistola abunde nobis respondisse videmur, ut non sit opus multis id nunc repetere; nempe nos neque contemptu ullo aliarum Ecclesiarum, per quas nos alioqui in divinorum cognitione profecisse ingenue et libenter agnoscimus, neque item ullo novandi quidquam studio egisse, quidquid huius egimus, sed potius id conatos esse, ut, sublatis omnibus antichristianis novationibus, quoad eius fieri posset, ad priscam illam primaevae Ecclesiae Apostolicae puritatem quam proxime accederemus, per-(649)*missa interim aliis Ecclesiis sua hac in parte libertate et sine praeiudiciis ullis. Ad haec fidem ipsam concrediti nobis ministerii id postulasse, cum hac potissimum ratione cura nobis nostrae Ecclesiae committeretur, ut in illius ministerio, non tam equidem aliarum Ecclesiarum ritus ullos, quam verbi divini regulam potius atque Apostolicam observationem sequeremur. Denique cum et a Rege ipso et a praecipuis ipsius Proceribus subinde moneremur, ut permissa nobis tanta libertate in nostro ministerio recte et fideliter, non in hominum gratiam ullam, sed ad Dei solius gloriam per cultus ipsius repurgationem uteremur, et caveremus, ne quid in nobis a nostris adversariis (quos equidem multos haberemus) accusari merito posset.*

Ne autem quisquam putet, vana atque a nobis conficta esse, quae de permissae nobis Ecclesiae nostrae nostrique in illa ministerii ratione et Regia item pietate diximus, Regium ipsum institutae nostrae Ecclesiae nostrique in illa ministerii Diploma adiungendum hic esse existimavimus, quod alioqui satis testabitur, nos, neque de divini (650) *in instituenda nostra Ecclesia beneficii magnitudine, neque de Regio erga veram religionem peregrinosque homines studio, neque de nostri ministerii rationibus, secus quam res se habet dixisse. Et dignum alioqui esse iudicavimus, ut aedito hoc Diplomate tantae pietatis exemplum Catholicae Christi Ecclesiae commendaretur ac reliquos orbis Christiani Principes excitaret ad Regis pientissimi imitationem.*

EXEMPLUM DIPLOMATIS REGII.

EDUARDUS SEXTUS, Dei gratia Angliae Franciae et Hiberniae Rex, fidei defensor et in terra Ecclesiae Anglicanae et Hibernicae supremum sub Christo caput.

»Omnibus, ad quos praesentes literae pervenerint, salutem!

»Cum magnae quaedam et graves considerationes nos ad praesens specialiter impulerunt, tum etiam cogitantes illud, quanto studio et charitate Christianos Principes in sacrosanctum Dei Euangelium et (651) religionem Apostolicam, ab ipso Christo inchoatam institutam et traditam, animatos et propensos esse conveniat, sine qua handdubie politia et civile regimen neque consistere diu neque nomen suum tueri potest, nisi principes caeterique praepotentes viri, quos Deus ad Regnorum gubernacula sedere voluit, id imprimis operam dent, ut per totum reipublicae corpus casta synceraque religio diffundatur et Ecclesia, in vero Christianis et Apostolicis opinionibus et ritibus instituta et adulta, per sanctos ac carni et mundo mortuos ministros conservetur, pro eo quod Christiani Principis officium statuimus, inter alias gravissimas de regno suo bene splendideque administrando cogitationes, etiam religioni et religionis causa calamitate fractis et afflictis exulibus consulere:

»Sciatis, quod non solum praemissa contemplantes et Ecclesiam a Papatus tyrannide per nos vindicatam in pristina libertate conservare cupientes, verum etiam exulum ac peregrinorum conditionem miserantes, qui iam bonis temporibus in Regno nostro Angliae commorati (652) sunt, voluntario exilio religionis et Ecclesiae causa mulctati, — quia hospites et exteros homines, propter Christi Euangelium ex patria sua profligatos et eiectos et in Regnum nostrum profugos, praesidiis ad vitam degendam necessariis in Regno nostro egere non dignum esse, neque Christiano homine, neque Principis magnificentia dignum esse duximus, cuius liberalitas nullo modo in tali rerum statu restricta clausave esse debet. Ac quoniam multi Germanae nationis homines ac alii peregrini, qui confluxerunt et in dies singulos confluunt in regnum nostrum Angliae ex Germania et aliis remotioribus partibus, in quibus Papatus dominatu Euangelii

libertas labefactari et premi coepta est, non habent certam sedem et locum in regno nostro, ubi conventus suos celebrare valeant, ubi inter suae gentis et moderni idiomatis homines religionis negotia et res Ecclesiasticas pro patrio ritu et more intelligenter obire et tractare possint:

»Idcirco de gratia nostra speciali ac ex certa scientia et mero motu nostris:

»Nec non de avisamento Consilii nostri,

»Volumus concedimus et (653) ordinamus, quod de caetero sit et erit, unum templum sive sacra aedes in civitate nostra London., quod vel quae vocabitur templum Domini Iesu, ubi congregatio et conventus Germanorum et aliorum peregrinorum fieri et celebrari possit ea intentione et proposito, ut a ministris Ecclesiae Germanorum aliorumque peregrinorum sacrosancti Euangelii incorrupta interpretatio, sacramentorum iuxta verbum Dei et Apostolicam observationem administratio fiat.

»Ac templum illud sive sacram aedem illam de uno superintendente et quatuor verbi ministris erigimus creamus ordinamus et fundamus per praesentes. Et quod idem superintendens et ministri in re et nomine sint et erunt unum corpus corporatum et politicum de se per nomen »Superintendentis et ministrorum Ecclesiae Germanorum et aliorum peregrinorum, ex fundatione Regis Eduardi Sexti in civitate London.« per praesentes incorporamus, ac corpus corporatum et politicum per idem nomen realiter et ad plenum creamus erigimus ordinamus facimus et constituimus per praesentes et quae successionem habeant.

»Et ulterius de gratia nostra speciali, ac ex certa scientia et (654) mero motu nostris:

»Nec non de avisamento Consilii nostri:

»Dedimus et concessimus ac per praesentes damus et concedimus praefato Superintendenti et ministris Ecclesiae Germanorum et aliorum peregrinorum in civitate London. totum illud templum sive Ecclesiam, nuper fratrum Augustinensium, in civitate nostra London., ac totam terram, fundum et solum Ecclesiae praedictae, exceptis toto choro

dictae Ecclesiae, terris, fundo et solo eiusdem, — **habendum** et gaudendum dictum templum sive Ecclesiam ac caetera praemissa, exceptis praeexceptis, praefatis Superintendenti et ministris et successoribus suis; — **tenendum** de nobis, haeredibus et successoribus nostris in puram et liberam eleamosynam.

»**Damus ulterius** de avisamento praedicto ac ex certa scientia et mero motu nostris praedictis per praesentes concedimus praefatis Superintendenti et ministris et successoribus suis plenam facultatem potestatem et autoritatem ampliandi et maiorem faciendi numerum ministrorum et nominandi et appunctuandi de tempore in tempus tales et huiusmodi subministros ad (655) serviendum in templo praedicto, quales praefatis Superintendenti et ministris necessarium visum fuerit. Et quidem haec omnia iuxta beneplacitum Regium.

»**Volumus** praeterea, quod IOANNES A LASCO, natione Polonus, homo propter integritatem et innocentiam vitae ac morum et singularem traditionem valde celebris, sit primus et modernus Superintendens dictae Ecclesiae, et quod GUALTERUS DELOENUS, MARTINUS FLANDRUS, FRANCISCUS RIVERIUS, RICHARDUS GALLUS, sint quatuor primi et moderni ministri.

»**Damus** praeterea et concedimus praefatis Superintendenti et ministris et successoribus suis facultatem autoritatem et licentiam post mortem vel vacationem alicuius ministri praedictorum de tempore in tempus eligendi nominandi et surrogandi alium personam habilem et idoneum in locum suum. Ita tamen quod persona sic nominatus et electus praesentetur et sistatur coram nobis, haeredibus vel successoribus nostris, et per nos, haeredes vel successores nostros instituatur in ministerium praedictum.

»**Damus** etiam et concedimus praefatis Superintendenti, ministris et (656) successoribus suis facultatem autoritatem et licentiam post mortem seu vacationem Superintendentis de tempore in tempus eligendi nominandi et surrogandi alium perso-

nem doctum et gravem in locum suum. Ita tamen quod persona sic nominatus et electus praesentetur et sistatur coram nobis, haeredibus vel successoribus nostris, et per nos, heeredes vel successores nostros instituatur in officium Superintendentis praedictum.

Mandamus et firmiter iniungendum praecipimus tam Maiori, Vicecomitibus at Aldermannis Civitatis nostrae London., Episcopo London. et successoribus suis cum omnibus aliis Archiepiscopis, Episcopis, Iusticiariis, Officiariis et Ministris nostris quibuscunque, quod permittant praefatis Superintendenti et ministris et sua suos libere et quiete frui gaudere uti et exercere ritus et ceremonias suas proprias et disciplinam Ecclesiasticam propriam et peculiarem, non obstante quod non conveniant cum ritibus et ceremoniis in Regno nostro usitatis, absque impetitione perturbatione aut inquietatione eorum, (657) vel eorum alicuius, aliquo statuto actu proclamatione iniunctione restrictione seu usu in contrarium inde ante hac habitis factis editis seu promulgatis in contrarium non obstantibus.

Eo quod expressa mentio de vero valore annue aut de certitudine praemissorum, sive eorum alicuius, aut de aliis donis sive concessionibus, per nos praefatis Superintendenti, ministris et successoribus suis ante hace tempora factis, in praesentibus minime facta existit, aut aliquo statuto actu ordinatione provisione sive restrictione inde in contrarium factis editis ordinatis seu provisis, aut aliqua alia re causa vel materia quacunque in aliquo non obstante.

In cuius rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes.

Teste me ipso apud Leighes, vicesimo quarto die Iulii, Anno Regni nostri IV°, per Breve de privato sigillo, et de datis praedicta autoritate Parliamenti.

P. South-Well.

W. Harrys.

COMPENDIUM DOCTRINAE

DE VERA UNICAQUE DEI ET CHRISTI

Ecclesià, eiusque fide et confessione pura: in qua Peregrinorum Ecclesia Londini instituta est, autoritate atque assensu Sacrae Maiestatis Regiae. Quem Deus Opt. Max. ad singulare Ecclesiae suae decus ornamentum ac defensionem (per gratiam suam) servet, gubernet et fortunet.
Amen.

Una cum publicis precibus eiusdem Ecclesiae.

Matth. 10. *Qui vos recipit, me recepit.*

Londini, excudebatur, in Officiua Stephani Mirdmanni.
1551.

(Cum privilegio ad imprimendum solum.)

SERENISSIMO CLEMENTISSIMOQUE

Principi et Domino, D. Eduardo, eius nominis sexto, Angliae, Franciae et Hyberniae Regi, verae Catholicae atque Apostolicae fidei defensori, ac supremo in terris sub Christo Anglicanae et Hybernicae Ecclesiae Capiti, — Ministri Ecclesiae Peregrinorum, Londini institutae, optant gratiam et pacem a Deo Patre per Christum Dominum, Regem, Prophetam et Pontificem nostrum aeternum. Amen.

QUI fatalem istam toto propemodum Christiano orbe Ecclesiarum dissipationem propius paulo intuentur Divinaeque in illa providentiae ex verbo Dei meminerunt, Serenissime Rex! facile intelligunt ingens esse hoc beneficium Dei, quod tristissimis nostris hisce temporibus, quibus horribili prorsus neque (A i^a) alias unquam audita Romani Antichristi eiusque cornuum tyrannide atque prodigiosis plane sectarum nusquam non exorientium monstris sursum ac deorsum misceri omnia veramque religionem tantum non interire videmus, loca interim aliqua suis delegerit, ad quae sese, velut e naufragio quodam, recipere atque in verae Christi Domini doctrinae ac fidei confessione mutuo sese colligere rursus possint. Nimirum re ipsa experiuntur, Dominum adeo nunquam deesse suis, etiamsi res ipsorum deploratissimae esse videantur, ut ne ipsae quidem inferorum portae eis nocere quoquomodo, adeoque et vel unum aliquem capillum capiti ipsorum detrahere omnino queant, praeterquam si quid in illos Dominus ad nominis sancti sui gloriam permittere forte velit. Huius porro tanti Divini beneficii magnitudinem non leviter sane id nobis etiam commendat, quod tam multa tamque praeclara hospitia dissipatis ita Ecclesiis patere videmus. Et ut de aliis taceamus, equidem, si Regni huius florentissimi situm, felicitatem omnisque generis commoda spectemus, non possumus proculdubio non agnoscere magnam in hoc benignitatem Dei, quod illud in profligatae iam alibi Ecclesiae suae receptaculum (A i^b) mirabiliter deputarit, in quo alioqui non libertas modo permittitur verae Catholicae

atque Apostolicae confessioni — summo quod tamen loco merito est habendum — sed et honor magnus illi apud omnes, et praemia insuper honorificentissima publice constituta habentur. Et sit hoc quidem Regia tua prudentissimique Senatus tui munificentia, sed interim non sine peculiari Dei ipsius providentia, qui suos semper Cyros et Darios excitat, ut pressam captivitate Babylonica Dei Ecclesiam provehant tueantur ac colant. Excitat subinde et Iosias suos, qui legi Divinae suae fere abolitae dignitatem rursus autoritatemque suam in suo populo restituant collapsamque omnem religionem instaurent. Ita sane et te nunc singulari beneficio suo ad iuvandam suam Ecclesiam excitasse videtur Deus Optimus Maximus, Serenissime Rex! in hac ipsius afflictione, ut in profligatis alibi membris suis suum apud te domicilium habeat tuisque auspiciis foveatur ac sustentetur. Imo vero, dum teneram adhuc istam aetatem tuam et tot in illa interim tantaque Dei dona intuemur, quanta sine maxima omnium admiratione reputari haudquaquam possunt: dum item perpendimus, quam admirabili consilio Deus doctrinam sui Euangelii sub puerili (A ii[a]) hac aetate tua provehere hic stabilireque voluerit: postremo dum cogitamus, quantis periculis, a Satana proculdubio Christi eiusque doctrinae odio in te et tuos concitatis, Deus te hactenus mirabiliter exemerit, — haec sane Dei admiranda circa te opera eiusmodi esse videmus, ut non immerito nobis, una cum Ioannis Baptistae admiratoribus illis, dicere posse existimemus: Quisnam Rex erit puer iste, teque non altorem solum Christi Ecclesiae in Regno hoc tuo florentissimo, sed certissimum alibi etiam illius propagatorem, modo nobis forte adhuc incognito, atque oppressae iam magna ex parte per Antichristi tyrannidem verae religionis instauratorem rursus fore, persuasissimum nobis habeamus. Quid? quod eo iam spectare id propemodum videtur, quod non tuae modo gentis in observanda vera religione, sed omnium etiam peregrinorum undecunque huc confluentium curam tibi habendam esse statuisti, ne quo modo videlicet fiat, ut doctrinae Euangelicae puritas per sectarum, nusquam non irrepentium, contagionem labefactetur. Nimirum, conservata hic tuis auspiciis inter peregrinos doctrinae et institutionum Christi puritate, (A ii[b]) plurimum sane commodabit semper ad restituendam veram religionem iis locis, in quibus nunc Ecclesias dissipari piosque omnes affligi et sacra omnia Antichristiana idololatria profanari videmus.

Agnoscimus igitur immensam Dei in hisce illius circa te operibus, Serenissime Rex! bonitatem ac misericordiam tibique illorum nomine et toti adeo Christi Ecclesiae summopere gratulamur, et plane id debiti officiique nostri esse fatemur, ut nostram erga Deum pro tanto

beneficio gratitudinem luculento aliquo resipiscentiae nostrae testimonio, erga te vero omni nostra fide subiectione atque observantia contestemur.

Porro nullum abs te melius, nullum utilius, denique nullum magis Christianum consilium iniri potuit, cum ad haereses sectasve omnes a Regno tuo arcendas, tum ad retinendam latiusque demum etiam propagandam verae religionis sanaeque doctrinae puritatem, quam quod eam peregrinorum hic omnium curam susceperis, ut illis peculiarem ipsorum Ecclesiam iuxta doctrinam et obser-(A iii[a])vationem Apostolicam institueris. Quid enim dissidiorum in doctrina, quid item praeiudiciorum metuendum sit, ubi in sancto Ecclesiae coetu Prophetarum omnium spiritus Prophetis ipsis, ex verbo Dei prophetantibus, subiectos esse oporteat? Rursum quid est ad inquirendam retinendamque de omnibus controversiis veritatem commodius, quid ad mutuum animorum consensum apud omnes retinendum utilius, denique quid ad studia omnium, ad pietatem rerumque Divinarum cognitionem excitandam efficacius, quam ut, quod unus forte atque alter in medio aliorum Prophetarum ipsiusque adeo Ecclesiae coetu protulit, id alii legitimo ordine observatisque Ecclesiasticis admonitionum gradibus in charitate libertateque Christiana diiudicent ex verbo Dei, atque ad dicendum inferiores etiam placide et suo ordine invitent, ubi primi ac secundi ea quae habebant prius exposuerunt? Equidem ad hunc modum sectas omnes vetus repressit Ecclesia oraque adversariorum omnium facile semper ex verbo Dei obturavit. Et nunc igitur non alia ratione facilius, tam sectae omnes arceri a Regno hoc, quarum alioqui maximam partem peregre huc confluere certum est, quam ora etiam (A iii[b]) omnium adversariorum obstrui poterunt, quam si nostra haec, hoc est, Peregrinorum, per te pridem instituta Ecclesia legitimos suos progressus habeat, tuisque auspiciis iuxta doctrinam et observationem Apostolicam per nostrum ministerium gubernetur. Quid enim sectae faciant, ubi Prophetarum spiritus aliis eadem in Ecclesia Prophetis subiecti sunt? Aut quid dicant item adversarii omnes, si palam fiat omnibus, neminem omnino ex peregrinis omnibus in nostram recipi Ecclesiam, qui Catholicae et Apostolicae de Christo Domino confessioni publice in coetu Ecclesiae subscribere detrectent, confessioni, inquam, illi, cui soli Christus Dominus Ecclesiam suam totam superstruendam esse testatur?

Hic vero nos etiam, quibus gubernandae huius Ecclesiae cura per tuam Maiestatem concredita est, dabimus operam per Dei gratiam, ne nostro officio deesse quoquomodo videamur, et, ut nostri iam hac in parte studii specimen aliquod tuae Maiestati piisque omnibus ederemus, Compendium Doctrinae nostrae, qua confessio Apostolica explicatur,

edere ante omnia voluimus, breve quidem illud, sed quod praecipua interim salutis nostrae capita complectitur omnia, ut omnes intelligant non aliam ullam a nobis Eccle-(A iiiª)siam colligi tuae Maiestatis beneficio, quam quae Catholicam illam Apostolorum omnium fidem, ore Petri prolatam, publice profiteatur, cuius nos solius etiam ministros esse in eadem ipsa nostra Ecclesia testamur, et ad eam referri oportere putamus omnia, quaecunque in Ecclesia doceri agi institüique debent. Ita demum enim palam fiet omnibus, ac ne ipsi quidem adversarii negare ullo modo poterunt, veram proculdubio Christi Ecclesiam hic per nos tua autoritate institui, ubi illam non alia ulla, quam sola illa fidei doctrina et professione publica colligi sustineri et gubernari constet, quam ipsemet Christus Dominus unicam totius suae Ecclesiae sedem perpetuo fore promittit. Hoc igitur confessionis Apostolicae compendium summa cum observantia offerimus tuae Maiestatis Regiae, ut nostram erga te Ecclesiamque nostram fidem studium atque observantiam testemur, simulque et calumniis aemulorum nostrorum occurramus, si qui forte nostra apud te, clarissimumque Senatum tuum, aut alibi ubivis, invidia, ut sit, aut suspicionibus gravare quovis modo velint. Et tuam Maiestatem oramus, ut gregem Christi, quem ille aliunde propulsum in Regno tuo colligere nunc videtur, ipsumque adeo Christum in afflic-(A iiiᵇ) tis, ut nunquam antea, membris suis malevolarum hominum calumniis gravare apud te ne patiaris, sed memineris, te in regni hic tui solio altorem Ecclesiae ipsius esse, ut illam alas provehas ac defendas, — memineris Christum ipsummet in membris suis nunc algere, esurire et sitire, beatosque fore illos, qui ipsum nunc vestiunt, pascunt ac fovent. Non potest ille quidem hic non perpetuo esse ἀντιλεγόμενος. Venit enim ut excitet invisum mundo incendium, venit ut eos qui vident excaecet et nonnisi coecos illuminet. Atque ita cum se nemo coecitatis damnari in rationis nostrae iudicio, multo minus vero excoecari aequo animo ferat, nihil mirum si illum oderunt omnes doctrinamque ac ministerium eius in varias easque gravissimas suspiciones rapere semper conantur. Sed ille beatos fore praedicat, quos crux, inopia abiectioque eius non offendit. Durum est item mundo, ut talem incendiarium orbis totius talemque humanae sapientiae excoecatorem super se regnare patiatur. Atque hic alii, Herodis et suorum exemplo, magnum politicae gubernationi a Christo periculum imminere clamant, si doctrina ac ministerium ipsius in Ecclesia plene obtineri retinerique debent, etiamsi Regnum Christi cum poli-(A vª)tica reipublicae gubernatione nihil propemodum commune habere non ignorent. Alii vero illum legis violatorem avitaeque patrum nostrorum religionis contemptorem, prophanatorem et novatorem in doc-

trina ministerioque suo faciunt, etiamsi ipse legem non equidem violari a se doctrinaque ac ministerio suo, sed compleri potius ac stabiliri, verumque Dei cultum illustrari potius quam profanari testetur. Neque desunt, qui nobis Iudaicam illud rursum occinant: Si permiserimus eum sic, venient Romani etc. Breviter, nihil non praetexitur, nihil non urgetur ab iis ad traducendam Christi doctrinam eiusque ministerium in Ecclesia ipsius, qui illum super se regnare nolunt. Sed finem talium omnium prorsus horribilem ad extremum fore audimus, nempe ut, praeterquam quod sint excoecandi in hac vita, adducantur demum etiam ut hostes atque adversarii, inque conspectu ipsius, quem super se regnare noluerunt, omnes ad unum tandem occidantur. Hic sane exitus manet omnes, qui Christum Dominum in doctrina ministerioque ipsius super se regnare nolunt, cuius si nostris hisce temporibus omnes ut debemus memores vere es-(A v^b) semus, non facile proculdubio voces talium hominum admitteremus, ne dicam ipsimet imitaremur.

Ac tuae quidem Maiestatis pietatem ab istiusmodi vocibus et consiliis abhorrere, Dei beneficio, res ipsa testatur, quo quidem nomine Deo Optimo Maximo gratias agimus immortales. Nimirum intelligis, te Regni Christi in tuo solio praecellentem administrum esse, ut illud in promovenda tuendaque Doctrinae et institutionum ipsius puritate pro tua autoritate illustres, non autem humanis quibuscunque traditionibus remoreris aut obscures. Tamen cum nunquam magis furiat Satan, quam dum Regnum Christi illustrari, suum vero aboleri sentit, nostrum est votis assiduis Divinam gratiam implorare, ut dona haec, quae tot et tanta in tuam Maiestatem contulit, augere indies magis ac magis illustriaque reddere ac coronare demum etiam dignetur. Nostrum est item tuam quoque Maiestatem reverenter pro eo ac debemus admonere, ut tibi ab istiusmodi Herodianorum, Pharisaeorum ac principum Sacerdotum vocibus diligenter caveas, in promptuque habeas, quod illis ex verbo Dei respondere possis. Si qui Regno tuo a Christi Regno periculum ullum im-(A vi^a) minere putant, responde, te magis illi fidere, cuius te in tuo solio administrum esse intelligis, quam ut ab illo tibi, si tuum praestes officium, metuere quoquomodo debeas. Adde praeterea, eos demum plerunque Regnis suis excidere, qui sua prudentia adversus Christum regna sua eum Herode communire conantur. Deinde si legem Dei alii patriosque ritus in religione per Doctrinam Euangelii Christi violari omniaque novari dicunt, responde, Dei legem a Christo stabiliri, non aboleri, illum esse veritatem, hominum vero traditiones omnes, extra verbum Dei institutas, mendacia, quibuscunque tandem titulis ornentur. Aequum igitur esse, ut mendacia, extra verbum Dei invecta, cedant

veritati, cuius tibi potissimum, non autem mendaciorum, in tua excellenti ista vocatione cura ac custodia concredita esset. Postremo si tibi occini audias: Venient Romani, responde cum Davide: Dominus lux mea in periculis omnibus. Dominus salus mea, Dominus robur regni soliique mei, a quo expavescerunt. Hisce verbi divini arietibus propellendae tibi sunt voces talium, Rex Serenissime! expectandum ab alto auxilium, quod tibi proculdubio non est defuturum, si qua coepisti perrexeris.

Deus Optimus Maximus, Regnorum (A vi[b]) omnium largitor gubernator ac defensor, addat tuae Maiestati Spiritum Sanctum suum, qui te nobis servet, tuaque consilia omnia dirigat gubernet et fortunet ad illustrandum Regnum Filii sui dilecti Domini et Servatoris nostri Christi Iesu, ad tuam ipsius denique salutem et Regni tui tranquillitatem. Amen.

Vestrae Maiestatis fideles atque obsequentes subditi,
Ioannes à Lasco,
Superintendens,
reliquique ministri Ecclesiae Peregrinorum
Londini institutae.

[Titulus editionis belgicae anni 1565.

EEN KORT BEGRIJP

der leeringhe van de warachtige
ende eenighe Ghemeynte Gods
ende Christi/ ende van haer
gheloone ende oprechti-
ghe belijdinghe.

(in medio titulo insculptum est stemma inclytae Gellii Ctematii officinae
cum hac inscriptione marginali:)

HET . RIKE . DER . HEMELEN . IS . ALS . EEN . VERBORGEN.
SCHAT . IN . DEN . ACKER. Math. 13.

Roman. 10. b. 10.

Metter herten geloofmen ter gerech-
ticheyt/ ende metter monde doet-
men belijdinge ter salicheyt.]

[Ghedruckt te Embden, by Gellium
Ctematium. Anno. 1565.]

SUMMA DOCTRINAE CHRISTIANAE

IN ECCLESIA CHRISTI.

IN tradendo doctrinae compendio de vera Dei et Christi Ecclesia ante omnia vox ipsa Ecclesiae explicanda est, ut omnes intelligant, quaenam sit ea Ecclesia, quam nos colligamus et cuius nos ministros esse profitemur. Deduciturque vox Ecclesiae ab *evocando*, quod Deus evocet ex universa hominum toto terrarum orbe multitudine suos quosdam una cum ipsorum semine in coetum suum peculiarem, qui sit ipsius populus, et cuius ipse sit Deus vicissim. Nam apud Graecos ἐκκαλέω idem est quod *evoco*, unde demum Ecclesiae nomen deductum habemus.

Est igitur Ecclesia coetus eorum qui voce Dei ex universa toto orbe hominum multitudine in populum illi peculiarem evocantur. (2)

Quia vero nomen hoc Ecclesiae ad se omnes trahere sibique usurpare conantur, dum suum quisque coetum veram Ecclesiam esse contendit, et hanc interim unam duntaxat esse oporteat, — haec sane una vera Dei Ecclesia ab omnibus aliis est diligenter discernenda, ne ementito Ecclesiae titulo, quem omnes hodie praetendunt, fallamur.

Sunt igitur quatuor observanda in vera Dei Ecclesia ab aliis omnibus Ecclesiis dignoscenda.

Esai. 41 et 55. Ose. 2. 1. Primum, ut non sane humana ulla, sed ipsius Dei voce atque autoritate, evocetur et colligatur.

2. Deinde, cum nemo non Deum ipsum autorem doctrinae suae facere conetur, cavendum erit, ne vocem Dei aliunde, quam ex eorum duntaxat ore audiamus et quaeramus, per quos illam

Een kort begrijp der leeringhe van de warachtighe ende eenighe Ghemeynte Gods ende Christi, ende van haer gheloone ende oprechtighe belijdinghe.

OM int korte te verunten de leere van de warachtighe Kercke ofte Ghemeynte Gods eñ Christi, so moet voor al dit woordt, Kercke of Ghemeynte, wtgheleyt wesen: op dat eenen yegheliicken bekent zy, wat het voor een Ghemeynte zy, die de warachtighe Dienaers des Woorts, in deser Wereldt vergaderen, eñ der, welcker sy haer Dienaers belijden te zijn: ende dit Griecx woordt Ecclesia, (dwelck wy Kercke of Ghemeynte noemen,) heeft synen name van wtroepẽ, om dat God wt alle menschẽ, die de gãtsche Werelt ouer verstroyt zijn, de syne met haren zade in eenen eyghenen hoop roept: de welcke zijn Volck zy, ende der welcker hy oock God zy. (2[a])

Daerom de Kercke of Ghemeynte Gods, is de vergaderinghe der gener, die wt de gantsche menichte aller menschẽ, door de stemme Gods, hem tot een eyghen Volck geroepen wert.

Maer ouermidts dat alle menschen hen onderstaen, desen name der Kercken tot haer te trecken: als een yeghelick zijn Vergaderinghe houdt voor de warachtighe Kercke te wesen, daer die nochtãs maer een mach wesen: Dese eenige warachtige Ghemeynte Gods, moet van allen anderen neerstelick onderscheyden wesen: op dat wy door eenen versierden Titel der Kerckẽ, (den welckẽ alle menschen hedẽsdaechs voorwenden) niet bedroghen worden.

Vier dinghen moetmen dan aenmercken, om de warachtighe Ghemeynte Gods van andere Gemeynten ende Vergaderinghen te onderscheyden.

Ten eersten, datse niet door eenigher menschen stemme, maer door de stemme ende Autoriteyt Gods, wtgeroepen ende vergadert zy. Esa. 42. b. 10, 11. 55. a. 1. Osee. 2. b. 17. 18.

Voorts, aenghesien dat alle menschen hen onderstaen, God tot een Autheur eñ Instelder harer leeringhe (2[b]) te maken, so moeten wy wel toesien, dat wy de stemme Gods van niemãt anders

Matt. 1. 2. Lucae 1. 2. Ps. 102. Heb. 1. Deus ad nos deferri voluit. Hos vero nobis Spiritus commonstrat, nempe Angelos, Prophetas et Christum.

2 Cor. 2. 3. Tertio, cum et angelos impostores, qui se in lucis angelos transformant, et pseudoprophetas item multos habeamus, observanda erit diligenter haec trium istorum coniunxio, nempe Angelorum, Prophetarum et Christi, ut eam demum veram Dei vocem duntaxat esse credamus, quae Christi Doc-(3)trinae consentanea sit. Huic enim et Angeli et Prophetae omnes testimonium perhibent, quemadmodum Petrus docet, atque in ipso reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. In ipso est omnis plenitudo, ex qua et Angeli et Prophetae veri sua omnia desumpseruut. Quare qui suae ipsorum doctrinae Angelorum Prophetarumve autoritatem quoquomodo praetexunt, ad Christi Doctrinam revocandi snut ne aut impostorum Angelorum fuco ac superstitione, aut pseudoprophetarum hypocrisi decipiamur. Luc. 1. Act. 3. 10. Coloss. 2. Colo. 1. 2. Ioan. 1.

Luc. 1. Ioan. 13. Matt. 10. Ioan. 17. 4. Quarto, cum Christus ipsemet doceat, se in Apostolis suis audiri, Spiritum item Sanctum esse ipsum, qui per illos loquutus sit, denique et pro iis tantum oret, qui per eorum doctrinam in ipsum credituri essent, cavendum est omnino ne vocem Dei ex aliorum quorumcunque tandem praeterquam ex Apostolorum et, qui illis familiares fuerunt, Euangelistarum ore, audiamus aut requiramus.

Haecque erit vera illa Dei Ecclesia, quam voce Dei per Angelos, Prophetas et Christum Dominum, tanquam priorum omnium gubernatorem, eiusque Apostolos, in unum coetum ac populum ipsi peculiarem evocatos esse constat.

Huius porro Ecclesiae tres notas Spiritus Sanctus nobis (4) indicavit, quibus ab aliis simulatis Ecclesiis discerni facile possit: vetustatem illins cum perpetua duratione, fidem eius praeterea, et publicam professionem.

Vetustas Ecclesiae. Vetustatem Ecclesiae Dei vere cognoscimus in primi parentis nostrae Adae, post lapsum ipsius, vocatione, cum illum Deus

hooren noch en soeken, dan alleenlick wt den mondt van de ghene, door de welcke God die tot ons heeft laten brenghen. Ende die selue toont ons de Heylighe Gheest: te weten, de Engelen, de Propheten, ende Christum.

Mat. 1. c. 21. ende 2. b. 13. Luc. 1. d. 31 eñ 2. b. 17. 19. Psalm 102.

Ten derden, gemerckt dat wy hedensdaechs bedriegende † Enghelen die haer in Enghelen des lichts veranderen, ende oock vele valsche Propheten hebben: so moeten wy neerstelick waernemen de tsamenuoeginghe deser drijen: te weten, der Enghelen, der Propheten, ende Christi: Op dat wy dat alleenlick ghelooven de warachtige stemme Gods te wesen, die met der leeringhe Christi ouereenkoemt: Want hem de Enghelen ende ° alle de Propheten getuygenisse geven, als Petrus is leerende. Ende in hem verborghen sijn alle schatten der wijsheydt ende wetenheydt Gods. In hem is alle volheydt: wt welcker alle Enghelen ende warachtige Propheten † al het haer ghenomen hebben. Hieromme, die haer eygen leeringe, door de autoriteyt der Engelen of (3a) Propheten, eenichsins voorhouden, moetmen tot der leeringhe Christi brenghen: op dat wy door der bedrieghelicker Enghelen valscheydt eñ superstitien, of door der valscher Propheten gheueynstheyt, niet bedroghen en worden.

Heb. 1. a. 1. 3. 2 Cor. 11. b. 14. 2 Petri 2. a. 1. Luc. 1. b. 11. Act. 3. b. 18. ende 10 c. 43. Gen. 3. b. 15. Coloss. 2. a. 9. Joan. 1. b. 14. Coloss. 1. b. 19. ende 2. a. 9. † 1 Pet. 1. b. 10.

De Apostolen.

Ten vierden, na dat Christus selue leert, dat hy in synen Apostelen gehoort wert. Oock dat het de heylighe Gheest selue is, die door haer gesproken heeft: ende oock alleenlick † voor dien bidt, die door haer leeringhe in hem gelooven sonden: so moeten wy wel toesien, dat wy de stemme Gods wt niemant anders, geensins en hooren noch eyschen, wie sy oock sijn, dan wt den mondt der Apostelen, ende der Euangelisten, die met haer gemeynsaem waren.

Joan. 13. c. 20. Mat. 10. b. 14. c. 20. † Joã. 17. c. 20.

Ende dit is de warachtighe Kercke of Ghemeynte Gods, de welcke wtgeroepen is by de stemme Gods, door de Enghelen, de Propheten, ende Christum dẽ Heere, als der eerster aller Regeerder, ende syne Apostelen, in een Vergaderinge ende Volck, dat hem eyghen is.

De Teeckenẽ der Kercken.

Ende de Heylige Geest heeft ons betoont dry Teeckenẽ deser Kercken (3b) oft Ghemeynten: by de welcke sy van andere geueynsde Ghemeynten lichtelick onderkent mach wesen.

Ten eersten, haer onderdom, met een eewighe gheduericheyt. Voorts, haer Gheloove. Ende ten derden, de openbaer belijdinghe.

Het ouderdõ der Kercken.

Het ouderdom der warachtigher Ghemeynten Gods, bekennen wy inden roep ons eerste vaders Adam, na synen val: als hem

Gen. 3. a. 9.

voce sua ad se revocavit, data illi promissione seminis, cuius vi
Gen. 3. Roma. 5. ac merito ipse cum suo semine esset futurus populus Dei, et, quanquam morti per peccatum cum semine suo subiectus esset, Deum tamen sibi iam et semini suo propitium propter promissum illud semen haberet, praeterquam si tantum beneficium,
Hebr. 6. 10. destinato rebellique contemptu suo rursum, aut ipsemet, aut aliquis e suo semine a sese propulisset. In Ada igitur ipso et Heva, voce Dei vocatis, coepit vera illa Dei Ecclesia, dum promissioni Divinae de futuro salutari semine credidissent. Estque demum ab Ada ipso ad Mosi usque tempora perpetuata sine
Gen. 5. ulla interruptione. Nimirum ante mortem Adae fuit Mathusalem. Rursum ante huius mortem fuit Noah, qui Sem filio suo Eccle-
Gen. 11. siae doctrinam fidem ac curam reliquit. Is vero Abrahae tempora attigit, adeoque (5) non ante Iacob tempora e vivis exces-
Gen. 46. Para. 6. Exod. 6. sit. Porro cum Iacob in Aegyptum descendit Kahad filius Levi, qui postea Amram patrem Mosi genuit. Per Mosem autem data
Exod. 20. lex ad Christum usque cum suis ceremoniis duravit. Et Christi Domini administratio per Apostolos demum observata nondum
Duratio Ecclesiae. cessavit, neque cessare potest, sed est duratura in aeternum, quatenus equidem Regnum Christi est regnum omnium seculorum,
Esa. 9. Dan. 7. Luce. 1. neque ullis unquam temporum finibus includi potest. Neque est alia nunc Christi Domini Ecclesia, quam olim sub Patriarchis et Mose erat, etiamsi cultus Divini symbola atque elementa mu-
Una Ecclesia. tata nunc per Christum habeamus. Postrema enim cultus Divini pars sunt illius symbola et elementa, tantum abest ut propter eorum mutationem, a Christo praesertim institutam, aliquam Ecclesiarum diversitatem imaginemur.

Doctrina et fides mutata mutat Ecclesiam, quae cum nulla ex parte mutata sit prorsus, sed illustrata potius, per eorum
Col. 2. omnium exhibitionem in Christo, quae olim in promissionibus tradita expectabantur, expectationisque huius suae typica sua symbola atque elementa habebant, ita illorum mutatio, quae rem
Ioan. 1. Heb. 7. futuram adumbrabant, posteaquam res ipsa ac veritas in Christo exhibita esset, non fecit cessare veterem Eccle-(6)siam, sed
1 Cor. 10. eandem doctrinam ac fidem inductis rei iam exhibitae, quae antea expectabatur, symbolis atque elementis, illustravit.

God met zijn stemme weder tot hem gheroepen heeft, hem ghegeuende de beloftenisse des zaedts, door welcker kracht ende verdienste, hy met synen zade het Volck Gods wesen soude. Ende hoewel hy met synen zade door de sonde, der doodt onderworpen was, dat hy nochtans God met synen zade, (om dat beloefde zaedts wille,) ghenadich hebbē soude: ten waer dat hy selue die groote weldaet, met een opgesette eñ wederspānige verachtinge, of yemāt wt synē zade, van hem verwierpe. In Adā dan eñ Eue, door de stēme Gods geroepē, heeft de warachtige Kerke of Gemeynte begonnē, als sy de godlicke belofte, vandē toekomenden salichmakendē zade, geloofft hebbē. Eñ sy is vā Adam selue, tottē tijdē Mose (4[a]) onderhouden geweest, sonder eenige tusschenbrekinge. Want voor de doot Ade so was Mathusalah, de welcke ten tijden Noah leefde, die synen sone Sem de leeringhe, tgheloone, ende de sorghe der Kercken heeft achtergelaten. Ende dese heeft tot Abrahams tijden gheleeft, ende is oock niet ghestoruen voor Jacobs tijden. Nu met Jacob is Kahad de sone Leui in Egypten ghetoghen: De welcke namaels Amram den Vader Mose baerde. Eñ de Wet door Mosen gegeuen, is met haer Ceremonien tot de tijden Christi gheduerich ghebleuē. Eñ de bedieninge Christi des Heeren, hy den Apostelen onderhouden, heeft noch niet opgehouden, noch oock ophouden en mach, maer sal geduerich blijuen inder eewicheydt: overmidts dat het Rijcke Christi, een Rijcke aller tijden zy, ende kan niet besloten worden met eenighe eynden der tijden. Ende de Kercke Christi is nu gheen ander, dan sy in voorleden tijden onder de Patriarchē ende Mose was, hoewel wy nu de Teeckenen ende Elementen des Godlickē Dienīts door Christum, verandert hebben: Want het minste deel des Godlicken Dienſts, zijn de (4[b]) Teeckenen ende Elementen: by den welcken wy niet en behooren te dencken eenige verscheydenheyt der Kercken, om harer veranderinghe wille, van Christo selve gedaē eñ ingestelt.

Rom. 5. a. 10. b. 14. 15. Heb. 6. a. 5. 6 ende 10. c. 36.

De gheduericheydt der Kercken. Gen. 5. c. 25. 29. Gen. 11. b. 10. Gen. 46. b. 11. c. 26. 1. Par. 6. a. 1. Exod. 6. b. 19. Exod. 20. a. 3. Deut. 5. b. 16.

Esaie. 9. a. 6. Dan. 2. c. 44 ende 7. b. 14. Luc. 1. d. 33. Joan. 12. d. 34. Een Kercke.

De veranderinghe der leeringhen ende des geloofs verandert de Kercke: de welcke in gheenderleye wijse verādert zijn, maer selfs verlicht door der seluer allér gheuinge in Christo, die in voortijdē door beloftenissen gegeuen, verwacht waren; ende hadden haer Figuerlicke Teeckenen eñ Elementen deser verwachtinghe: So dat de veranderinge der dingen, die daer tghene dat toekomende was, bedieden, (na dat de waerheydt in Christo ghegheuen ende ghewracht is gheweest,) die ander Kercke geen eynde heeft doen nemen: maer heeft verlicht deselue leeringhe

Col. 2. b. 11.

Jo. 1. b. 17. Heb. 7.

Una est igitur atque eadem semper Dei Ecclesia, et quae Christum futurum adhuc expectabat expectationemque hanc suam contestabatur typicis suis symbolis atque elementis, et quae iam Christum sibi exhibitum esse re vera credit, fidemque hanc suam, rei exhibitae symbolis atque elementis contestatur et exercet. Quare longe absunt ab hac vera atque una Dei Ecclesia, qui suarum Ecclesiarum nescio quam diversorum temporum originem atque progressum imaginantur, adeoque et scindunt unitatem hanc aeternam verae atque individuae Ecclesiae Christi.

Sectae.

Hic ruit malignans Turcarum Ecclesia, quae suam originem ad Mahumetem refert 600 post Christum annis.

Nec Papae Ecclesia consistere potest, cuius initium longe post Christum coepit.

Nec Anabaptistarum, quae ad hue est recentior in sua separatione.

Nec Davidis, quae in postremis temporibus originem suam ponit.

Fides Ecclesiae. Fidem vero Ecclesiae Christi cognoscimus ex publica eius doctrinae professione, quam Petrus omnium Apostolorum totiusque adeo Ecclesiae nomine, protulit, quauque Christus ipsemet (7) Ecclesiae suae sedem esse diserte testatur. Nempe, eum qui ex Maria matre conceptus et natus est, esse vere Iesum, esse item Christum illum, Angelicis et Propheticis vaticiniis promissum, qui erat futurus exspectatio gentium, et esse vere filium Dei vivi. Quicunque coetus igitur voce Dei ad unam illam aeternamque Ecclesiam per doctrinam Apostolorum, in eodem ipso Christo Domino evocatus, id vero credit et profitetur, is coetus proculdubio est una cum suo semine Ecclesia Dei, et omnes in eo coetu sunt membra Ecclesiae Dei. Ac rursum ubi, eius doctrinae neque fides, neque professio vero habetur, ibi sane nulla est Dei Ecclesia, utcunque tandem ementitus illius titulus ab omnibus iactetur.

Matt. 16.

Gen. 49.

Quia vero non desunt, qui hanc ipsam Ecclesiasticae confes-

ende ghelooue, inbrengende Teeckenen ende Elementen des dincks, dat nu gegenen, ende te voren verwacht was. 1 Cor. 10. a. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

So ist dan altijdt een, ende de selue Ghemeynte Gods, de gene die Christum noch toekomende verwachtte, ende dese haer verwachtinge met Figuerlicke Teeckenen ende Elementē betuychde. Eñ oock die daer nu wa-(5ª)rachtelick gelooft, dat Christus haer nu gegeuen is, ende dit haer geloue betuycht eñ oeffent, met Teeckenen eñ Elementen des dincx, dat nu ghewracht is. Hieromme so zijnse verre van deser warachtigher Ghemeynte Gods, die haer versieren een ander beghinsel eñ voortganck harer Kercken, van diueerschen tijden, eñ aldus scheuren dese eewighe eenicheydt der warachtigher ende onscheydelicker Kercken Christi. De Ketterijen.

Hier valt de Turcsche Kerck, die haren oorspronck heeft wt Mahomet, meer dan ses hondert Jaren na de doodt Christi. Desghelijcks des Paus Kercke kan niet staende blijuē, die langhen tijt na Christum begonnen heeft. Noch oock de Wederdoopers Kercke, die noch iongher is in haer afscheyden. Noch Dauid Joris Kercke, die in dese laetste tijden eerst begonnen heeft.

Het geloone der Gemeynten Christi dan, bekennen wy wt de openbaer belijdinghe syner leeringhe: de welcke Petrus wt den name van allē Apostelen, ende oock der gantscher Ghemeynten ghedaen heeft: eñ de welcke Christus selue klaerlick betuycht den (5ᵇ) grondt syner Kercken te wesen: Namelick, dat de gene die wt de moeder Maria ontfangen ende geboren is, de warachtige Salichmaker zy: ooc dat hy is de Ghesalfde, die door de prophecien der Enghelen ende der Propheten, beloeft was: die daer was de verwachtinghe der Heydenen: ende dat hy warachtelick is des leuendigē Gods Sone. Het geloone der Kercken. Mat. 16. b. 16. Gen. 49. b. 10.

So wat Vergaderinghe dan, dat door de stemme Gods wtgeroepen, tot die eenighe ende eewighe Kercke, door de leeringe der Apostelen, in den seluen Christo den Heere, dit warachtelick ghelooft ende belijdt: dese Vergaderinge met haren zade, is ontwijuelick de Ghemeynte Gods. Eñ alle die in de selue Vergaderinge zijn, zijn leden der Kercken ofte Ghemeynten Gods. Oock wederomme, daer deser leeringhen gheen ghelooue noch warachtige belijdinge is: daer en is voorwaer gheen Kercke Gods: hoewel nochtās haer alle meneschē beroemē, van haren versierdē naem ende titel.

Maer ouermidts datter daer vele zijn, die dese belijdinghe des

sionem fidei varie depravare conantur, addenda est vera illius explicatio, quam ab ipso Spiritu Sancto in Euangelicis atque Apostolicis literis proditam habemus, suntque tres fidei istius Ecclesiasticae partes: prima in nominis Iesu: altera in Christi: tertia in Filii Dei vivi consideratione.

Iesu nomen. Nomine Iesu docemur, eum esse verum ac naturalem filium Mariae, quem ipsa iuxta naturae legem in carne nostra concepit et peperit, praeterquam quod eum virgo purissima sine ullo viri contactu, Divina id virtute praeter naturae leges operante, concepit. Hanc enim exceptionem ita concipiendi Christi Spi-
Luce. 1. ritus Sanctus nobis manifestat in verbis Angeli ad Mariam prolatis, dum ait: Ecce, concipies et paries filium et vocabis nomen eius Iesum etc. Spiritus Sanctus superveniet in te et vir-
Matt. 1. tus Altissimi adumbrabit tibi. Atque alibi rursum: Quod in illa genitum est ex Spiritu Sancto est. Nimirum Spiritus Sanctus efficit Divina virtute sua, ut sanguis matris virginis in ipsius utero virgineo in corpus Christi nostrae carnis coalesceret, praeter naturam, ut, cum nos cum carne et sanguine communionem
Heb. 2. haberemus, ipse etiam eidem ipsi, nostrae videlicet carni nostroque sanguini, participaret.

Non recte igitur de Iesu vera ac naturalis matris officio, sed sine ullius viri contactu, functam esse, Iesumque carnis suae originem ex illa, ut frater noster esset morique posset, sump-
Luce. 1. sisse negant, contra manifestam et Angeli et Pauli Apostoli
Heb. 2. doctrinam.

Docemur item eodem Iesu nomine, eum ipsum, qui ad (9) eum modum ex matre virgine virtute Divina conceptus et natus est, esse vere quod dicitur, nempe verum et plenisufficientem totius mundi servatorem, praeterquam si qui illum cum suo beneficio destinata prorsusque rebelli impietate sua voluntario con-
Matt. 1. temnant, atque a se ipsimet propellant. Hoc enim et Angeli
Acto. 1. et Prophetae et Apostoli omnes unanimiter testantur. Non vere
Esa. 53. igitur nomen Iesu in fide ista Ecclesiastica cognoscunt, qui alios

Christelicken gheloofs, in menigherley wijse hen onderstaē te corrumperen ende (6[a]) schenden: so moetē wy hier toe doen haer warachtighe wtlegghinghe: de welcke ons vanden Heyligen Gheest in de Euangelische ende Apostolische schriften voortgebracht zijn: Eñ dees geloofs zijn drye stucken: Dat eerste, in de aenmerckinghe des Naems Jesu: dat andere, in de aenmerckinghe Christi. Eñ dat derde, in de aenmerckinghe des leuendigen Gods Sone. De wtlegginghe des gheloofs.

In den Name Jesu werden wy geleert, dat hy warachtich ende natuerlick sone Marie is: de welcke sy, (na de ordene der natuerē,) in ons vleesch ontfanghen ende ghebaert heeft: wtgenomen datse hem suyuer Maeght, sonder eenich toedoen des mans, buyten natuerlick ghebruyck, door de werckinghe der kracht Gods ontfangen heeft. Ende dese wtneminge van sulcke ontfanginge Christi, opēbaert ons de Heylighe Gheest in de woorden des Engels tot Mariam gesproken, als hy seyt: Siet, ghy sult ontfanghen ende baren eenen Sone: eñ sult synen Name Jesus noemen, &cet. De Heylighe Gheest sal ouer u komen, ende de kracht des Allerhoochsten sal u ouerschaduwē. Ende wederomme op een ander plaetse: Dat in haer ghe-(6[b]) boren is, is wt den Heyligen Gheest. Want de Heylighe Gheest door zijn Godlicke kracht heeft ghedaen, dat het bloet der moeder ende maghet, in haren maeghdelicken buyck, buyten natuere, int lichaē Christi ons vleesch worden soude: op dat, na dat wy Gemeynschap hadden metten vleesche ende bloede, desgelijcx hy oock soude deelachtich wesen ons vleeschs ende bloedts. De Name Jesu. Luc. 1. d. 31. Luc. 1. d. 35. Mat. 1. c. 20. Sap. 7. a. 2. Joh. 10. b. 10. Hebr. 2. b. 14.

Sy gheuoelen dan niet recht van den Name Jesu: die daer loochenen, dat Maria so wel int ontfanghen als int baren Jesu, het Officie ende Ampt ghedaen heeft van een warachtighe eñ natuerlicke moeder, sonder nochtans eenighe aenroeringe des mans: Ende dat Jesus den oorspronck zijns vleeschs wt haer ghenomen heeft, op dat hy ons broeder soude wesen, ende steruen mochte: teghen de openbaer leeringhe des Enghels, ende Pauli des Apostels. Luc.1.d.32.33. Heb. 2. b. 14.

Wy werden oock gheleert inden seluen Name Jesu, dat deselue, die in deser wyse wt de moeder eñ Maeght door de kracht Gods, ontfangen ende gheboren is, inder waerheyt zy dat hy ghenoemt is, te weten, de warach-(7[a])tighe eñ volkomen Salichmaker der gantscher Werelt: (ten ware dat eenighe hem met syne weldaedt, door een opgesette ende gantsch wederspanige archeyt, willens versmaedde ende verwierpe:) want sulcks de Engelen, de Propheten, ende alle Apostelen eendrachtelick be- Heb. 6. a. 5. 6. ende 10. e. 26. Matt. 1. e. 29. Esaie. 53. Act. 10. e. 43.

quoscunque servatores salutisve suae patronos, extra hunc Iesum, Mariae virginis filium, aut penes illum etiam, constituunt aut expectant. Non est enim aliud nomen sub coelo, in quo nos
Acto. 4. servari oporteat.

Quo quidem nomine nos Papam Romanum, et iam etiam Davidem Georgium, omnesque praeterea operum ac meritorum Doctores accusamus, quasi unus ac solus Iesus, ille virginis Mariae filius, servandis nobis sufficere non possit.

Postremo, eodem nomine Iesu docemur, virginis hunc Mariae filium non tantum hominem esse, sed etiam Deum. Cum enim Iesu nomine testetur ipsum esse servatorem, et servator alius non sit neque esse possit nisi Deus solus, simul docemur hunc Iesum tam esse proculdubio Deum, quam est re vera servator mundi.

Christi Nomen. (10) Nomine vero Christi in confessione fidei Ecclesiasticae docemur, eundem ipsum Iesum complecti in se ea omnia, quae
1 Reg. 5. typicis in vetere Ecclesia unctionibus adumbrabantur. Unctio
2 Reg. 19. Levit. 8. porro olim ad reges praecipue, Prophetas et sacerdotes pertinebat, adumbrabatque haec omnia Christo propria fore, nempe ut Christus verus demum esset futurus Rex, Propheta ac Sacerdos in Ecclesia Dei.

Christi igitur nomine docemur, Dominum Iesum, Mariae illum matris virginis filium, esse verum Regem, Prophetam ac Sacerdotem Ecclesiae Dei. Quia vero multi nunc et Regnum et Prophetiam et Sacerdotium sibi arrogare conantur, explicanda est natura Regni, Prophetiae et Sacerdotii Christi. Suntque duae perpetuae ac communes notae Regni, Prophetiae, et Sacerdotii Christi, quae in neminem alterum cadere possunt, nempe quod summum, deinde quod aeternum sit, Regnum, Prophetia et Sacerdotium ipsius.

Christi Regnum. Luce 1. Mat. 4. Exod. 49. Eze. 47. Regnum Christi Iesu fatentur Angeli esse aeternum, dum nullum illius finem fore praedicant. Fatentur et summum, cum se ministros illius esse agnoscunt. Hoc ipsum vero testantur et Prophetae omnes, dum Regnum illius Regnum omnium seculorum esse Regesque alios omnes ministros illius fore docent.

tuyghen. Sy bekennen dan inder waerheydt niet den Name Jesu in dit gheloouе, die daer stellen of verwachten eenighe Verlossers of Patronen harer salicheydt, buyten of nenen desen Jesum, der Maget Marie Sone. Want daer † geenen anderen Name onder den Hemel is, inden welckē wy behouden meugen wesen. Act. 4. b. 12. ende 10. e. 43.

Ter deser oorsaken beschuldighen wy den Paus van Roomen: ende Dauid Joris: desghelijcks oock alle Leeraers der wercken ende verdiensten: als of de eene eñ eenige Jesus, der maget Marie Sone, niet genoechsaem en were, om ons allen salich te makē.

Ten laetsten, inden selue Name Jesu, werden wy geleert: dat dese Sone der Maghet, niet alleene mensche zy, maer oock God. Want aengesien dat de Name Jesu, hem betuycht Saliehmaker te wesen, ende daer gheen ander Salichmaker zy, noch wesen (7[b]) mach, dan God alleene: so werdē wy met eenen gheleert, dat hy ontwijfelick so wel God zy, als hy inder waerheydt salich is makende.

Ende by den Name Christi, in de bekentenisse des geloofs, werden wy gheleert, dat deselve Jesus in hem begrijpt, al het ghene, dat in de Oude Kercke, door de Figuerlicke saluinge bediedt was. De Saluinge in voortijden, diende meest tot den Koningen, tot den Propheten, ende Priesteren. Ende bediedde, dat alle dese dry, Christo eyghen souden wesen: nemeliek, dat Christus eyndelic warachtich Koninck, Propheet eñ Priester der Gemeynten Gods wesen sonde. Van dē Name Christi, oft Ghesalfden. 1 Reg. 1. d. 39. 2 Re. 19. b. 15. Leuit. 8. b. 12. Syr. 45. b. 18. Psal. 133. a. 2.

Onder dē Name Christi dan, werden wy gheleert, dat de Heere Jesus, Marie der maget Sone, een warachtich Koninck, Propheet eñ Priester der Gemeyntē Gods is. Eñ om dies wille datter daer nu vele zijn, die het Koninckrijck, Propheetschap eñ het Priesterdō hen onderstaē toe te schrijuē, so moet de nature des Rijcx, des Propheetschaps eñ des Priesterdōs Christi, wtgheleyt wesen. Ende daer zijn twee eeuwighe ende ghemeyn teeckenen des Rycks, des Propheet-(8[a])schaps, ende des Priesterdoms Christi, die niemendt anders, noch geenen enderen toebehooren en konnen. Te wetē, dat zijn Rijcke, Propheetschap, ende Priesterdom, het opperste zy, eñ oock dat het eewich zy.

De Enghelen belijden het Rijcke Christi Jesu eeuwich te wesen, als sy verkondighen, dat syner gheen eynde en is: ende belijdent het Allerhooehst te wesen, als sy haer bekennen zijn Dienaren te wesen: Datselue betuyghen elle Propheten, als sy leeren, zijn Rijcke een Rijcke aller Eeuwen te wesen: ende dat Luc. 1. d. 33. Mat. 4. b. 11. Luc. 22. c. 43. Esaie. 9. a. 6. ende 40. b. 11.

Roma. 13. Ephe. 1. Coloss. 2. Matt. 28.

Professio porro, quae in praestandis officiis consistit, privata quidem ad totam etiam Ecclesiam omniaque ac singula illius membra usum rationis habentia pertinet, perinde atque oris et ceremoniarum professio. Cum enim omnes, quicunque in Ecclesia sumus, unius nos corporis membra esse indubitato credamus, equidem intelligimus, fidem hanc nostram id flagitare, ut nobis invicem omnes etiam omni officiorum genere ne desimus. Neque enim potest membrum membro dicere, in uno praesertim (32) atque eodem, potissimum vero in Christi corpore:
1 Cor. 12. Non est mihi te opus, quemadmodum Paulus docet. Caeterum publica in praestandis officiis fidei professio in illis potissimum officiis consistit, quae aut publici Ecclesiae ministri plebi, aut plebs simul tota vicissim ministris publice praestare debet.

als de kinderen vanden Auontmael: of door de instellinghe der Ceremonien, als de vrouwen vander Besnijdenisse: of door de aenmerckinge der mysterien, als de Godloose, van dien wtgeslotē warē. Want gelijckerwijs een yeghelick schuldich is te belijden metten monde, (so verre als hy kan,) tghene dat hy metter herten gelooft, (20[a]) also oock, ghemerckt dat de Ceremonien van Christo dē Heere in zijn Gemeynte ingestelt zijn (als een sienlick woort,) wy behooren voorwaer alle ons gelooue in de gantsche Gemeynte, eñ voor al haer lidtmaten te belijden, met den sienlickē woorde: so verre ymmers, als het toegelaten is: ten ware dat ons de aengeboren krancheyt onser natnerē, of eenige eygentlicke beteeckeninghe der mysterien, of de instellinghe selue, met opentlieken woorden dat niet toe en liete.

By den welckē wy hier beschuldigen, de ghene die hen onderstaen van de Gemeynte te weeren, (waer by sy de eenicheyt der Gemeynten, so verre als in haer is, scheuren) de gene die by geener natuerlicker krancheyt, of by eenige eygentlicke bediedinge der mysterien, of oock by eenighe woorden der instellingen zijn wtghesloten. Dwelck wy vanden Wederdoopers int ghebruyck des Doops opentlick gedaen sien wesen. Waer af wy hier namaels in zijn plaetse sullen seggen.

Ende de Ceremonien van Christo dē Heere in zijn Gemeynte ingestelt, zijn meest ontrēt den openbarē Diēst des Woorts, eñ der heymelick bedie-(20[b])dende Teeckenen, die wy Sacramenten heeten. In de behoorlicke onderhoudinge deser dingē dan, is gelegen dese belijdinge der Ceremonien, daer wy af sprekē. Van de welcke ooc breeder tsyner plaetse geseyt sal wesen, als wy vander forme ende gebruyck der Sacramenten handelen sullen.

Eñ de belijdinge die daer gelegen is in de bewijsinghe der weldaden tot den naesten, die eygē behoort de gātsche Ghemeynte toe, eñ alle haer lidtmaten bysonder: euen ghelijck als de belijdinge des monts, ende der Ceremonien. Want gemerckt dat wy alle, so vele als wy inder Ghemeynte zijn, ontwijuelick geloouē, ons lidtmaten eens lichaems te wesen: so verstaē wy wel, als dat dit ons gelooue, van ons is eyschende, dat wy de een den anderen in alderhande weldadē behulpich sullen wesen. Want dat een lidt kan niet seggē tot dat ander, in een lichaem wesende, eñ sonderlinghe int lichaem Christi: Ick en behoeue uwer niet, als Paulus is leerende. Maer de openbaer 1 Cor. 12. c. 21.
belijdinge des gheloofs in de bewijsinge der weldaden, is allermeest gelegen int gene, dat de gemeyn Dienaers der Ghemeynten, den volcke, (21[a]) of tgheheel volck wederom den Dienaers openbaerlick bewijsen moctē.

Atque plebis erga ministros suos officium publicum est, Dei in illis imaginem quandam reverenter agnoscere, illisque, tanquam Deo per ipsos agenti, ultro ac hilariter obedire, praeterquam si quid veliat, quod verbo Dei repugnare constet. Hic enim meminisse omnes regulae Apostolicae debemus: Oportet Deo magis quam hominibus obedire.

Ministrorum vero Ecclesiae officia varia sunt, quemadmodum ministeria ipsa. Sunt autem tria potissimum publica ministeria in Ecclesia Christi: Verbi, gladii et mensarum pro egenis. Et qui in hisce ministeriis versantur, habent sua quaedam propria officia, quae ad alios non pertinent, quibus praestandis fidem et ipsi suam in Ecclesia, praeter privata illa officia, quae ad to-(33)tam pertinent Ecclesiam, profiteri debent, ut testentur se vere credere, quod Iesus, virginis matris filius, sit etiam sub Christi titulo summus ille atque aeternus ipsorum Rex, cuius legum atque ordinationum ipsi ministri ac custodes essent.

Verbi igitur ministrorum professio in praestandis hisce officiis consistit:

1 Ti. 1. 2. 1. Ut purum Dei verbum publice fideliter ac diligenter doceant.

1 Cor. 11. 2. Ut institutas a Domino ceremonias, iuxta ipsius ordinationem, publice in Ecclesia pureque ac diligenter administrent, earumque violatores ex verbo Dei reprehendant.

3. Ut curam habeant Ecclesiae, una cum presbiteris illius,
2 Tim. 4. 1 Cor. 5. in eius incremento atque aedificatione per admonitiones consolationes reprehensiones et usum Ecclesiasticae disciplinae iuxta verbum Dei.

4. Ut ora adversariorum verbi divini autoritate obstruant,
2 Tim. 3. gregemque suum a lupis ac noxiis bestiis depredari dilaniari
2 Tim. 1. et devorari ne sinant, sed Ecclesiam de illis praemoneant, si ad viam rectam iuxta Scripturas revocari non queant.

1 Petri 5. 5. Ut praesint Ecclesiae, in illius, quod ad Divina attinet, gubernatione, non tanquam dominantes clero, sed ut gregis exemplaria, a (34) Spiritu videlicet Sancto in hoc constituti.

Esai. 49. 2 Par. 19. Ad gladii vero ministros in Ecclesia, iuxta gradus illorum, pertinet haec ipsorum peculiaris professio:

1. Ut verbi ministerium et eius ministros legitimos in Ecclesia provehant honorent tueantur et alant, lupos autem et falsos doctores in Ecclesia ne ferant.

Het openbaer Ampt des volcx tot haren Dienaer, is, een beeldt Gods in haer te kennen: ende heer (als God door haer werekende,) willichlick ende vroliek ghehoorsaem te wesen: ten ware dat sy yet begheerden, dat tegen den woorde Gods ware. Want hier moeten wy alle indachtich wesen der Apostolischer reghele: Men moet Gode meer gehoorsaem zijn, dan den menschen. Act. 4. b. 10. ende 5. c. 29.

Maer het Ampt der Dienaren der Ghemeynen is menigherley, gelijck als de bedieninge selue. Eñ de openbaer Diensten in de Gemeynte Christi, zijn voornemeliek dry: Nemelick, des Woorts, des Sweerdts, ende der Tefelen voor den Armen. Ende de gene die in dese Diensten verkeeren, hebben haer eyghen Ampt, die den anderen niet toe en behoorē: door der welcker onderhondinge sy haer Ghelooue in de Gemeynte belijden moeten, sonder die eyghen Amptē, die de gantsche Gemeynte toebehoorē: op datse betnygen, dat sy warachtelick geloonen, Jesum Marie der Maget Sone onder den titel Christi, harē opperstē (21b) ende eewigē Koninck te wesen: wiēs ordinancien ende insettingen sy Dienaers ende Onderhouders zijn.

Der Dienaers des Woorts helijdinge, is gheleghen in de onderhoudinghe deser Ampten:

1. Te weten, dat zij het reyue woort Gods, openbaerliek, ghetrouwelick, ende neerstelick leeren ende prediken. 1 Tim. 1. a. 3. ende 2. a. 7.

2. Dat sy de Ceremonien vandē Heere ingestelt, ne zijn ordinancien openbaerlick, louterlick eñ neersteliek wtrichten, ende de schenders derseluer, wt den woorde Gods straffen. Mat. 26. c. 25. Mar. 14. c. 22. Luc. 22. b. 19. 1 Cor. 11. c. 23. 27.

3. Dat sy sorge voor de Ghemeynte draghen, met de Onderlingen derseluer, tot hare vermeerderinge eñ stichtinge, door vermeningen, troostingē, ende straffinghen: ende int gebruyck der Kerckelicken straffe, na den woorde Gods. 2 Tim. 4. a. 2. 1 Cor. 5. b. 13.

4. Dat sy de mondē der tegenpartijē stoppen wt den woorde Gods. Ende niet toelatē, det haer Kudden ven den Woluen ende schadelicke Dieren berooft, geschenrt of verslonden worde. Maar datse † de Ghemeynte daer af waerschuwē: so verre als sy ten rechten wege, volgende de Schriftueren, niet ghebraeht konnen worden. (22a) 2 Tim. 3. a. 5. 2 Tim. 1. b. 15. ende 2. b. 17.

5. Dat sy der Gemeynten voorstaen in haer Regiment, de Godlicke dingē aengaende: † niet als daer heerschappie hebbēde ouer haer, meer als Spiegelen des kudden, vanden Heyligen Gheest deer toe gheordineert. 1 Petr. 5. a. 3. Act. 2. e. 24. ende 20. c. 28.

Eñ tot de Dienaers des Sweerts in de Ghemeynte, (eenen yegelicken na synen roep,) behoort dese (haer eyghen) belijdinghe.

1. Dat sy den Dienst des woorts, eñ heer oprechte Dienaers in de Ghemeynte veruorderen, eeren, beschermen, ende voeden: Ende de Woluen eñ valsche Leeraers in de Gemeynte niet lijden. Esa. 49. c. 23. 2 Par. 19. a. 8.

Rom. 13. 2. Ut doctrinae ac legis Divinae inobedientiam impietatemque publicam iuxta concreditum sibi gladii usum puniant.

3. Ut Christi Domini institutiones in tota Ecclesia pure fideliter ac reverenter observari curent, eosque puniant, qui illas, aut temere negligunt, aut adulterant, aut abolere conantur.

Esai. 56. Jerem. 6. 4. Ut suum cuique iure publico reddant, publicamque honestatem in Ecclesia tueantur et alant ad aedificationem.

1 Tim. 2. 5. Ut publicam Ecclesiae tranquillitatem, cum pietate coniunctam, tueantur et custodiant.

Diaconorum professio erit in sedula Eleemosinarum collectione et fideli earundem dispensatione.

Quod igitur ad tertiam hanc verae Ecclesiae notam attinet, (35) haec demum erit vera Dei Ecclesia, in qua omnes et singuli, usum rationis habentes, fidem illam Apostolicam eiusque capita pro se quisque ore, ceremoniarum observatione, quae a Christo sunt institutae, et charitatis officiis pro sua virili privatim profitentur, in qua item publici ac legitimi, verbi, gladii ac mensarum ministri suo recte, ut dictum est, fungantur munere, et plebs Ecclesiae universa publica atque unanimi contestatione profitetur se in omnibus obedire velle ex animo, quorum vel a verbi ministris ex verbo Dei, vel a Magistratu ad retinendum tuendumque in Ecclesia decorum ordinem tranquillitatem et aedificationem ipsius, vel a Diaconis ad pauperum sublevationem admonetur.

Iam ut, collatis in unum notis simul omnibus verae Catholicae atque Apostolicae Christi Ecclesiae, plenam illius diffinitionem statuamus,

Ecclesia Christi est coetus eorum hominum cum ipsorum semine, qui a primo parente nostro Ada usque ad saeculi consummationem voce Dei, per Angelos, Prophetas et Christum eiusque Apostolos delata, e reliqua hominum toto orbe multitudine evocatus atque evocandus, credit et profitetur, sive privatim sive (36) publice, ore, ceremoniarum, quae sunt a Christo institutae, observatione atque officiorum praestatione, ut cuiusque vocatio requirit, Virginis illum Mariae filium esse vere Iesum, hoc est, hominem ex homine, nempe matre virgine, Spiritus S. opificio conceptum et natum, ut frater noster in carne nostra esse atque ita demum etiam loco nostro pro peccatis nostris mori posset, et esse praeterea etiam in ea iam

2. Dat sy de ongheboorsaemheyt ende opentlicke boosheyt, na dē bruyck des Sweerdts die haer gegheuen is, straffen. Rom. 13. a. 4.

3. Dat sy besorgen, dat alle Instellingen Christi des Heeren, reynlick, getrouwelick eñ weerdelick onderhouden wesen, ende straffen alle de gene, die deselue verachten, verualschen, of onderstaen te niet brenghen.

4. Dat sy eenen yeghelicken, na de ghemeyne Rechten (het syne) gheuen: ende de ghemeyne eerbaerheydt inde Ghemeynte ter stichtinghe bescher-(22[b])men ende onderhonden. Esa. 56. a. 1. Jeremie. 6.

5. Dat sy de ghemeyn vrede der Gemeynte in alle Godsalicheyt beschermen ende bewaren. 2 Tim. 2. a. 5.

Ende de belijdinge der Diakenen is gelegen in een neerstighe vergaderinge der aelmoessenen, ende trouwe wtdeylinghe derseluer.

Aengaende dan het derde Teeckē der warachtiger Ghemeynte, dat sal die warachtige Gemeynte wesen: in de welcke een yegelick bysonder (het gebruyck des verstants hebbende,) voor hemseluen, het Apostelsche gelooue ende zijn Hooftstuck, met den monde, de onderhoudinge der Ceremonien van Christo inghestelt, eñ de oeffeninge der liefden na zijn vermeugen belijde: in de welcke oock de ghemeyne eñ rechtsinnige Dienaers des Woorts, des Sweerts eñ der Tafelē, haren Dienst rechtsinnich. (alst gheseyt is,) bedienen. Eñ den gantschen hoop der Ghemeynten met een eendrachtige betuyginge belijdt, dat sy in allen van herten gehoorsaem wil wesen, het zy of sy vanden Dienaers des Woorts, wt den woorde Gods, (of väder Ouerheyt, om in de Gemeynte de eerbaerheydt, ordinancie, vrede (23[a]) ende stichtinghe derseluer te behouden ende beschermen: of oock vanden Diakenen, ter verlichtinghe vanden Armen) vermaendt wordt. Heb. 13. b. 17. Rom. 13. a. 1. 2. 3. 4. 1 Petr. 2. b. 17.

Nu tsamen in een brenghende de Teeckenen der Allerghemeyn ende Apostolischer Kercke Christi, so moeten wy haer beschrijuinghe voorstellen.

So is dan de Ghemeynte Christi, de vergaderinghe der menschen met haren zade, (die van onsen eersten vader Adam, tot dē eynde des Werelts toe, by de stemme Gods, door de Enghelen, Propheten, ende Christum, midtsgaders zijn Apostelen voortgebracht, wt de menichte van allen anderen menschen wtgheroepen zijnde, of noch wesen sal) ghelooft ende belijdt, tzy eygentlick, tzy openbaerlick, of met den monde, of met onderhoudinghe der Ceremonien van Christo ingestelt, eñ de bewijsinge der Ampten, na den roep van eenen yegelickē. Dat de Sone Marie waraehtelick Jesus zy, dat is, dat hy Mēsche wt mensche, te weten, wt de Moeder eñ Maget, door de werckinge des Heyligen Geests, ontfangē eñ geborē is: op dat hy

carnis nostrae societate plenisufficentem servatorem mundi totius, et proinde Deum quoque: nemo enim servator, nisi ipsemet Deus. Deinde hunc ipsum Iesum credit etiam ac profitetur esse verum Christum illum, qui Angelicis et Propheticis vaticiniis ab ipso usque mundi initio promittebatur, hoc est unicum illum summumque et aeternum Regem, Prophetam ac Sacerdotem mundi totius, qui adventus sui luce typos legis carnalis omnes dispulerit prorsusque aboleverit. Postremo quae eundem ipsum Iesum Christum credit ac profitetur esse verum naturalem atque unigenitum Dei Patris filium, ex Deo ipso Patre in eadem Divinitatis suae existentia genitum, quemadmodum homo ex homine concipi et nasci voluit, nempe ex matre virgine, ut homo fieret et totius mundi peccatum expiaret, laudandum una cum Patre et Spiritu S. verum et unum Deum in secula. Amen.

(37) Huius igitur Doctrinae ac fidei et eorum, quae ad illam pertinent, eius item Ecclesiae, quae eam recipit profitetur ac sequitur, ministros nos esse agnoscimus. Hanc colligimus, et nos cum illa a sectis omnibus, imprimis vero ab Antichristiana Papae Romani idololatria separamus.

Porro eius ipsius doctrinae hoc compendium edere ita initio voluimus, ut omnes, qui sese nostrae isti Ecclesiae volent adiungere, certi sint, se per nos, non sane humanae ullius doctrinae, sed Dei ipsius voce, per Angelos, Prophetas et Apostolos nobis prodita, ad veram Dei et Christi cognitionem et vitam proinde quoque aeternam colligi atque evocari.

Brevi autem addemus, quae ad observandas Christi Domini in sua Ecclesia institutiones seu ceremonias, quaeque ad praestanda per ministros erga plebem, et plebis vicissim erga ministros officia, adque eorum per disciplinam custodiam videntur pertinere.

ous broeder in ons vleesch wesen (23[b]) soude, eñ also eyndelick in onse plaetse voor onse sonden steruen moehte.

Voorts, dat hy oock is in de ghemeynschap ons vleeschs volgenoechsaem Salichmaker der gātscher Werelt. Eñ dat hij midts dien oock God zy, gemerct datter geen Salichmaker is, dā God selue. Bouē dien, die daer gelooft eñ belijdt, desen seluen Jesum te wesen Christum: die door de prophecien der Enghelen ende Propheten, van tbeghin der Werelt beloeft was: dat is den eenigen, oppersten eñ eewighen Koninck, Propheet eñ Priester aller Wereldt: die door de toekomste zijns Lichts, alle de bedieninghen des vleeschelicken Wets, gantschelick te niet gedaē heeft. Ten laatstē, die daer ghelooft eñ belijdt, den seluen Jesum warachtich, natuerlick, ende eenich gheboren Sone Gods des Vaders te wesen, wt God dē Vader, selue in een wesen zijns Goddelicheyts gebaert, ghelijckerwijs by Mensche wt den mensche, te weten, wt de Moeder ende Maghet ontfanghen ende gheboren heeft willen wesen, om dat hy mensche soude worden, ende de sonde der gantscher Werelt reynighen soude. De welcke met den Vader ende (24[a]) den Heylighen Gheest, warachtich ende eenich God inder eewicheydt is prijselick. Amen. Esa. 44. a. 6.

So bekennen [1]) haer dan alle Dienaers des Godlicken Woorts, Dienaers te wesen deser leeringe ende gelooue, ende der dinghen daer toe dienende. Ende oock der Ghemeynten die die ontfangt, belijdt ende volght. Dese vergaderen sy [2]), ende sy [3]) scheyden hen [4]) met haer van alle Ketterijen, ende principalick [5]) vāder Antichristischer Afgoderije des Paus van Roomen.

Dit kort begrijp deser leeringhe hebben wy [6]) willen laten wtgaen, opdat alle deghene, die haer willen voeghen tot der [7]) Ghemeynten, versekert wesen, datse niet door [8]) eenighe menschelicke leeringhe, maar by de stemme Gods, door de Engelen, Propheten, ende Apostelen voortghebracht, tot der warachtigher kennisse Gods ende Christi, ende oock tot den eewighen leuen vergadert ende wtgheroepen werden [9]).

Ghedruckt Anno 1565. (24[b])

[1]) Editio a[i] 1551, ad verbum latina exprimens, legit: so bekennen wij dan alle dienaers te wesen.

[2]) wy. [3]) wy. [4]) ons. [5]) sonderlijck. [6]) addit: van t beghin.

[7]) onser. [8]) door ons niet bij.

[9]) In fine haec adduntur: In corte tijden sullen wij hier toebringen al het gene, dat tot de onderhoudinge der instellinghen eñ ceremonien Jesu Christi des Heerē in sijn ghemeynte eñ tot de onderhoudinghe der officien des dienaers tot den Volcke eñ wederom des Volcks tot den dienaers, oñ oock tot der seluer bewaringhe door de kerckelijke straffe is dienende.

(38) Forma Precum Publicarum, quae pro concionibus in Ecclesiis Peregrinorum habentur.

Minister ante omnia his aut similibus verbis ad precandum hortatur Ecclesiam.

„Christiani fratres! quandoquidem hic collecti sumus, ut Dei verbum ad salutem animarum nostrarum discamus, ante omnia Divinam gratiam, sine qua nihil possimus, imploremus, ut et ego nihil adferam praeter puram Divini verbi Doctrinam vosque illam magno vestrae salutis commodo audiatis."

Oratio ante Concionem.

Psal. 19. „Pater coelestis! cuius lex integra est, convertens animas, testimonium verum, imperitis sapientiam suppeditans et illuminans oculos! supplicitèr te rogamus, ut tua infinita misericordia digneris coecas mentes nostras tuo Sancto Spiritu illustrare, quo legem tuam recte intelligamus cognitamque factis diligenter exprimamus. Cumque ita tibi visum sit, Pater! ut parvulis
Matt. 11. duntaxat voluntatis tuae mysteria reveles, ac respicias ad eum tan-
Psa. 66. tum qui est humili ac fracto spiritu quique ad verbum tuum re-(39)verentia quadam contremiscit, — da nobis humilem spiritum
Rom. 8. omnemque sapientiam carnis, quae tibi inimica est, adimere digneris, et a veritatis tramite aberrantes in rectam viam revoca, ut omnes te colamus in sanctitate et iustitia omnibus
Matt. 6. diebus vitae nostrae. Haec abs te petimus, Pater indulgentissime! ea petitione quam nobis tradidit filius tuus, Dominus ac Servator noster Iesus Christus, ad hunc modum:

Pater noster qui es in coelis,
Sanctificetur nomen tuum,
Adveniat regnum tuum,
Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra,
Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,
Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris,
Et ne nos inducas in tentationem,
Sed libera nos a malo, quia tuum est regnum et potentia et gloria in saecula saeculorum. Amen."

Deinde Psalmus aliquis a toto coetu graviter lingua vulgari canitur. Quo absoluto pergit Ecclesiastes ab eo scripturae loco, ubi postremo substitit.

Oratio post concionem.

„Clementissime Pater! quooiam Filius tuus Iesus Christus docuit (40), beatos esse qui non tantum audiunt verbum tuum, sed custodiunt illud, custodire autem illud non possumus, nisi cordibus nostris tuo Spiritu inscribatur, te ex animo rogamus, ut a nobis Satanam arceas, ne verbum auditum nobis eripiat, lapideum autem nostrum cor adimas, ne pullulascens eius fructus exarescat, curas etiam ac solicitudines saeculi huius suffocantes verbum tuum animis nostris eximas, facias autem nos terram bonam, ut in ea seminatum verbum tuum multiplicem fructum ad nominis tui gloriam proferat, per eundem Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum. Amen."

Quae iam sequuntur, excepta communi pro necessitabus Ecclesiae oratione, tantum diebus Dominicis in concione antemeridiana recitantur.

Decalogus ex 20 cap. Exodi.

Ad quem audiendum excitatur populus his verbis:

„Audite Legem Domioi:

Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Aegypti, de domo servitutis.

Non habebis Deos alienos coram me."

---

(41) Publica deinde fit peccatorum confessio, praeeunte Ministro verbi.

„Vidimus in Divina hac lege, velut in speculo, quaotopere ac quam variis modis Deum nostris delictis offenderimus, horum itaque veniam toto pectore supplices ab eo unanimiter postulemus, hoc modo:

„Deus aeterne ac Pater noster clementissime! prosternimus nos ante Divinam tuam Maiestatem supplices, contra quam nos gravissime peccasse, aperte ac sine hypocrisi fatemur, adeo ut non digni simus vocari filii tui. Nam praeterquam quod in pec- Luc. 15.
catis nati conceptique, ad omne bonum inepti, ad malum pro-

Psal. 50. Gen. 6, 8. clives sumus, etiam multis modis tua praecepta violavimus, te pro tua dignitate non venerantes et proximos nostros, ut iubemur a te, non diligentes, qua propter pro exacto iustitiae tuae rigore, fatemur nos reos aeternae damnationis et actum de nobis esse, nisi iustitiam ipsam misericordia tua inexhausta longe Luce. 15. superaret, qui poenitentibus omnibus, etiam quum adhuc procul sunt, clemens ac propitius soles occurrere, idque non propter nostram ullam dig-(42)nitatem, sed propter filium tuum dilectum Iesum Christum. Cuius meritis flexus, non amplius meminisse velis peccatorum nostrorum, sed, iis condonatis, nos in Ezec. 18. Psalm. 50. Ezech. 11. Jerem. 31. gratiam recipito per veram animi poenitentiam ad te conversos, siquidem is es ut nolis mortem peccatoris, sed ut convertatur ac vivat. Nosque ad hunc modum in gratiam tuam acceptos, Spiritu tuo sancto, ne deinceps te offendamus, clementer donare, et novum ac carneum cor in nobis, ablato lapideo, creare digneris, Ephe. 5. cui legem tuam inscribas, quam postea per omnem vitam nostram factis exprimamus, tanquam filii lucis in novitate vitae ambulantes, ad tuam filiique tui gloriam et Ecclesiae eius aedificationem, per eundem Iesum Christum filium tuum. Amen."

Absolutionis forma.

Hanc breviter ac dilucide proponet minister, hisce aut similibus verbis:

Ezech. 18. „Posteaquam Deo aeterno ita visum est, ut vere poenitentibus suaque peccata confitentibus ignoscat, obstinate autem impiis suaque peccata tegentibus aut excusantibus nolit condonare, ex animo peccata nostra agnoscere debemus.

„Quotquot ergo vestrum tales sunt, ut illos suorum delictorum (43) pudeat poeniteatque, ac deinde firmiter credunt ea sibi solius Christi meritis omnia plene condonari, statuuntque dein- Matt. 18. Ioan. 20. ceps mortificare membra sua terrestria, ac coelestia sectari, — iis, quia credunt in Filium Dei vivi, ex verbo Dei denuncio, peccata in coelis esse remissa per nomen Domini nostri Iesu Christi benedicti in saecula. Amen.

„Quotquot vero suis adhuc peccatis oblectantur et ea fateri corrigereque, nolunt, — aut si agnoscunt quidem illa, aliud tamen salutis remedium quaerunt, quam unicum meritum beneficii Ioan. 3. Christi Domini, — iis omnibus, propterea quod tenebras magis diligunt quam lucem, nec credunt in nomen unigeniti Filii Dei, ex verbo Dei denuncio, peccata illorum omnia esse ligata in coelis, nec dissolvenda priusquam resipiscant.

„A quorum numero, ut nos alienos esse contestemur, summam nostrae fidei publice et ex animo profitebimur in hunc modum:

„Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.
Et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum.
Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine.
Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.
(44) Descendit ad inferna, Tertia Die resurrexit a mortuis.
Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
Inde venturus est ad iudicandum vivos et mortuos.
Credo in Spiritum Sanctum,
Sanctam Ecclesiam Catholicam,
Sanctorum communionem,
Remissionem peccatorum,
Carnis resurrectionem,
Et vitam aeternam. Amen."

His absolutis sequitur oratio pro omnibus Ecclesiae necessitatibus:

„Omnipotens, Coelestis ac Misericors Pater! posteaquam pro infinita tua misericordia nos e tenebris ignorantiae ac idololatriae Romanae liberare dignatus es, revelato nobis inter caeteros Euangelii filii tui mysterio, quo nomine immensas tibi habemus gratias, — rogamus te supplices, ut nos gratia Spiritus tui corroborare digneris, quo fidem Christianam ad finem usque constanter retineamus vitaeque pietate illam exprimamus.

„Praeterea, ut Clementissimum Principem et Regem nostrum, Eduardum (45) Sextum, tuo potenti brachio, quo hactenus illum a suis ac tuis hostibus tutatus es, defendere perpetuo, tuoque Spiritu illius mentem sic illustrare digneris, ut, tua in illo gratia cum aetate adaucta, regat populum suum sub Rege Re- 1 Timo. 2.
gum Christo, iuxta verbum tuum, ut placidam quietamque vitam cum omni pietate et honestate ad incrementum Regni filii tui degamus.

„Deinde, ipsam etiam Domini Regis nostri familiam et reliquos Regni huius proceres ac Magistratus, in primis vero prudentissimum Senatum Regium, Spiritu consilii gubernato, ac in Filii tui vera doctrina et animarum mutua in Domino concordia conservato.

„Populum item Regni huius universum dona tuo Spiritu, ut

voces tuorum Prophetarum libenter amplectatur et in obedientia eius Magistratibus debita ad regni huius incolumitatem Ecclesiaeque tuae aedificationem persistat.

„Ad haec, ut reliquos extra hoc Regnum Principes, Civitates ac Magistratus, qui verbum tuum diligunt ac profitentur, defendas contra omnes hostes, ut quiete subditos suos in vera verbi tui cognitione gubernent.

„(46) Rogamus te etiam, Clementissime Pater! pro conservatione Ecclesiarum, tam Regni huius, quam aliarum omnium toto orbe dispersarum, in quibus vera Filii tui Doctrina, ab Antichristi Romani blasphemiis repurgata, praedicatur. Arceto ab eis falsos pastores ac mercenarios, qui dilectam vineam tuam depascuntur et conculcant, ac extrudito in illam sedulos operarios fidelesque tuorum mysteriorum dispensatores, qui non privatam, sed tuam unice quaerant gloriam.

„In primis autem favore tuo prosequere et conserva hanc tuam Ecclesiam, infinita misericordia et potentia tua iam recens plantatam, pro quo beneficio gratias tibi maximas habemus, ut quotidie in omni pietate proficiat, ad nominis tui gloriam et omnium hominum aedificationem.

„Ecclesias etiam tuas toto orbe per Antichristum divexatas, potissimum vero N. et N. defendere digneris ab illius tyrannide.

„Precamur etiam pro omnibus Ecclesiis, Regibus, Principibus et Magistratibus, qui vocem Filii tui Iesu Christi, Romania idololatriis excaecati, assequi nondum potuerunt, et per ignorantiam adhuc persequuntur, ut eos cum aliis quoquomodo se-
Ioan. 10. 1 Petr. 2. ductis (47) et ignorantibus ad lucem rectamque semitam deducas, quo omnes in uno ovili sub uno animarum nostrarum pastore Iesu Christo ad nominis tui gloriam esse possimus.

„Postremo rogamus te, Optime Pater! ut soleris tuo Spiritu omnes fratres nostros, ob confessionem nominis tui per Antichristum afflictos, eosque virtute ex alto ita in fide corrobo-
Luc. 24. rato, ut intrepide tuum Filiique tui nomen constanter coram hominibus perpetuo confiteantur. Morbis etiam, paupertate, exilio, aliisve animi aut corporis calamitatibus iusto tuo iudi-
Prov. 3. cio exercitos recreare digneris, simulque docere, ut ex castigationibus suis intelligant, se vere diligi abs te, sicque tandem ad te convertantur.

Haec omnia nos certissimo impetraturos confidimus, propter paternam tuam ergo nos, filios tuos, bonitatem, quam invocamus oratione, a filio tuo Domino nostro nobis praescripta, per eum ipsum ad hunc modum deprecantes:

„Pater noster, etc."

Precatione hac absoluta magna cum gravitate canitur vulgari lingua a toto coetu Psalmus aliquis. Deinde his verbis dimittitur Ecclesia:

„(48) Memores estote egenorum, precemur alter pro altero, Deus vestri misereatur et benedicat vobis, illustret inter vos lumen vultus sui. Amen. Ite in pace."

Postremo, quia nemo debet in conspectum Dei venire vacuus, et peculiare Dei ac Christi mandatum exstet de pauperum cura ac sustentatione, per Diaconos Ecclesiae ad valvas templi Eleemosynae diligenter in singulis congressibus colliguntur.

Τέλος.



De Cate-

chismus, oft Kinder leere, diemen te Londen, inde Duytsche ghemeynte, is ghebruyckende.

Psal. 119.
Hoe sal een ionghelinck sijn leuen, onstraffelijc leyden? ten sij dat hi dat stelle na den eysch ws woordts.

Ghedruct tot Londen, by Steuen Myerdman.
An. 1551.

Joannes Utenhovius Germanorum Ecclesiae, quae est Londini, gratiam ac pacem a Deo Patre, per Iesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

DEO grata acceptaque reipublicae salus, dilecti Fratres! me indice tribus maxime continetur: nempe pietate magistratus, integritate Doctorum sive verbi Divini ministrorum, et sustentatione scolarum Christianarum, sine quibus nulla respublica prosperis rebus uti potest, quemadmodum ubi tria haec conveniunt, rursus non potest quin floreat respublica. Quod enim ad primum horum attinet, satis constat, magistratum reipublicae esse, quod corpori humano stomachus. (A ii[a]) Quemadmodum enim totum corpus stomacho nutritur, neque sine eo subsistere potest, sic quoque sine magistratu respublica diu manere non potest propter magnam miseriam, perversitatem atque pravitatem indolis atque naturae humanae, quae idcirco externo atque politico moderamine regi necessarie debet. Sed quemadmodum hoc non sufficit ad sustinendam corporis valetudinem, ut stomacho sit praeditum, nisi quoque sanus sit atque integer, sic etiam reipublicae satis non est, magistratu ornatam esse, nisi sit quoque sapiens ille pietatisque studiosus, — sin minus, profecto intolerabile est, istiusmodi magistratui subesse estque verissima Dei pro peccatis populi poena habenda, impiis magistratibus subditum esse, quemadmodum etiam e contrario ineffabile Dei in rempublicam beneficium censendum est, quum sapientes ei ac pii magistratus a Domino ordinati sint, quatenus sapiens magistratus vis ac ro-
Sapi. VI. [1]) bur populi est. Secundo quod ad integros (A ii[b]) doctores verbique ministros, quam sint reipublicae necessarii facile colligitur e necessitate Verbi, quod solum lux vita ac cibus anima-
John.. XVI. rum est, extra quod etiam nil nisi tenebrae mors atque aeter-
Psalm. 119. num exitium expectandum est. Neque sane fieri potest, ut bene cedat populo, ubi vera doctrina deest, nam, uti vir Sapiens iam dixit, ubi prophetiam sive divinam institutionem frustra quaero,
Pro. XXIX, ibi dissipatio populi sequatur necesse est. Merito hanc ob causam populus absque doctoribus a Christo Domino ipso cum ovium
Math. IX. grege componitur, qui pastore destitutus omni hauddubie defec-

[1]) Seriem textuum ed. a[i] 1553 ad marginem versionis latinae recensemus.

Jan Utenhone der Duitscher Ghemeynten, die te Londen is, wenscht [1]) ghenade ende vrede van God den Vader, door Jesum Christum onsen Heere. Amen.

DE godsalighe welvaert eens Landtschaps, beminde broeders, nae myn verstãt, is meest in drie stucken gheleghen, namelyck in de godsalicheit der Ouerheyt, inde oprechticheyt der leeraers oft dienaers des woordts Gods, ende inde onderhondinghe der Christelijcker scholen. Sonder de welcke drie, het nyet moghelijck is, dat het eenighen lande wel sonde connen gaen. Ghelijck het oock wederom nyet moghelijck is, dat het anders dan wel den Landtschappe toe gae, daer dese drie ouer een comẽ. Want aengaende deerste van desen, het is ghewis, dat de Ouerheyt eens Lãdtschaps, den lande is, het ghene dat de maghe den lichame des menschen is, by (A ii[a]) de welcke, ghelijckerwijse het gansche lichaem gheuoedt werdt ende daer sonder nyet gheleuen can. Also eest [2]) oock nyet mogelijck, dat eenich Landtschap sonder Ouerheyt gheduerich blijue, ouermidts de groote ellendicheyt, verdoruenheyt, ende boosheyt der menschelijcker aerdt ende natueren, de welcke daer om, door wterlijcken ende politischen regimente geregeert moet wesen. Maer als het nyet ghenoech is, ter behondinghe des lichamelijcken gesontheyts, een maghe te gebben, ten si datse goet ende ghesont si: Also eest oock den Lande nyet ghenoech een Ouerheyt te hebben, tẽ si datse wijs ende godsalich si. Anders voor[3])waer eest onuerdrachlijc onder sulcke Ouerheyt te stane, ende is een warachtighe straffe Gods voor de sonden des volkx, wanneer het ongoddelicke Ouerheden onderworpen is. Als het oock in contrarien, een groote onwtsprekelijcke segheninghe Gods is, voor den Lande, den welcken een wijse ende godsalighe Ouerheyt, van den Heere toegheschiet is, ghemerct dat een wijse Ouerheyt de sterkte ende vastieheyt des volcks is. Ten anderen, hoe nootsakelijck de op-(A ii[b])rechte leeraers eñ dienaers des woorts, den lande sijn, can lichtelijc bekent werden, wt de nootsakelicheyt des woordts, dwelcke alleen het licht, leuen ende spijse der sielen is, buyten dwelck oock anders nyet can wesen, dan duyster-

Job 34. Sa. 6. Jos. 16. Psal. 119.

[1]) Ed. ai 1558: *weynscht.* [2]) ib. *eyst.* [3]) ib. *voer* et sic passim.

tui bonarum pascuarum et aquarum, omnibusque a lupis belluisque periculis expositus est, adeoque verbi sui tam necessarium
Luc. XXIII. habuit Dominus in Ecclesia sua ministerium ipsumque quasi
Apoc. IX. solum, quo in omni probitate atque pietate sui colligerentur ac sustinerentur, instrumentum instituit. Tertio, dummodo violatae (A iii[a]) naturae nostrae pinguem inscitiam atque ab utero
Gene. 6, 8. matris adnatam nobis perversitatem respiciamus, facile intelligitur, quantum parvulis Christiana institutione opus sit, ut sanctam voluntatem Domini eiusque vias edocti, adque eius co-
Deut. 32. gnitionem ac timorem a pueritia inde adacti, omnibus piis actionibus adaptentur, et cultum Dei, erga proximos observantiam ac reipublicae salutem omni industria pro debito suo promoveant. Hinc tam graviter ubique iussit Dominus, sedulo parvu-
Exod. 12, 13. los praecepta divina doceri, ut reputatione magnorum ineffabi-
Deut. 4, 6. liumque Dei beneficiorum, quae nobis omnibus in Christo largitus est, ad laudem nominis ulationem et gratipsius commoti, integra fide eam ac certa spe in omni sanctitate colerent ac iustitia.

Eandem doctrinam Paulus parentibus tradit, dicens: „Vos, patres! nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educare illos in disciplina (A iii[b]) et correptione Domini," quae institutio sola quoque ratio est procurandi semper in republica
Deut. XXI. integros ac Christianos oeconomos et rectores, quos e contra-
1 Reg. 2, 4. rio frustra quaeres, ubi haec parvulorum institutio deest, ut exempla nonnulla tam in Scripturis, quam in Historiis profanis, imo ipsa experientia nobis attestantur, adeo ut nullum dubium supersit, quin haec tria maxima maximeque necessaria beneficia habenda sint, quae in salutem reipublicae exoptemus.

heyt, doot ende eewighe verdoemenisse. Ende is nyet moghelijck dat het den volcke wel toe gae, daer de oprechte leeringhe is ghebrekende. Want daer de Prophetie oft Goddelijcke leeringhe ghebreeet (also de Wijse man seyt) daer moet volghen een verstroyinghe des volcks. So dat een volck sonder leerners van Christo den Heere selue, ten rechten gheleken werdt, bi een cudde schapen, dat sonder herder is, dwelck ontwijfelijck allen gebreken der goeder weyden ende wateren, oock allen perikelen der woluen ende verslindende dieren, onderworpen is. Hierom heeft Christus de Heere den dienst sijns woordts so nootsakelijck in sijn Ghemeynte gheacht, ende oock in ghestelt, als den eenighen middel, om de sijne in alle eerbaerheyt ende godsalichheyt te vergaderen ende onderhouden. Ten derden, aenghemerct de groote ontwetenschap ende archeyt onser ghe-(A iii[a])scheynder natuerē, die ons van den buyc des moeders aen aengheboren is, so connen wy lichtelijck verstaen, hoe grootelijcks den ionghen kinderen de Christelijcke onderwijsinghe van noode si, op dat se inden heylighen wille ende wegen des Heeren gheleert, ende tot de kēnisse ende vreese des seluen, van der iončheyt aen, gebracht sijnde, tot alle goddelijcke handelen bequame werden, ende den dienst Gods, des gelijcx des naesten ende des Landts welnaert, met alder neersticheyt (so sy schuldich syn) vernoorderen, daerom de Heere so ernstelijck ouer al beuolē heeft, dat men de kinderen in sijn goddelijcke gheboden neerstelijck onderwijsen sonde, op dat se door de aenmerckinghe der grooter onwtsprekelijcker weldaden Gods, die hi ons allen in Christo bewesen heeft, tot prijsinge sijns naems, ende tot dancbaerheyt gheroert sijnde, hem in een volstandich ghelooue ende seker hope dienen, in alder heylicheyt ende gherechticheyt.

Pro. 29.
Mat. 9.
Mat. 28. Luc. 24. Actu. 9.
Ge. 6, 8.
Deu. 32.
Exo. 12, 13. Deu. 4, 6. 1 Mac. 2.

De selue leere gheeft Paulus den ouders seggende: Ghi Vaders verweckt uwe kinderen tot gramschap nyet, maer brengtse op door [1]) onderwijsinghe ende (A iii[b]) straffinghe des Heeren, de welcke onderwijsinghe den eenighen middel is, om eerlijcke ende Christelijcke huyshonders ende regimenteurs in den lande te verweruen. Als ooc in contrarien, daer dese Kinder onderwijsinghe gebreect, alsulcks nyet beuonden werdt, ghelijck ons sommighe exempelen der Scriftueren ende Historien, in de experiencie selue wel betuyghen. So datter ghecn twijfel si, dat dese drie weldaden de grootste ende dé meest noodighe sijn, die men ten behoeue eens Landtschaps soude mogē begheeren.

Ephe. 6.
Deu. 21. 1 Re. 2, 4.

[1]) Ed. ai 1553: *doer* et sic passim.

Iam quod ad primum, largissime in regno hoc Deus nos pio magistratu donavit, nempe Rege Edwardo Sexto, qui a magna inde adolescentia, omni idololatria atque falsa religione a regno suo expulsa, veram Apostolicam fidem, doctrinam iustumque
4 Re. 22. Dei cultum restituit ad exemplum Iosiae, ut merito dicendum nobis sit, nullum ante eum fuisse, non solum in hoc regno, sed etiam in toto orbe Christiano, regem, qui, quemadmodum ille, adeo toto pectore suo (A iiii[a]) atque corde ad Deum secundum verbum ipsius sese converterit, quare spes quoque fovenda est — nisi Dominus ingratitudinis nostrae poenas exigat — Deum in diem magis omnem pietatem, ét hic, ét alibi quoque tempore per eum promoturum esse, ut facile animadvertitur ex ingenti, quod Germanicae hic nationi nostrae, imo omnibus peregrinis, petente Domino meo Ioanne à Lasco, omnium nostrum superintendente, praestitit beneficio, magnis suis impensis aptum templum iis procurando permittendoque integrum Dei cultum iuxta Christi Domini praecepta et Apostolorum observationem, praeterea nobis etiam doctos integrosque praeficiendo ministros, per quos vera Prophetarum Apostolorumque doctrina pure et absque omni humano fermento nobis annuntiatur, adeo ut in hisce duobus largiter nos ditavit Dominus, quapropter laus ei sit in aeternum!

Iam ne tertium quoque, institutio parvulorum, Ecclesiae nostrae desit, (A iiii[b]) ministris una cum presbyteris aequum visum est atque necessarium, quemadmodum opus revera habet, ut Catechismus sive institutio parvulorum Ecclesiae offerretur, nimirum idem ille Catechismus, quo Frisii Orientales utuntur, quemque iis petentibus ipse belgice transtuli, qua in re vernaculo sermone — tam turpiter eheu! abusu depravato — saepius non absque licentia quadam usus sum, quemadmodum etiam in Confessione feci, tam ut ad priscam formam eum pro virili portione reducerem, quam idcirco quoque, ut ab Ecclesia, quae hic e diversis nationibus collecta est, melius intelligeretur.

Nu aengaende deerste, God de Heere heeft ons in dit Rijcke seer rijckelyc begaeft, van een godsalighe Overheyt, namelijck van Koninck Eduward den sesten, de welcke van synder grooter ioncheyt aen, alle afgoderie ende valschen Godedienst, wt sijnen Rycke gheweert hebbende, heeft het warachtich Apostolisch ghelooue, leeringhe ende den rechten Godsdienst opgerecht, so dat wy ten rechten wel segghen mogen na dexempel Josie, datter voor hem gheen Koninck gheweest is, nyet alleen in dit Rijcke, maer oock in de gantsche Christenheyt, die hem tot den Heere nae (A iiii^a) sijn heylich woordt [1], so wt gantscher herten ende sielen bekeert heeft als hi ghedaen heeft, ende is oock te verhopen (ten si dat ons de Heere om onse ondanebaerheyt straffe) dat God door hem noch meer ende meer alle godsalicheyt, nyet alleen hier, maer ooc elders metter tijt, veruoorderen sal, als wy lichtelijc mercken moghē wt de groote weldaet, die hi hier onser Duitscher [2] natie, is allen wtlandischen (ter begheerten van mijn heere Jan a Lasco, onser aller Superintendent) bewesen heeft, haer tsijnen grooten coste bereydende eenen bequamen tempel, ende toelatende den oprechtē dienst Gods, nae de ordinancien Christi des Heeren ende de onderhoudinge der Apostelen. Bouen dien heeft hi ons ooc gheleerde ende oprechte Predicanten selue gheordineert, door de welcke ons de warachtighe leeringhe der Propheten ende Apostelen rechtsinnich, sonder eenighen menschen deesem, vercondicht werdt, so dat wy in dese twee eerste grootelicx vāden Heere begaeft sijn, daer af hi ghedanckt si inder eewicheyt. 4 Re. 23.

Nu, op dat het derde, namelick de kinder onderwijsinghe onser Ghemeynten (A iiii^b) oock nyet ghebreken soude, so heuet den Predicantē ende Ouderlinghen goet ende nootsakelijck ghedacht, als het oock van noode is, dat wy den Catechismum oft Kinderleere der Ghemeynten souden voorhouden, te weten den seluen Catechismum, diemē in Oost Vrieslandt is ghebruickende, den welcken ick thaerer begheerte in onse Nederlantsche sprake ouergheset hebbe, waer in ick mijn eyghen sprake (die door dmisbruye grootelijck ghescheyndt is) dickmael te buyten gae, als ick deeghelijcx in onse belijdinge ghedaen hebbe, so wel op dat icse tot haren oorspronck (so verre alst mi mogelijck is) brenghen mochte, als daerom, dat ick van de Ghemeynte, die hier wt menigherley Landen vergadert is, te beter verstaen mochte wesen.

[1] Ed. at 1553: *wort*. [2] ib. *Duitsche*.

Profecto debiti sane nostri est gratias agere Domino pro ingentibus hisce donis, quae proavi nostri numquam nullo die viderunt. Inter Principes enim, quos illi suo tempore habebant, fuerunt quidem nonnulli, qui bene audiebant, quod in politicis rebus boni essent iusti ac sapientes, sed (A v[a]) de nemine eorum legimus, salutiferam eum Dei cognitionem habuisse verumque Dei cultum e verbo suo promovisse. Eo igitur maioris hoc nostrum beneficium aestimandum est, quod a peregrino Principe impetravimus, quod germani Principes nostri nobis recusaverunt.

Deinde non opinor, unquam antehac nationem nostram Belgicam Ecclesiam habuisse, in qua Dei verbum tam pure annuntiatum, Sacramenta tam integre administrata, et disciplina Christiana tam sedulo ac fideliter observata sit, quam in Ecclesia nostra, in qua praeter sustentationem egenorum, quae Diaconorum ministerio commissa est, per singulas hebdomades collationes quoque habentur scripturarum sive Prophetias, de quibus Paulus disseruit, ubi omnes praeterita hebdomade per ministros habiti sermones penitus excutiuntur. Tunc enim Presbyteri una cum iis, qui ab Ecclesia ad id electi sunt, in sermonibus istis iuxta Scripturam excipiunt sive ad illos conferunt, quae ad dilucidiorem explicati textus intelligentiam, ut et ad maiorem Ecclesiae aedificationem facere posse videantur, quorum dubia (A v[b]) deinde refutanda dispellendaque sunt ministris, qui e solo Dei verbo doctrinam suam approbant. Haec nimirum sola ratio est germanam Apostolorum doctrinam et Ecclesiae conscientiam confirmandi, quam si Romae Ecclesia semper tenuisset, numquam subegisset eam Sathanas neque vicisset. Praeterea in eodem hoc templo duae etiam per singulas hebdomades latinae lectiones habentur, altera a praedicto D. I. à Lasco in novum, altera a Gualtero Deloeno in vetus Testamentum, item Scripturarum in illas quoque lectiones collatio fit ad magnam omnium doctorum, partim etiam Ecclesiae aedificationem.

Postremo autem nullus hucusque — prouti scio — purus Catechismus in Belgico nostro sermone exsistebat, quod valde dolendum. Etenim sine compendio sive summa verae fidei nullus e plebe homuncio in fidei suae articulis bene instructus fundatusve esse potest, praesertim ubi sanae e puro Dei verbo praedicationes haberi nequeunt. (A vi[a]) Unde factum quoque est, quod in patria nostra, prae ceteris regionibus, tot errores tot-

Voorwaer wy sijn wel schuldich den Heere te dancken, van alle dese sijne costelijcke gauen, de welcke onse vaders noyt te gheenen daghen ghesiē hebben. want onder de Princen die sij tharen tijden ghehadt hebben, daer sijnder wel eenighe gheweest, die goet ghenoēt waren, als sy oock, politischer wijse goet, wijs ende gherechtich waren, maer wy (A v[a]) lesen van gheene, die de godsalighe kennisse des Heeren ghehadt, ende den oprechten dienst Gods, wt sijnen woorde, veruoordert hebben. So dat dese onse weldaet dies te meerder behoort geacht te wesen, dat wij se van eenen vreemden [1]) Prince ontfanghen, daer se ons onse natuerlijcke Princen selue weygheren.

Ten anderen so dencke ick nyet, dat onse Nederlantsche natie voor desen tijt oyt Ghemeynte ghehadt heeft, daerin dwoort Gods so lonterlijck ghepredict is gheweest [2]), als in die onse. In de welcke (bouen de onderhoudinge onser huysarmen, door den dienst der Diakenē behoorlijck ghedaen) wy oock de wekelijcke collatien der Scriftueren oft Prophetie hebben, daer af Paulus verhaelt, inde welcke alle de predicatien der voorgaender weken, by de predicanten ghedaen, ghehandelt werden. Daer in de Onderlinghen, ende de ghene die daer van der Ghemeynte toe geordineert sijn, op de selue Predicatien, wt der Schrift voort brenghen, datter soude moghē dienen ten broederen [3]) verstande des wtgheleyden tecxts, ende ter stichtinghe der Ghemeynten, der welcker argumenten (A v[b]) de Predicanten ghenoech doen moeten, ende haer leeringhe alleene wten woorde Gods verantwoorden. Dwelck den eenighen middel is om de oprechte Apostolische leere in de Kercke te onderhouden, ende de conscientien der Ghemeynten te beuestighen. Waert dat de Roomsche Kercke dat onderhouden hadde, Sathan soude se so nyet ouerweldicht ende tonderbracht hebbē. Bouen dit so hebbē wy in den seluen tempel noch twee Latijnsche lessen in de weke, die eene van dē voorseydē heere Jan a Lasco int nyewe, de ander vā Gualterus Delenus int oude Testament, des geliker [4]) de collatien der Schriftueren op de selue lessen gedaen, ter grooter stichtinge aller geleerden eñ een deels der Ghemeynten. Ten laetsten, so hebben wy tot nu toe (dat ic ēmer weet) gheen oprechte Kinder leere in onse Nederlātsche sprake ghehadt, wele seer beclagen is. Want sonder een somme oft cort

[1]) Ed. a[1] 1553: *vremden*.

[2]) Ib. add.: de sacramenten so oprechtelick uutgherecht ende de Christelicke straefue so neerstelick ende getrouwlick gheoeffent sijn gheweest.

[3]) Ib.: *brederen*. [4]) ib.: *desgelycks*.

que haereses exstiterint atque praevaluerint, quod tamen iusto Dei iudicio Patriae nostrae magistratui et ministris immissum est, propterea quod reiecta veritate omnibus mendaciis ac haeresibus aperuerint ianuam, ut fide amplecteretur eas populus ac foveret. Quum igitur miseri illi homines et in errorem prolapsi (qui erant mendacia ista amplexi) odio papisticae religionis, quam Verbi diluciditate idololatricam deprehenderant, e Romana Ecclesia decedebant, opus hauddubie fuisset, veram iis religionem voce sive scriptis integram annuntiare, ut certam fidei normam in compendio suo sequerentur. Quod cum frustra exigerent, vetus hominum insidiator Sathanas zizania sua omnigenis falsis Prophetis inter eos sevit, ut ea sub specie veritatis in se reciperent, quod ita demum factum est. Quin imo papisticae religionis odio incensi eo (A vi[b]) iam devenerunt, ut bonum quoque quod in Romana Ecclesia superstes erat residuum una cum malo reiecissent, uti palam videre est in iis, qui duplicem in Christo naturam, mortuorum resurrectionem et eius generis plura negantes, inter se ipsi doctores instituerunt, qui voluntatem Domini parum edocti, neque etiam iuxta Spiritum Dei bene animati, sed vero superbe elati, vilipenderunt omnem scientiam atque notitiam linguarum, omnem etiam germanam Scripturarum interpretationem, quas ut dona Spiritus
1 Corin. 12. Sancti summopere necessarias Ecclesiae Paulus aestimavit.

Quod igitur, ut supra quoque dictum, tam opulenter benedixit nobis Deus, indicio nobis esse potest magnae Eius erga nos misericordiae, quae tanta est, quanta numquam alio in nulla gentium fuit. Quid iam dubitemus? Hauddubie dies visitationis Domini adest, qua nunc nationem nostram Germanicam, quae Londini est, visitat. Quam si contemnimus, neque observamus, de nobis a Domino dicetur, (A vii[a]) quod dixit
Esay. I. olim de Iudaeis: „Pueros educavi et extuli sublime, me
Math. 21. autem spreverunt," et regnum Dei nobis adimetur et dabitur

Als wij vader ende moeder hooghe ende weerdt bouen alle menschen op aerde, in ons herte, nae het beuel Gods achten ende lief hebben, ons met alle manierlijckheyt, eerbewijsinghe, ghehoorsaemheyt, dancbaerheyt, dienstbaerheyt ende ootmoedicheyt tot haar draghen, ende sonderlinghe als wijse in haer ellendicheyt, onderdom ende cranckheyt helpen ende handtreykinghe doen, nae ons vermoghen als sijt behoeuen.

Vraghe (49).

Segt doch doorsake waer omme?

Antwoorde. (18b)

Ouermits dat het redelijck is, na dat sij ons met smerten voortghebracht ende mit groote moyte, sorghe ende aerbeyt opghehonden ende gheuoedt hebbē, dat wijse eeren, haer aermoede, ouderdō ende ellendicheyt ooc mit diēst eñ vrientschap onderhouden.

Vraghe (50).

Hoe wordt dit ghebot ouerghetreden?

Antwoorde.

Als wij Vader eñ Moeder nut onser herten hoouerdicheyt, teghen God verachten, onghehoorsaem ende ondancbaer sijn, ende als wijse, ghelijc het voorgheseyt is, in allen niet oedmoedelijck eeren, onderhouden ende dienen.

Vraghe (51).

Wie sullen wij al onder den (19a) name des vaders ende moeders verstaen?

Antwoorde.

Alle de ghene die de Heere ouer ons ghestelt heeft, als in sonderheyt onse ouders sijn eñ daernae die ons in de stede

[1]) Ed. 1553 huius quoque mandati reliqua verba lectori addenda committit.

Exod. 20. 1 Petr. 2. Roma. 13. Philip. 2. 1 Thessa. 5. Hebre. 13. 1 Timo. 5.

item magistratus noster, Ecclesiae ministri, herus denique noster et domina nostra, imo omnes homines, a quibus aliquod beneficium accipimus, qui nos in nostrum commodum docent, consiliis nobis adsunt, exhortantur nos, castigant et inopiae nostrae subveniunt, denique ab iniuria nos tuentur, quibus omnibus reverentiam, obedientiam atque officium debemus iuxta Dei ordinationem atque mandatum.

Interr. 52. (19[b])

Quid significat addita illa promissio longae prosperaeque vitae in hoc praecepto?

Resp.

Ephes. 1, 6. Levit. 20. Deut. 27. Prover. 30. 1 Sam. 3, 4. Deut. 21.

Fas esse, eos sub bono, Christiano regimine ac pace eum honore et bona valetudine diu vivere et honestam beatamque habere senectudinem, qui a pueritia inde consueverint unicuique modestum se, utilem, subditum et obedientem praebere. Quemadmodum contrarium quoque in contumacibus reperitur, qui in vita sua ante iustum diem auferuntur et moriuntur, iuxta vulgare proverbium: Qui patri suo obedire (20[a]) recusat, obediat carnifici.

Interr. 53.

Num igitur patri et matri et qui sub eorum nomine comprehenduntur, in omnibus dicto audientes erimus, quaecunque nobis iniungant?

Resp.

2 Sam. 19. Math. 10. Dan. 2, 6.

Non ita. Nam si quid nobis imperent contra verbum ac voluntatem Dei, in praecepto de parentum obedientia hoc non comprehenditur.

Interr. 54.

Quid hoc?

Resp.

Actu. 5. Math. 27. Exod. 22. Psalm. 82.

Nimirum iuxta exemplum Apostolorum Deo magis obedire nos oportet quam hominibus, etiamsi (20[b]) per nostram obedientiam magna tristitia magnoque dolore afficerentur. Deus enim omnium supremus Pater est ac Dominus, cui omnis caro subiecta est, qui etiam hac tantum fine omnes patres ac dominos prae ceteris hominibus extulit, nomenque suum eum iis, ut Dei appellarentur, communicat, ut veram sui obedientiam suumque cultum promoveant, non autem impediant — ob hanc igitur causam talis contra Deum obedientia non iubetur sed vetatur.

onser ouders regieren, als die vā oñse maeschap sijn, voechden, schoelmeesters, item onse ouerheyt, der Ghemeinten dienaer, ende onse werdt ende werdinne. Jae alle menschen daer wij eenighe weldaet af ontfangben, die ons ten besten leeren, raden, vermanen, straffen, ende onse noodtdruft besorgen, ende ons voor onrecht bescbermē, den welcke wij alle eere ghehoorsaemheyt ende dienst schuldich sijn uut Gods ordinancie ende ghebot.

Vragbe (52). (19b)

Wat bediet die aenbangbende beloftenisse des lanex ende goet leuens, bij dit ghebot?

Antwoorde.

Dat se met rechte onder goede Christelijcken regimente ende vrede, mit eeren ende gbesontheyt, langhe leuen sullen, een eerlijck ende salich ouderdom hebben, die haer van de ionckheyt aen ghewenden eenen yeghelijcken oedtmoedelijck tot goet onderdanich ende ghehoersaem te sijn. Ghelijckerwijs de contrarie in den onghehoersamen oock beuonden werdt, dat sij in haer leuen voor haer rechte daghen wech ghenomen werden, ende steruen, nae het ghemeyn spreeckwoordt, Die sijn vader nyet (20a) ghehoersaem wilt sijn, die moet den dief hangher gheboirsaem wesen.

Vraghe (53).

Sullen wy dan vader ende moeder ende die daer onder begrepen sijn in al wat sij ons ghebieden gehoorsaem sijn?

Antwoorde.

Neen wij. Want ist dat sij ons yedt gbebieden dat teghen dwordt eñ wille Gods is, dat werdt in dit gbebot van der ghehoorsaemheyt der ouderen nyet begrepen.

Vraghe (54).

Hoe so?

Antwoorde.

Want men moet nae het exempel der Apostelen, Godt meer ghehoorsaem sijn, dan den menschen, al waert schoon (20b) dat se door onse onghehoorsaemheyt groot verdriet ende smerte hebben souden. Want God is de alder opperste Vader eñ Heere dien alle vleesch onderworpen moet wesen. Die oock tot dien eynde alleen alle Vaders ende Heeren bouen ander menschen verheuen heeft, ende haer synen naem mededeylt, dat se Goden ghenaemt werden, op dat se sijn waerachtighe ghehoorsaemheyt ende dienst veruoorderen ende niet verhinderen: tot dier oorsaken werdt sulcke ghehoorsaemheyt teghen God niet geboden, maer verboden.

Intert. 55.

Quid vetat sextum mandatum?

Resp.

Math. 5. Ne occidas. (21[a])

Interr. 56.

Quomodo hoc iam praeceptum observatur?

Resp.

Roma. 12. Luce. 6. Zacha. 7. 1 Ioan. 3, 4. Ephes. 4. Eccle. 4. Gen. 14. Exod. 2.

Quum proximum nostrum e corde diligimus, comitate ac beneficiis id attestamur, semper pro virili ei antevertimus, tuemur eum ac protegimus, ne ulla inopia, iniuria sive damnum ullum in corpore aut vita ei accidat.

Interr. 57.

Quomodo mandatum illud migratur?

Resp.

Math. 5. Ioan. 3. Math. 5. Roma. 12. 1 Thes. 5.

Quum in corde nostro contra Dei iussum proximo nostro irascimur, odimus eum, ei invidemus, vel aliquod irae odiive indicium dicendo sive agendo contra eum ostendimus, — iniuriam impatienter ferimus ipsique ulciscimur (21[b]) et ita discordiam, rixas, inimicitiam, caedem in proximum nostrum excitamus sive corpori ipsius damnum inferimus, ultione ullo modo eum persequimur, neque ab omni vindicta plane nos continemus.

Interr. 58.

Num igitur iniuria vindicanda non est?

Resp.

Prover. 25. Math. 5. Roma. 12. Luc. 6. Deut. 32. Roma. 12. Exod. 20. Ierem. 32.

Haudquaquam a te. Quinimo tale quid ne cupias quidem (quoad te) in tui gratiam, sed orabis pro inimico tuo et Deum in ordinatione sua progredi patieris. Ei omnis vindicta competit, ille ulciscetur, neque suo tempore malum sine poena dimittet.

Interr. 59.

Num igitur iniuria hic in terra a nemine (22[a]) vindicabitur?

Resp.

Roma. 13. Deut. 13, 19. Num. 15. Levit. 24. 1 Timo. 2.

In hoc Deus magistratum in terra instituit, ut sui loco, quasi speciales sui ministri omnem iniuriam, vim atque dedecus, item omnes in Deum blasphemias avertant atque puniant in Dei gloriam ad sustentendam pacem atque pietatem in Ecclesia.

Interr. 60.

An magistratus ergo numquam mandatum illud excedit?

Resp.

Sine ullo dubio. Sunt enim et ii homicidae, si praeter ius

Vraghe (55).

¶ Welck is dat seste ghebot?

Antwoorde.

Ghi sult niet dooden. (21[a]).

Vraghe (56).

Hoe werdt dit ghebot ghehouden?

Antwoorde.

Wannneer wij onsen naestē van hertē beminnē, sulcx met vriendelijcheyt ende weldadē bewijsē, altijdt nae al ons vermoghen voercomen, weeren, ende bescudden, dat hem geen ghebreck, leedt oft schade aen lijf oft leuen teghen vare.

Vraghe (57).

Hoe werdt dit ghebot ouerghetreden?

Antwoorde.

Als wij int herte tegē Gods ghebot, op onsen naesten toornich sijn, hem haten, benijden, oft eenich teken des toorns of hatens met woorden oft wercken teghen hem bewijsen, dat onrecht ongeduldich (21[b]) draghen, ende selue wreken, ende also tweedracht, twist, crijch, moordt oft schade aen des naesten lichaem, onbehoorlijck aenrichtē, den seluē door wrake in eenigher wijse veruolghen ende ons niet van alle wraeck soeckinghe gansch onthouden.

Vraghe (58).

Sal dan dat onrecht nyet ghewroken werden?

Antwoorde.

Neent van u. Jae, ghi sult sulcx oock nyet begheeren, vā uwentweghē, maer sult voor uwe vianden biddē ende God laeten voort varen in sijn ordinancie: hē staet alle wrake toe, hi salt vergeldē eñ dat quaedt tsijnē tijde niet ongestraft latē.

Vraghe (59).

Sal dan dat onrecht op aer-(22[a])den van gheenen mensche gewroken werden?

Antwoorde.

Hier toe heeft God die ouerheyt op aerden gheordineerd, dat se in sijn stede als sijn sonderlijcke dienaers alle onrecht, ghewelt ende onbehoorlijcheyt, item alle Gods lasteringhen weeren ende straffen sullen, ter eeren Gods, ter onderhoudinghe des vreedts eñ des godsalicheyts in de Ghemeynte.

Vraghe (60).

Treedt dan de ouerheyt dit ghebodt nummermeer ouer?

Antwoorde.

Jaese vrijelijck. Wāt si sijn ooc dootslaghers, als sij nyet met

Esay. 10. Prover. 17. Deut. 19. 3 Reg. 21. 1 Pet. 3.

poenas infligunt nec solius officii causa (non propria vindicta (22b) neque cupiditate ad id adacti), et praecipue si sanguinem innocentem profundunt, sive ab aliis profundi sinunt, sive non omni industria prohibent, ubi prohibere id liceat eos inque eorum sit potestate.

Interr. 61.

Quid est septimum mandatum?

Resp.

Ne sis moechus.

Interr. 62.

Quomodo observatur illud praeceptum?

Resp.

Ephe. 5. Luc. 21.

Quum caste modeste parce et sancte vivimus. Item in verbis et operibus, in edendo et bibendo, vestitu et omnibus actionibus omnes causas impudicitiae et (23a) immunditiae animae et corporis evitamus et effugimus.

Interr. 63.

Quomodo praeceptum illud violatur?

Resp.

Math. 5. Gala. 5. 1 Cor. 10. Ephes. 5. Deut. 23. Levit. 19. 1 Corin. 6. Gala. 5. Ephe. 4, 5. Esa. 5. 1 Petr. 3. 1 Timo. 2.

Quum aliquod stuprum, fornicationem, impudicitiam sive immunditiem in anima aut corpore operibus, verbis sive cogitationibus patramus, sive nos illicito cuidam amori, quocunque tandem nomine praedito, dedimus. Item cum huius peccati causas non vitamus, sed expetimus, quales sunt furiosa symposia, orgia, proterva lascivaque verba vel carmina et vanitates, et quae praeterea heluatio est contra Dei mandatum imtemperanter edendo, bibendo, (23b) vestiendo et quae huius generis sunt, sive actiones, ut impudicae picturae, libri, amatoriae epistolae, omnia denique quibus ullo quocunque modo ad vitae genus illicitum sive immunditiem excitemur.

Interr. 64.

Quid autem dicis de usu vitae connubialis?

Resp.

Hebre. 13. 1 Cor. 7. 1 Cor. 7. Mat. 19. 1 Co. 1, 7.

Concubitum coniugialem, iuxta Dei ordinationem adhibitum, honestum esse declarat Dominus, et laudat eos, qui ita mandatum suum (quae est integra ratio ad caste vivendum) sequuntur, quare omnibus mortalibus, cuiuscunque loci sint, imperatum est, nisi peculiariter a Deo praediti vel a natura ad id non sint (24a) idonei.

rechte straffen vā wegē haerder officien alleene, nyet door (22b) eyghen wrake oft gieriehcyt daer toe ghedronghen, ende bouen al, als sij onschuldich bloet verghieten, oft door ander laten verghieten, oft dat niet met alder nersticheyt weeren, daer se dat weeren mogē ende connen.

Vraghe (61).

Welck is dat seuenste ghebot?

Antwoorde.

¶ Ghi sult gheen ouerspel doen.

Vraghe (62).

Hoe werdt dit ghehoudē?

Antwoorde.

Als wij cuysch, sedich, sober, eñ heylichlijck leuē. Item in woorden ende wercken, etē ende drincken, cleederen, ende in alle handelinghen, alle oorsaken des oncuysheyts ende [1] (23a) onreinicheyts der sielen ende des lichaems mijden eñ schouwen.

Vraghe (63).

Hoe werdt dit ghebot ouergetreden?

Antwoorde.

Als wi eenich ouerspel, hoererie, oncuysheyt, oft onreynicheyt aen siele eñ lichaem met wercken, woorden, oft gedachten bedrijuen, oft ons in eenige onbetamelijcke liefde, hoe si oock ghenoemt mach wesen, begheuen. Item als wi de oorsake deser sonden niet mijden, maer ons daer toe begheuen als tot brasserie, banckettere, schandelijcke, oneerbaer woorden oft ghesanghe ende ydelheyt, ende ander gulsicheyt bouen de insettinghe Gods, in onmatich eten, drincken, clee-(23b)deren, ende dier ghelijckē, oft handelinge, als onreyne schilderie, boecken, boelbrieuen, eñ al tghene daer door wi in eenigher wijse tot een onbehoorlijck leuē oft onreynicheyt verweet mochten werden.

Vraghe (64).

Maer wat segdi van tghebruyck des huwelijckē staets?

Antwoorde.

De huwelycke biwoninghe nae Gods ordinancie ghebruyct, houdt de Heere eerlijck te wesen, ende prijst de gene die also sijn ordinancie (de welcke is den rechten middel om cuyschelijck te leuen) volghen. Waer doer si allen menschē (van wat staet si ooc sijn) gheboden is, ten si dat se sonderlijck van God begaeft oft van naturen weghē daertoe (24a) onbequam sijn.

[1] Ed. a1 1553: *ende aller.*

Interr. 65.

Quid dicit octavum mandatum?

Resp.

Ne fureris.

Interr. 66.

Quomodo mandatum illud observatur?

Resp.

2 Thes. 4. Luc. 6. 1 Cor. 13. Deut. 15. Psal. 37, 112. Math. 5. Lucas. 6. Actu. 20. 1 Cor. 16. 2 Corin. 8. Tob. 4.

Quum unicuique permittimus, suorum bonorum dominum esse omni iustitia et aequitate erga proximos utimur, suum ipsi damus, et omnem diligentiam, uti id licet inque nostra est potestate, iuxta canonem Christianae dilectionis, fideliter adhibemus, ut bona ipsius, opes et negotium adinvemus, promoveamus et conservemus. Item, quum liberales et misericordes ipsi nos praebemus in commodando, (24b) mutuando sive largiendo, pro eo ac penuria ipsius indigeat et nos valeamus, in quem finem unusquisque nostrum pro facultate et vocatione sua diligenter operabitur.

Interr. 67.

Quomodo mandatum illud violatur?

Resp.

1 Thessa. 5. Prover. 20. Ierem. 5. 1 Cor. 3. Thre. 21. Prover. 29. Zacha. 5. Deut. 28. Exod. 22. Levit. 25, Deut. 23. 2 Thes. 5. Ezech. 18. Deute. 8. Mathe. 6. Luc. 12. Philip. 4. 1 Tim. 6. Psalme. 4. Iacob. 5. Ezech. 34. 1 Curin. 17. 2 Cor. 11. 1 Timo. 5. Gal. 5. Rom. 13. Math. 12.

Quum proximi nostri opes ac quaestum contra eius voluntatem auferimus, damnum sive molestiam ei inferimus, quoquo tandem modo fiat, clam aut palam, ut bello, rapiendo, furando, dolis, mentiendo, decipiendo, fenerando, illicito fenori pecuniam dando, coemtione et id genus aliis iniustis et turpibus viis, quibus (25a) omnia nunc repleta sunt. Item, quum sollicitudine temporalis negotii, rerum nostrarum promovendarum studio vel avaritia rationem invenimus pecuniam atque opes in detrimentum proximi nostri adipiscendi, neque emendamus vitia cordis nostri interna omnia, quae vergunt in avaritiam, quae est radix omnis nequitiae. Sed etiam quum dura parcimonia necessarias eleemosynas in commodum egenorum a iusto nostro patrimonio et quaestu non pro virili nostra expendimus. Item quum plus ab Ecclesia possimus et sumimus quam ad frugaliter Ecclesiae ministeria obeunda, et ministros sustentandos requiritur, et similiter quum Ecclesia (25b) solvere id recusat. Sit etiam quum magistratus ineptum portorium sive vectigal (nisi ad patriae salutem id requiratur) a subditis exigit, et subditi quoque pendere id recusant.

Vraghe (65).

¶ Welck is dat achste gebot?

Antwoorde.

Ghi sult nyet stelen,

Vraghe (66).

Hoe wordt dit ghebot ghehouden?

Antwoorde.

Als wij een ieghelijck laetē een heer sijnder goeden wesē.
Alle rechtuaerdicheyt ende redelijcheyt tot onsen naesten be-
wijsen, hem tsijne gheuen, ende alle naersticheyt, waer wi con-
nen oft moghen (nae dē regel der Christelijcker liefdē) trouwe- Exo. 15.
lijck doen, dat wij sijn goet, haue eñ neeringhe helpen beteren
ende bewaren. Item als wi ons mildt eñ bermhertich tot hem-
waert laten be-(24b)uinden met leenan, borghen oft gheuen, nae
dat sijnen noot eysecht ende wi dat vermogen: daer toe wi eē
iegelijck nae sijnen staet ende beroepinghe, gherne ende nerste-
lijck arbeyden sullen.

Vraghe (67).

Hoe werdt dit ghebot ouerghetreden?

Antwoorde.

Als wi ons naesten goet eñ neeringhe, teghen sijnen wille afwenden, eenighe schade oft hindernisse hem daer inne toe brenghen, hoe het oock gesohiede, heymelijck oft openbaerlijck, als met crijge, rooueu, stelen, met valsche listen, lieghen, bedriegen, woekerie, fynantsijen [1]), voorcoop [2]) of dier ghelijcken andere ongerechtichedē ende boose middelen, daer nu (25a) alle handelen vol af sijn. Item als wij door sorghe der tijdelijcker neeringhen, eyghen soeckinghe ende giericheyt raedt nemen om gelt ende goet met schaden ons naesten te verweruen, ende ons van alle inwendighe ghebreken des herten tot de ghiericheyt (die een wortel alder boosheyt is) nyet ontladen. Maer oock door onbermhertighe ghesparicheyt, de noodtdruftighe almoessen voor den armē, van onsē rechtuerdighen erfgoede ende winninghe, nae ons vermoghen nyet uutrichten. Item als men meer van der Ghemeynten vordert ende neemt, dan tot nootdruftighe onderhoudinghe der diensten ende dienaers der Ghemeynten behoort, ende als dat selue oock (25b) van der Ghemeynte ghe-

[1]) *Fynantsijen* latine dedimus per „illicito foenori pecuniam dare", qua significatione passim invenitur cf. NYHOFF, *Gedenkwdhn.* III. 374 coll. II. 310. Quia tamen statim praecedit *woeckerie*, melius forsan redderetur „illicitis quaestibus magnas facere pecunias", qua sensu haud uno loco occurit, cf. GRIMM, *Deutsch. Wörterb.* I. 1639 sq.

[2]) Cf. *Lekenspieghel*, Glossarium in voce.

Interr. 68.

Quid est nonum praeceptum?

Resp.

Roma. 13. Ne testificeris falso contra proximum tuum.

Interr. 69.

Quomodo observatur illud praeceptum?

Resp.

Ephe. 4. Zacha. 8. Psalm. 15. Pro. 10, 11. Gala. 6. Pete. 4. 1 Cor. 13.

Quum in omni vitae agendae ratione, actionibus, verbis atque operibus sine ulla (26a) simulatione veritatem laodamus et eloqoimur, eamque omni fide et diligentia, quantum pro vocatione liceat, tuemur, proximo nostro adsumus in promovendo honore ipsius atque fama, et omne dedecus eius, quasi nostrum esset, tegere parati sumus.

Interr. 70.

Quomodo violatur praeceptum hoc?

Resp.

Exod. 22. Leviti. 18. Prover. 6. Ioan. 18. Deut. 18. Prover. 19. Deut. 1, 16.

Quum contra proximum nostrum mentimur, falso testificamur, sive tale quid ullo modo permittimus vel patimur (sive index sedeas, sive advocatus sis, proloquutor sive testis), et veritatem occultamus simulatione, prava suspicione, incusatione, calumnia, vel omni noxia reticentia aut vociferatione, qoibus (26b) in indicio vel alibi honor ipsius, caput ac nomen detrimentum caperet.

Interr. 71.

Quid est decimum praeceptum?

Resp.

Ne concupiscas domum proximi tui, neque uxorem eius, neqoe servum eius, neque ancillam eius, neqoe bovem eius, neque asinum eius, neque agrum ipsius, nihil denique quod proximi tui est concupisces.

Interr. 72.

Quomodo praeceptum illod observatur?

Resp.

Rom. 7. Mathe. 5. Deut. 10. Ephe. 4. Colosi. 3.

Hocce praecepto reliqua omnia praecepta prioris et alterios tabulae declarantur et explicantur. Observatur, (27a) quum penitus amore Dei et proximi nostri praediti, in corde nostro liberi et vacui sumus ab omni prava concupiscentia, numquam aliquid cupimus, cogitamus vel in animum inducimus, nisi

weyghert werdt. Diesghelijcken als die ouerheyt onbehoorlijcken tol ende accissen (tē ware dat sij dat, tot des landts profijt behoefden, van haer ondersaten vordert, ende de ondersaten dat selue oock weygheren te gheuen.

Vraghe (68).

¶ Welck is dat neghenste ghebot?

Antwoorde.

Ghi sult gheen valsche ghetuigenisse spreken tegen uwē naesten.

Vraghe (69).

Hoe werdt dit ghebot ghehouden?

Antwoorde.

Wanneer wi in al ons leuē, handelinghe, woorden ende wercken sonder eenighe ghe-(26a)ueynstheyt de waerheyt louē ende spreken, ende die met alle trouwe ende nersticheyt, so veel wi nae onsen roep vermoghen, [1]) onsen naesten sijn eere ende faem helpen veruoorderen ende alle sijn schanden als onse eyghen bedecken.

Vraghe (70).

Hoe werdt dit ghebot ouerghetreden?

Antwoorde.

Als wi teghen onsen naestē liēghen, valsche ghetuygenisse tegen hem spreken, oft die in eenigher wijse bewillighen oft toe laeten, het sij oock rechter, voerspreker oft getuyge ende de waerheyt verswijgē met gheueynstheyt, quade suspicien, beschuldinghe, achterclap, oft met alle schadelijck verswijghen, oft spreken, het (26b) si int ghericht oft elders daer door sijn eere, faem, ende naē bescadicht mochte werden.

Vraghe (71).

¶ Welck is dat thiende gebot?

Antwoorde.

Ghi sult u nyet laten lusten uus naesten huys [2]), noch sijnder huysurouwen, noch sijns knechts, noch sijnder maghet, noch sijns ossē, noch sijns esels, noch sijns ackers, noch oock al wat uus naasten is sult ghi nyet begheeren.

Vraghe (72).

Hoe werdt dit ghebot ghehouden?

Antwoorde.

Met dit ghebot werden alle andere geboden der eerster eū der ander tafel, verclaert ende uutgheleyt, ende werdt (27a) ghehouden als wi ganschelijck met der liefde Gods ende ons naesten begaeft, int herte vrij ende ledich sijn van alle boose begheer-

[1]) Ed. ai 1553 merito inseruit: *voerstaē*. [2]) Ib. reliqua omittuntur.

qnod Dei voluntati est consentaneum. Namque in omnibus rebus tam perfectos oportet nos esse, quam Adamus, antequam Dei mandatum violasset, quin imo tam coelestes, quam Angeli Dei.

Interr. 73.

Quomodo hoc mandatum violatur?

Resp.

Roma. 7. Qnum pravas quasdam cupiditates et propensiones habemus versus ea, qnae cnm Dei voluntate non conveniunt, et animo aliquid volvimus aut snscipimus (quantulumcunqne sit (27[b]) quamque necopinato subiens)quod cum Dei puritate et sanctitate consistere nequit. Quare, si tale quid nobis anbiisse perspectum intellectumque nobis sit, non dubitabimus a Deo in hoc praecepto damnatum id esse.

Interr. 74.

Nonne licet haec Dei praecepta compendio comprehendere?

Resp.

Math. 22. Luc. 10. Deut. 5. Luc. 5. Roma. 13. Gala. 5. Math. 7. Omnino, nimirum: Diliges Deum Dominum tuum toto corde, tota anima, toto pectore et totis viribus. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Omnia quaecunque vultis, ut faciant vobis homines et vos facite illis. Hisce omnia Dei (28[a]) praecepta continentur, imo tota lex et prophetae.

Interr. 75.

Sed qnis proximus noster est?

Resp.

Luc. 10. Luc. 6. Gala. 5, 6. Omnes qnilibet homines, sive amici sive inimici sine ullo discrimine, qui apud nos vivunt ac habitant, vel alio quodam modo a Domino nobis adiunguntur et nos desiderant, quibus omnibus pro virili nostra serviemus, opitulabimur et adsistemus.

Interr. 76.

An igitur sine discrimine omnibus pariter bene faciemus?

Resp.

Luc. 6. Esay. 56. Gala. 6. 2 Cor. 8. 1 Timo. 5. Gal. 6. Actu. 4. Ephesi. 1. Omnino, dum (28[b]) potes, nnicuique subvenies. Quod tamen si praestari a te nequit, cor nihilominus omnibus patebit, et quibnscunque ullo modo carere possis in frugali tua et Christiana sustentatione, in hisce distribuendis hanc tenebis viam et distinctionem, quae in Scriptnris adnotatur, nempe ut dilectio tua in primis propriae familiae tuae voveatur, ut et amicis tuis et affinibus et domesticis fidei.

ten, nummermeer begheeren, dencken noch int herte voor nemen, dan dat dē wille Gods ghelijckformich is. Want in allen dinghen behooren wi so volmaect te wesen, als Adam, eer hi des Heeren ghebot ouertradt, in so hemelsch als de Enghelē Gods.

Vraghe (73).

Hoe werdt dit ghebot ouerghetreden?

Antwoorde.

Als wi eenighe boose lustē ende ghenegentheden hebbē, tot het ghene dat met den wille Gods nyet ouer een coemt, eñ wat int herte dencken eñ voor nemē [1]) (hoe cleyn het ooek (27[b]) si, oft hoe onuersiens het come) dat met de reynicheyt ende heylicheyt Gods niet staen mach. Daerōme als wi sulcx ghevoelen, weten, ende verstaen, sullen wi nyet twijfelen dat het in dit ghebot van God verdoemt is.

Vraghe (74).

Mach men dese gheboden Gods nyet wel in een cort begryp beuanghen?

Antwoorde.

Ja wel, namelijck, Ghi sult God uwen Heere lief hebben uut gansscher herten, uut gansscher sielen, uut ganschen ghemoede eñ uut alle uwe craehten. Ghi sult uwen naesten lief hebben als u seluen. Al wat ghi wilt dat u de lieden doen sullen, dat doet ghi haer ooek, hier sijn alle ghebodē Gods (28[a]) in begrepen, in de gāsche wet ende Propheten.

Vraghe (75).

¶ Maer wie is onse naeste?

Antwoorde.

Alle menschen, si sijn vrienden oft vianden, sonder eenich onderscheydt, die bi ons lenen ende wonen, oft ons anders van den Heere toegeschict werden, ende ónser van noode hebben, dien wy allen dienen ende nae ons vermögen trouwelyck helpē ende bi staen sullen.

Vraghe (76).

Sullen wi dan een ieghelijck sonder onderscheyt euen wel doen?

Antwoorde.

Ja, als ghi cont sul di [2]) eenen (28[b]) yeghelijcken helpē. Maer eest by aldien, dat het van u nyet geschien can, so sal nochtans u herte tot allen staen, ende dat ghi [3]) immermeer ontbeeren cont van uwe noodelycke ende Christelijcke onderhoudinghe, sult [4]) die ordinancie ende dat onderscheyt houden,

---

[1]) Ed. a[i] 1553: *ende voernemen.* [2]) Ib. *dij.* [3]) Ib. *in al dat ghi.*
[4]) Ib. *sult* omittitur.

Interr. 77.

Quid iam dicit Dominus de iis qui mandata illa violant aut observant?

Resp.

Exo. 20. Loquitur, ut scriptum (29[a]) exstat in secundo praecepto: Ego sum Dominus Deus tuus, potens nec patiens contumeliam, visitans peccata patrum in filios usque ad tertiam et quartam generationem eorum qui me oderunt. Facio autem misericordiam et amicitiam in millia genera, eorum qui me diligunt et mandata mea observant.

Interr. 78.

Quid vult Deus Dominus verbis illis?

Resp.

Psalm. 5.
Roma. 1.

Verbis illis severam, aeternam atque immutabilem suam iustitiam ob oculos vult ponere, quanti quamque magni omnia haec sua praecepta aestimet, minimum cum maximo, ut sic omnis (29[b]) caro timere eum, diligere eique obedire discat.

Interr. 79.

Potestne etiam homo ex se ipse legi Dei satisfacere eamque implere, ut coram Dei iudicio consistere, beatam vitam salutemque exinde adipisci queat?

Resp.

Roma. 3, 5.
Gala. 2.
Mathe. 5.
Ge. 6, 8, 11.
Ierem. 17.
Iob. 14, 15.
Ioan. 3.
Rom. 5, 7, 8.
1 Corin. 2.
Ephe. 2.
Ioan. 3.
Tit. 3.
Roma. 3, 8.

Minime eheu! Frustra enim Dei filius venisset ad eam implendam, si homo ad id valuisset. Sed, cum natura nostra tam prorsus corrupta esset, ut nil nisi peccare ex se posset, Deus mera misericordia unicum suum filium misit, ut pro nobis (30[a]) impleret, quod ipsi nullo modo potuissemus.

Interr. 80.

Nonne igitur homo sic libera voluntate a Deo praeditus est, ut peragere hoc queat?

Resp.

Gala. 2, 5.
Eccle. 15.
Ephes. 4.
Roma. 5,
1 Cor. 15.
Ephe. 9.

Initio ante lapsum primus homo quidem sic a Deo creatus erat, sed vero Adami inobedientia atque peccato libera haec voluntas in nobis omnibus periit.

dat in de schriftueren aenghetcekent wordt, namelyck dat uwe liefde voor al bewesen worde aen u eyghen huysghesin, mits gaders uwe vrunden ende maghen, ende aen de huysghenoten des gheloofs.

Vraghe (77). [1]

Wat seyt nu God van dien, die dese sijne gheboden ouertreden oft houden?

Antwoorde.

Hi spreect gelyck als int (29ᵃ) tweede ghebot geschreuen staet, Ick ben de Heere uwe God sterck eñ yelous. Ic straf jede boosheyt der vaderẽ aen den kindereu, tot in dat derde ende vierde gheslachte aen allen die mi haten. Maer ick bewijse hermherticheyt ende vrientschap in dusent geslachten der gheender die mi lief hebben ende mijn gheboden houden.

Vraghe (78).

Wat wil God de Heere hier mede?

Antwoorde.

Hi wilt ons mit dese worde syn stranghe eewighe ende onueranderlyoke gherechticheyt voor ooghen stellen. Hoe groot ende hooghe hi alle dese sijne gheboden acht, de meeste mit de minste opdat also alle (29ᵇ) vleesch hem leere vreesen, beminnen eñ ghehoorsaem sijn.

Vraghe (79).

Vermach oock een mensche door hem seluen Gods wet ghenoech doen ende die also vernullen: dat hi voor Gods ghericht bestaen, vromicheyt ende salicheyt daer door verorijghen mach?

Antwoorde.

Och neen. Want te vergeefs waer de Sone Gods gecomen, om die te veruullen, waert dat het de mensche had moghen doen. Macr doe onsen aert ende nature so ganschelyck verdoruen was, dat se uut haer niet anders conde, dan sondighen, heeft Godt door louter bermherticheyt sijnen eenighen Sone ghesonden op dat hi voor ons ver-(30ᵃ)uulde, det wy in gheender wijse vermochten.

Vraghe (80).

Is dan de mensche niet van God also met de vryen wille begaeft, dat hi dat doen can?

Antwoorde.

Int beghin voor de sonde was de erste mensche also van God gheschapen. Maer door Adams onghehoorsaemheyt ende sonde is deeen vryen wille in ons allen vorloren.

[1] Haec Catechismi pars in ed. a. 1553 inscribitur: *Van de cracht des wets.*

Interr. 81.

Quomodo hoc intelligam?

Resp.

Nimirum imago ac similitudo Dei, ad quam homo initio creatus erat, simul cum omni ad bonum proclivitate in eo periit.

Interr. 82. (80b)

Quomodo hoc intelligam?

Resp.

Ephe. 4. Gene. 2. Psal. 8. Eccle. 15. Gene. 3. 1 Cor. 15.

Haec initio Dei in Adamo imago erat, quod erat immortalis, sanctus, sapiens, totius orbis dominus, libertate atque potentia sic praeditus, ut Dei mandata aut prorsus peragere aut omittere posset. Hanc autem Dei imaginem in se et in nobis omnibus adeo peccato suo corrupit, ut omnia dehinc ad bonum vergentia dona in ipso et in nobis quoque omnibus prorsus interierint.

Interr. 83.

Quomodo Adami transgressio nobis obesse potest?

Resp.

Roma. 5. Psal. 15. Roma. 7. Ephe. 2. Ioan. 3.

Tunc omnes adhuc in Adami lumbis conclusi eramus, qui postea nos meliores, quam ipse tunc erat, progignere (81a) non poterat, nempe perversa, peccatrici indole atque natura. Unde iam fit, nos non tantum in utero matris in peccato concipi, sed etiam peccati servos iraeque filios nasci, neque natura nostra intelligentiam, propensitatem neque voluntatem habere ullam, quae ad Dei mandata nos adducat, adeo ut quoque natura nostra nil nisi peccare possimus.

Interr. 84.

Num igitur homo a peccatis se continere eaquo omittere non potest?

Resp.

Philip. 3. Roma. 7.

Si externa peccatoria opera spectamus, ut maledicere, occidere, moechari, furari, inebriari et id (81b) genus alia, partim potentia nobis indita est per innatas naturales vires (omni industria nobis eo nitentibus — quod et debiti sano nostri est) ab eiusmodi peccatis nos continendi. Si vero peccata intueri volumus iuxta internam naturae nostrae perversitatem, numquam sine peccato esse possumus. Imo nil nisi peccare possumus, quamdiu hic vivimus.

Vraghe (81).

Hoe so?

Antwoorde.

Want de beelde ende ghelijckenisse Gods, daer de mēsche int beghin nae gheschapen was, is in hē, met alle sijne gauen, tot den goeden gantschelijck onderghegaen. [1])

Vraghe (82). (30[b])

Hoe sal ik dit verstaen?

Antwoorde.

Dit was īnt beghin Gods beelde in Adam, dat hi was onsterfelijck, heylich, wijs, een heere des gātschen weerelts, mit vrijheyt ende macht also begaeft, dat hi de gheboden Gods gantschelyck volbrenghē oft laten conde. Maer dese beelde Gods heeft hi door sijn sonde in hem ende in ons allen so verdoruen, dat alle sijn gauen daer door in hem ende oock in ons allen, ganschelijck tot alle goet ghestoruen sijn.

Vraghe (83).

Hoe can ons Adams ouertredinghe hinderen?

Antwoorde.

Wy waren doē noch alle in Adams lendenē besloten, die ons daer nae nyet beter voort (31[a]) brenghen conde, dan hi selue was, namelyck mit verdoruender sonderlycker [2]) aert ende nature. Daer uut comet dan, dat wy nyet alleene in den lichaem des moeders in sondē ontfanghen, maer oock knechten der sonden ende kinderen des toorens gheboren werden, noch verstandt, lust oft wille inde gheboden Gods van natuerē hebben: also dat wij oock unt ons seluen nyet dan sondighē connen.

Vraghe (84).

Can dan de mensche hem van de sonden nyet onthoude ende de sonde laten?

Antwoorde.

Eest dat wy de uutwendighe sondelijcke wercken aensien, als vloeken, dooden, eebreken, stelen, drincken ende (31[b]) dier ghelijcken, so vermoghen wij eens deels, uut aengheboren natuerlijcke crachten (ons beste daer toe doende) ende sijn oock alleeins sculdich ons van sodanigen sonden te ontbonden. Maer eest dat wij de sonde willen achten ende aensien nae de inwendighe verdoruenheyt onser naturen, so connen wy nummermeer sonder sonde syn. Ja wij connen nyet dan sondighen so langhe wy hier leuen.

[1]) Ed. ai 1553: *tonderghegauen*. [2]) Ib. *sondelicker*.

Interr. 85.

Quid? Legi igitur non satisfacimus, si extrinsecus a peccatis nos continemus?

Resp.

Deut. 6, 10, 11, 26. Math. 22. Iere. 17. Roma. 7. Gala. 5. Haudquaquam ullo modo. Externa enim pietatis specie Deus contentus (32a) non est, sed vero cor desiderat, quod inpenetrabili infectum est malitie, qua fit ut legem, quae spiritualis est, ad plenum observare non possit.

Interr. 86.

Quum autem Dei lex iis qui observant eam in vitam, iis vero qui eam violant in mortem tradita est, et probe sciebat Deus, nos propter carnis infirmitatem legem observare non posse, cur ergo legem nobis dedit?

Roma. 8.

Resp.

Tres scriptura docet caussas.

Interr. 87.

Quaenam prima est?

Resp.

Roma. 3. Ut sic nobis Deus imaginem ad quam (32b) initio creati eramus, et praeterea etiam perversam naturam nostram, in quam nunc relapsi sumus, veluti in speculo poneret ob oculos et indicaret.

Interr. 88.

Quomodo hoc fit?

Resp.

Lex nobis pristinam nostram creationem ob oculos ponit, quum initio homo sic creatus erat, quemadmodum in lege sua Dominus id exigit. In qua nunc etiam perversam naturam nostram apprehendere debemus, quum longe aliter animati atque propensi sumus, quam in lege nobis praescriptum est.

Roma. .

Interr. 89.

Quid nobis prodest, e lege nos id (33a) percipere?

Resp.

1 Ioan. 1. 1 Timo. 1. Roman. 3. Gala. 3. Mat. 18. Luke. 17. Rom. 3. Ephe. 2. Ut apprehendamus, quales nunc simus, nempe peccatores et damnati, Dei debitores, qui numquam solvere possimus, sed in aeternum debitores remaneamus, ut sic, omni in nobis coacta contumacia, semper debiti nostri memores simus, quoties diligenter ei attendamus.

Vraghe (85).

Hoe? Doen wy der wet niet ghenoech, als wy ons uutwendich [1]) van sonden onthonden?

Antwoorde.

Neen wy in gheender wijse. Want God onse Heere met dē schijn der untwēdigher vro-(32ª)micheyt niet te uredē is, maer begheert dat herte, dat van ongrondelycker boosheyt is, waer by het nyet vermach de wet, die geestelijck is, te volbrenghen.

Vraghe (86).

Nae dat de wet van God den onderhouders ten leuen, ende den ouertreders ter doot gheghenen is, ende God wel wiste, dat wy, ouermits de swacheyt ons vleesch, de wet nyet conden houden, waērom heeft hij se dan ons ghegheuē?

Antwoorde.

De Scrifture gheeft drie oorsaken te kennen.

Vraghe (87).

Welck is de eerste?

Antwoorde.

Dat Godt ons daer mede die beelde, nae de welcke wy (32_b) eerst gheschapen waren, ende daer beneuen oock onse verdoruen nature, daer in wij nu gheuallen sijn, als in eenen spieghel voor ooghen stellen ende te kennen ghenen soude.

Vraghe (88).

Hoe gaet dat toe?

Antwoorde.

De wet Gods stelt ons onse eerste scheppinghe voor ooghen, nae dat de mensche int beghin also gheschapen was, als de Heere inde wet is eyschende. In de welcke wij nu oock onsen verdoruē aert sien moeten, na dien dat wij niet anders gheaerdt [2]) ende gheneghen sijn, dan ons in de wet voorghescreuen is.

Vraghe (89).

Wat nutticheyt brenghet ons dat wij sulcx uut de wet (33ª) bekennen?

Antwoorde.

Dat wy leeren wat wij nu sijn, namelijck sondaers ende verdoemde lieden, Gods sculdenaers, die nummermeer betalen connen, maer eewelyck sculdich bliven, op dat also alle vermetentheyt in ons bedwōghen sijnde, wij altijts ons scults [3]) vermaent werden, so dickmael als wij daer nerstelyck op denoken.

---

[1]) Ed. ai 1553: *uutwēdelick.* [2]) Ib. *gheaert.* [3]) Ib. *seluen.*

Interr. 90.

Quaenam secunda causa est, cur data sit lex?

Resp.

Gala. 3. Hebre. 7. Roma. 8. Esa. 53.

Ut nos (perversam naturae nostrae indolem iam confitentes) veluti ludimagister ducat ad Christum Salvatorem, qui est (33ᵇ) legis finis, eamque nostrum loco prorsus adimplevit, quum perversa nostrae naturae indole debilis esset.

Interr. 91.

Quomodo lex ludimagister est, ducens nos ad Christum?

Resp.

Levi. 19, 25, 26. Deu. 27, 28. Gala. 3. Rom. 10. Roma. 3. Heb. 4, 7. Roma. 8. Gala. 3, 4. Roma. 2. Hebr. 4. 1 Ioan. 2. Rom. 10.

Lex vitam pollicetur iis omnibus, qui eam observant, et qui violant, damnat. Quum igitur nemo mortalium observaverit eam, sed Christus solus nostram condemnationem sua morte luerit vitamque sua meruerit impletione, lex causae nobis est, imo nos omnes, qui nunc vivere et avertere nostram velimus condemnationem, cogit, (34ᵃ) apud Christum, veluti unicum Salvatorem et gratiae solium, opem quaerere, quum ipse legis finis est.

Interr. 92.

Quid nobis prodest agnoscere, Christum legis finem esse?

Resp.

Roma. 5. Ephe. 2. Gala. 3. 1 Cori. 1. Colossi. 1. Rom. 8.

Peccatrix conscientia nostra eo consolatur, tranquillatur et pacificatur, quum fide cernimus, Christum nostrum omnium impletionem esse, eum cum omnibus, quae acquisivit, nostrum esse plane, in quo nulla condemnatio esse potest.

Interr. 93.

Quaenam tertia causa legis est?

Resp. (34ᵇ)

Roma. 2. 2 Peter. 2. Mat. 25.

Ut lege omnes mortales docerentur, in aeternum condemnari, qui talia tamque ineffabilia Christi Domini beneficia contemnant, calumnient et habeant ludibrio. Tales enim in se provocant Dei iram in patefactione iusti Dei iudicii, quod ad legis normam exigetur.

Interr. 94.

Quem fructum nobis hoc adfert, recte et probe id perspectum nobis habere?

Resp.

Priore loco ea re incitamur ad gratias Deo agendum, qui misericordia sua in Christo ab impiorum communione et malitie

Vraghe (90).

Welck is die ander oorsake daer om de wet ghegheuen is?

Antwoorde.

Op dat sy ons (als wij nu de verdoruen aert onser naturen bekennẽ) als een schoelmeester, leyde tot Christum den Salichmaker, die des wets (33b) eynde is, ende die in onse plaetse gantschelijck veruult heeft, daer se door den verdoruen aert ons vleeschs swack [1]) was. Rom. 8.

Vraghe (91).

Hoe is de wet een schoelmeester ende leydt ons tot Christum?

Antwoorde.

De wet beloeft dat leuen allen den ghenen, die se houden, ende verdoemt den ghenen die se onertreden, nao dan dat se niemant die hier leeft ghehouden heeft, maer Christus alleene, onse verdoemenisse door sijn doot betaelt ende dat leuen door sijn veruullinghe verdient heeft, so geeft de wet oorsake, ia dwingt allen den ghenen, die nu willen leuen ende nyet verdoemt (34a) sijn, by Christũ, als by den eeuighen Salichmaker ende ghenaeden troon, hulpe te soekẽ, ouermits dat hy des wets eynde is.

Vraghe (92).

Wat profiteert ons te bekennẽ, dat Christus des wets eynde is?

Antwoorde.

Daer door wert onse sondighe conscientie ghetroost, ghestilt ende beuredicht, als wy door het gheloone sien, dat Christus onser aller veruullinghe is, dat hij met al wat hij verworuen heeft, gansch onse is, inden welcken gheen verdoemenisse wesen can.

Vraghe (93).

Welcke is de derde oorsake des wets?

Antwoorde. (34b)

Op dat wij wisten dat door de wet, alle menschen eewelijck verdoempt werden, die sulcke onuutsprekelijcke weldaden Christi ons Heeren verachten, lasteren ende bespotten. Want de selue vergaderen op haer den tooren Gods, inde openbaringhe des rechtuerdigẽ gherichts Gods dat nae de wet ghehouden sal werden.

Vraghe (94).

Wat vrucht bringht ons dit, alst recht eñ wel bekent is?

Antwoorde.

Ten eersten werden wij daer door verwect tot dancksegginghe

[1]) Ed. al. 1553: *swacke*.

salvavit nos, qui ceteroquin (85[a]) natura nostra similes iis essemus.

Math. 7. Luce. 6. Galath. 6. Itē Math. 25. 2 Cor. 5. Altero loco etiam horribilis poena, quae Christi contemptores sequetur, adhortatur nos omnes antevertere peccatum omnemque transgressionem, ne tam vehementer in nobis erumpat. Item legi Dei omni industria obedire ne eiusmodi poenis involvamur.

Interr. 95.

Nonne prorsus atque ab omni parte a lege liberavit nos Christus?

Resp.

Roma. 6. Hauddubie liberavit, adeo ut propter hanc causam Paulus dicat, nos non amplius sub lege, sed sub gratia (35[b]) esse.

Interr. 96.

Cur igitur lex nos hortatur obligatque ad legis obedientiam, quum liberi a lege neque amplius sub lege sumus?

Resp.

Gal. 5. Probe (neque carnaliter) libertas illa intelligenda est.

Interr. 97.

Quid hoc?

Resp.

Math. 5. Luc. 16. Math. 5. Gala. 3. Nimirum Christus nos non equidem a legis obedientia liberavit, ut scil. facere nos liceret, quod in lege (quae est aeterna Dei voluntas) vetatur, (a qua ne vel apiculus unquam cadet) sed tantummodo a legis (36[a]) condemnatione salvavit nos.

Interr. 98.

Quomodo hoc intelligam?

Resp.

Gala. 3. Roma. 8. Esay. 53. Roma. 5. Nimirum pro nobis maledictum factum est et pro nobis implevit, quod ipsi prae naturae nostrae perversitate non possemus, quam ob rem legis maledictum in nos omnes ceciderat.

Interr. 99.

Etiamnum igitur ad legis observantiam alligati sumus?

Resp.

Omnino semper et multo magis nunc, posteaquam Dei filius, homo natus, pro nobis passus est, ut nos ita gratitudinem nostram pro tanto amore, tam large nobis praestito, (36[b]) erga

Gods die ons door sijn bermherticheyt in Christo van der godloosen ghemeynschap ende boosheyt verlost heeft, ons die daer an-(35a)ders van onser naturen weghen haer ghelijck sijn.

Ten anderen werden wy oock door de grouwelijcke straffe, die den verachters Christi volghen sal, vermaent, dat wij alle sonde ende ouertredinghe voorcomen: dat se nyet gheweldich in ons uutbreken. Item dat wy der wet Gods met alle nersticheyt ghehoorsaem sijn, op dat wij sulcker straffe nyet mede deelachtich werden.

Vraghe (95).

Heeft ons Christus nyet gansch ende gheheel van der wet gheuryt ende verlost?

Antwoorde.

Ja hi ontwyfelijck so dat tot dier oorsaken Paulus seyt, dat wy nyet meer onder de wet, maer onder de ghena-(35b)de syn.

Vraghe (96).

Waerom werden wy dan door de wet vermaent ende ghehouden tot de ghehoorsaemheyt der wet [1]), nae dat wy vry ende nyet meer onder de wet sijn?

Antwoorde.

Dese vrijheyt moeten wij recht, ende nyet vleeschelijck verstaen.

Vraghe (97).

Hoe dat?

Antwoorde.

Want Christus heeft ons nyet verlost van des wets gehoorsaemheyt, dat wy souden moghen doen dat inde wet (welcke Gods eewighen wille is) verboden werdt, daer nyet een titelkē af vallē mach, maer alleene, van des wets (36a) vermaledidinghe heeft hi ons verlost.

Vraghe (98).

Hoe dat?

Antwoorde.

Want hi is voor ons eenē vloeck gheworden, ende heeft voor ons vervult, dat wy door onser naturen verdoruēheyt nyet vermochten, waerom des wets vloeck op ons allen gheuallen was.

Vraghe (99).

So sijn wij dan noch verbonden de wet te onderhouden?

Antwoorde.

Ja wij altijts, ende nu veel meer, nae dat de Sone Gods mensche gheboren, voor ons gheleden heeft, op dat wij also onse

[1]) Ed. al. 1553: *des wets.*

Mar. 16. Psalm. 5. Luc. 14. Deum Dominum nostrum declararemus aeternaeque elaberemur condemnationi, casurae ceteroquin in omnes ingratos Divinaeque misericordiae contemptores.

Interr. 100.

Qua in re ergo iam illa libertas a lege consistit, quam in Christo habemus?

Mal. 1. Dani. 9. Collo. 2. Ephe. 2. Gal. 4. Act. 15. Colo. 2. Heb. 7, 10. Colo. 2.

Resp.

Priore loco, quod Christus nos liberavit ab omnibus externis Iudaicis et ceremonialibus institutis, quae ad internum hominem non faciunt; quum enim figura in Christum erant, in ipso expleta sunt.

Interr. 101.

Quid porro ad illam pertinet?

Resp.

Ioan. 8. Roma. 8. 1 Cor. 1. Ephe. 1. Colo. 1. Roma. 8. Altero et quidem praecipuo loco (37[a]) libertas haec in eo consistit, nos, — etsi legi fidei atque dilectionis a nobis non satisfiat — nihilominus tamen in iudicio Dei per Christum non aliter reputari, quam si omnia implevissemus, adeoque nunc in legis obedientia nos, non tanquam servos, sed tanquam haeredes laete atque hilariter ambulare, Christi repletos spiritu.

Interr. 102.

Quomodo hoc fit?

Resp.

Libere in legis obedientia obambulantes, quandoquidem scimus omnem eius condemnationem, omne maledictum omnemque poenam per Christum nobis ademtam esse, etiamsi eam (37[b]) non plenam praestemus.

Interr. 103.

Sed quomodo laete ac hilariter in lege ambulamus?

Resp.

Ephe. 1. Colo. 1. 1 Cor. 1. Quum certo scimus, Christum imperfectam nostram obedientiam, non secus atque si absoluta esset, coronare atque remunerari, nosque, etiamsi in nobis peccatores simus, coram Dei iudicio pro sanctis dilectisque filiis reputari, quatenus pro virili portione obedientiam nostram per fidem in Christum omni industria promoveamus. (38[a])

danckbaerheyt voor sulcke liefde, die ons so rijcklyc bewesē (36[b]) is, tot God onsē Heere bewysen ende de eewighe verdoemenisse ontgaē, die anders op alle ontdancbaren ende verachters der goetheyt Gods vallen sal.

Vraghe (100).

Waer in staet dan nu dese onse vryheyt des wets, die wi in Christo hebben?

Antwoorde.

Ten eersten, dat ons Christus van alle nutwēdige Joodsche ende ceremonische settingē, die den inwendigen mēsche nyet aengaen, vry ghemaect heeft. Want nae dien dat se een figure warē op Christum, so sijnse in hem verunlt.

Vraghe (101).

Waer staet se meer in?

Antwoorde.

Ten anderen en sonderlijc (37[a]) staet dese vryheyt daer in, dat wi (hoe wel dat der wet des gheloofs ende liefden van ons niet genoech gedaen werdt) nochtās int oordeel Gods door Christum, niet anders geacht werden, dan oft wi het al volbracht hadden. Ende dat wi derhaluen in de gehoorsaemheyt des wets, nu nyet als knechten, maer als erfkinderen vrolyck ende met lust wandelen, begaeft mettē geest Christi.

Vraghe (102).

Hoe gaet dat toe?

Antwoorde.

Wi wādelē vrij in des wets ghehoersaemheyt, nae dat wi weten, dat alle haer verdoemenisse, vloeck ende straffe door Christum van ons afgenomen is, al ist oock schōō dat (37[b]) wijse nyet ganschen [1]) volhrenghen.

Vraghe (103).

Maer hoe wandelen wij vrolijck ende met lust in de wet?

Antwoorde.

Als wi sekerlijck weten, dat onse onuolcomen ghehoorsaēheyt, niet anders dan oft se volcomen ware, door Christum ghecroont eñ beloont wordt: ende dat wij (hoe wel dat wij in ons sondaers sijn) voor Gods oordeel heylighe eñ lieue kinderen gheacht werden, so verre als wi, nae ons vermoghen ons ter ghehoorsaemheyt, door t'gheloone in Christū, met alder nersticheyt bereyden.

(***) (38[a])

[1]) Ed. al 1553: *ganschelick.*

ALTERA CATECHISMI PARS DE GRATIA DEI ET ARTICULIS FIDEI.

Interr. 104.

In praecedentibus dictum est nos a poena, cruciatibus et condemnatione legis liberatos esse, nostramque imperfectitudinem tanquam perfectam reputari, coronari praemioque affici, quatenus inconcussam fidem retineamus, — estne hoc certum atque verax?

Resp.

Etiam, sine ullo dubio, sed non tantum firma, sed etiam vera (38b) atque sincera fide apprehendi debet.

Interr. 105.

Cur hoc?

Resp.

Nimirum ceteroquin homo multa ex ingenio suo de Deo fingere quidem posset supra eius promissionem, quod tamen interim falsum nihilominus esset.

Interr. 106.

Quaenam igitur vera fides est?

Resp.

Recta veraque fides tres notas habet, et ubi harum trium ulla deest, frustra fidem gloriabimur.

Interr. 107.

Quaenam sunt illae (39a) notae?

Resp.

Esa. 43. Rom. 10. 1 Cor. 2. Prima rectae veraeque fidei nota est, ut soli Deo eiusque infallibili verbo attendamus.

Interr. 108.

Quid prodest, hoc ita observare?

Resp.

Ephe. 1. Coloss. 1. Ioan. 17. Luc. 21. Iere. 37. Hinc intelligimus, non licere fidem nostram ulli praeter ipsum Deum creaturae superstruere, neque esse nobis credendum in rebus ad religionem pertinentibus extra conscriptum verbum Dei, quod infallibile atque aeternum est in certa sui intelligentia: alioqui in vera fide fallemur et prava ratione in rebus divinis (39b) iudicabimus ad mundi instar.

¶ DAT ANDER DEEL DES CATECHISMI VAN DER GHENADEN GODS ENDE DE ARTIKELEN DES GELOOFS.

Vraghe (104).

Hier voor is gheseyt, dat wi van de straffe, pijne, eñ verdoemenisse des wets, vrij ghewordẽ sijn, ende dat onse ongherechtsacheyt voor volcomẽ geacht, gecroōt ende beloont werdt, so verre als wi in een vast gheloue bliuẽ. Is dit seker eñ waerachtich?

Antwoorde.

Jae het ontwijfelijck. Maer het moet nyet alleene met vasten, maer oock met warachti-(38[b])ghen ende oprechten gheloouc, gegrepen worden.

Vraghe (105).

Hoe soe?

Antwoorde.

Wāt anders mochte hẽ de mẽsche wel veel, uut sijn vernuft van God, bouen sijn toeseggen vast laeten duncken, dat nochtans hier tusschen valsch ware.

Vraghe (106).

Welck is dan een recht gelooue?

Antwoorde.

Het recht waraehtich gheloone heeft drie eyghentschappen, ende waer der een van dese drieu aen ghebreect, sullẽ wi ons alle te vergheefs des gheloofs roemen.

Vraghe (107).

Welck sijn de [1]) eyghentschap-(39[a])pen?

Antwoorde.

Die eerste eyghentschap des rechten warachtigen geloofs, is alleen op God eñ op sijn onbedriechelijck woord te mercken.

Vraghe (108).

Wat profiteret ons, dat men dat also waer neemt?

Antwoorde.

Daer uut verstaen wi hoe ons gheloouc nyet ghegrondeert mach sijn, op eenige creature, dan op God alleene, ende dat wi nyet ghelooucn sullen, in religioens sake, buyten dat bescreuen woord Gods: dat onbedriechelijck ende eenich is, in sijn verstādt. Anders sullen wi, in dwarachtich gheloone falen eñ in verkeerde wijse van godlijcke din-(39[b])ghen ordeelen, nae sweerelts wijse.

[1]) Ed. a[i] 1553: *die.*

Interr. 109.

Quaenam altera nota est rectae certaeque fidei?

Resp.

Colo. 2. Roma. 4. Gene. 12, 22. Certa fiducia absque omni tergiversatione Dei verbis fidem habere, sive capiat ea humanum ingenium, sive non capiat, ad Abrahae exemplum, qui certam in spem reponebat fidem, ubi tamen iuxta humanum ingenium nihil sperandum fuisset.

Interr. 110.

Quid alterius notae observatio a nobis postulat?

Resp.

Marc. 9. Luc. 7. Rom. 10. Coloss. 1. 1 Corin. 1. Ioan. 14. Math. 11. Admonet nos imbecillitatis fidei nostrae atque (40[a]) dubiae naturae nostrae conditionis, ut continuo eam coram Deo conqueramur — unanimiter cum Apostolis precemur, ut fidem nostram adaugeat atque confirmet, — diligenter quoque remediis fidei utamur, a Christo Domino in ministerio verbi et Sacramentorum ordinatis, — adhaec non dubitemus, quin nobis suppleat ille, si quid nobis in fide deficiat, sitque nobis largiturus, si quid in fide imploremus.

Interr. 111.

Quaenam est tertia nota rectae certaeque fidei?

Resp.

[1]) Iohannes Hessus, Norimbergensis (1487—1547) Theologiae Doctor erat et Canonicus Wratislaviensis. Ad d. 25 Oct. 1523 (Seckendorfius male scribit 1528) primam Concionem rogante Senatu contra Pontificios habuit. Cf. de eo Seckend. H. L. 1. Sect. 47. § 151. p. 270. Adam, *Vit. Theol. Germ.* p. 183. Regenvolscius, *Hist. Eccl. Slav.* p. 346. Freherus, 1. p. 148b. Gerdes, *Hist. Ref.* II. p. 69. [2]) Hyperaspistes, i. e. *Diatribae adversus servum arbitrium Mart. Lutheri per* D. Erasmum. Basileae 1526. Cf. Grässe, *Trésor des livres rares.* Dresd. 1861 Tom. II. 496.

N°. 2. [Ex. Arch. Secr. Regiis Regiomont.]

Iuramentum.

Ego Ioannes à Lasko, cum me falso ab aemulis hic traductum esse intellexissem quasi suspecta aliqua dogmata et a Sanctae Catholicae et Apostolicae Romanae ecclesiae doctrina aliena sequi deberem, putavi necessa-

rium fore, ut hanc confessionem meam facerem, ad hunc modum: Quod licet multa multorum ex indulto Apostolico legerim, etiam eorum qui ab ecclesiae Romanae unitate discesserunt, profiteor tamen nunquam me ulli eorum opinioni adhaesisse, nec ullum eorum dogma volentem ac scientem amplexum esse, quod praesertim scirem sanctae Catholicae et Apostolicae Romanae ecclesiae repugnare: quod si imprudens forte alicubi, ut sumus homines, lapsus sim aut in aliquem incidi errorem, id quod multis saepe doctissimis ac sanctissimis etiam viris usu venit, illi nunc plane et expresse renuntio et ingenue fateor, me nullas sectas ac doctrinas sequi velle, quae a sanctae Catholicae et Apostolicae Romanae ecclesiae unitate et institutis essent quoquomodo alienae, imo id solum amplecti velle quod a sancta Catholica et Apostolica Romana ecclesia receptum est et approbatum, illiusque sedi sanctae obediam dum vivo et ordinariis praelatis meis atque Episcopis ad ea designatis in omnibus licitis et honestis, et ita iuro, Sic me Deus adiuvet et sancta Dei Euangelia! [a°. 1526].

Ioannes à Lasko manu propria.

[Inscr.: *Hoc iuramentum manu propria scriptum exhibuit Ioannes à Lasko Archiepiscopo Gnesnensi et Episcopo Cracoviensi cum rediens ex Germania affirmaret se nec duxisse uxorem nec doctrinae Euangelii adhaesisse.*]

N°. 3. [Cottonian. B. S. Lond. Vespas. I. 1. N°. 47.]

Ad Anthonium Rinçon [1]).

Magnifice Domine! Amice observandissime!

Essent mihi multa scribenda ad tuam Dominationem, quae negocium Serenissimi Hungariae Regis Domini concernerent [2]), sed et cyfras illas mecum nunc non habeo, quibus omnia tuto scribi potuissent et nunc vix tutum est quidquam litteris committere. Haec tamen te scire velim, si quidem ad tuam Dominationem pervenient, imprimis illius Maiestati omnia pro voto utuque succedere. Cuius Maiestas, relicta nostra Polonia, ingressa est Regnum suum tertia Novembris, istic excepta ab octo milibus equitum Hungarorum apud Dominum Homoñay [3]). Nuncque sua Maiestas est Szegedini una cum Turcarum exercitu copioso, ad servitium suae Maiestatis ab Caesare Turcarum dato, operaque fratris mei Domini Palatini [4]) eousque deducto, qui quantus nunc sit nescio, poterit tamen esse intra quattuordecem dies sexaginta milium equitum, si res ita poscat. Ita sunt per loca quaeque proxima dispositi, ut facile advocari possint per Regiam Maiestatem, si inquam res poscat. Nulla tamen sunt adhuc indicia prelii. Nam etsi Ferdinandus dicatur facere delectum militum Viennae, nihil tamen adhuc gentium habet, et tota Hungariae nobilitas omnisque populus agminatim convolant ad Serenissimum Ioannem Regem, partim Turcarum metu, partim

etiam Principis clementia, qui in suscipienda in gratiam nobilitate communique populo facilis est, in magnatibus recipiendis difficilis, neque id sine causa, quamquam et Magnatum multi iam se in gratiam suae Maiestatis submiserunt. Andreas Bathori [5]), frater Naderspann [6]), captus est nuper in levi quodam praelio et detinetur in arce suae Maiestatis Wykel, quae historia iam sexta est post ingressum suae Maiestatis in Hungariam. Nuper etiam Simon quidam, literatus cognomine [7]), Cassoviensium [8]) peditum tria millia, equites trecentos ad unum neque profligavit, ut ne nuncius quidem cladis superfuerit. Sic illos inter montes incluserat arte quadam, ut nusquam exitus illis pateret, caesi ad unum omnes, machinae viginti captae advectaeque ad Regiam Maiestatem [9]). Praeterea Caesar ipse Turcarum conscripsit iam novum alium exercitum quadringentarum milium hominum peditum et equitum cum quo ipsemet aestate proxima Austriam est invasurus [10]) perrecturusque per Danubium, adverso videlicet flumine quousque poterit ad fontes fluvii, cuius maiorem iam partem parvo negotio se in suam ditionem subegisse gloriatur, idque futurum esse sine dubio, nisi hoc vere proximo, priusquam se loco Caesar moveat, res inter Regiam Maiestatem Hungariae et Ferdinandum Regem aliqua concordia transigatur [11]), quam tamen nullam acceptabit Rex Ioannes inconsulto Turcarum Caesare. Is est enim primus foederis articulus inter illum Caesarem et suam Maiestatem. Exercitus Germanicus suae Maiestatis Duce Nicolao Mynkwycz [12]), qui iamdudum exspectabatur nunc tandem Slesiam [13]) ingressus Swydnyczam [14]) oppidum occupavit et iam nomine suae Maiestatis possidet. Speramus et reliquas Slesiae civitates in deditionem venturas, qua de re iam et nuncii habentur et litterae. Vratislamenses miserunt ad Ferdinandum, ut fidem illorum, ut ipsi dicunt, Euangelicam, inreiurando suo Regio confirmaret liberaretque eos ab illa obligatione, qua in summam quadringentorum milium oppignorati sunt coronae Hungariae. Se fidem suam [prae] omnibus integram servare velle. Cassovienses item miserunt ad Ferdinandum non pro auxiliis ullis, sed ut illos intra duos menses pacificaret omnino, quod nisi faceret, se curaturos suum negocium, ut possint, neque siuerent se suaque diripi. A Petro Pereuii [15]), qui coronam ad Ferdinandum detulerat, sunt secreti nuncii, rogantes veniam apud Regiam Domini nostri Hungariae Maiestatem. Is pollicetur se una cum corona ad suam Maiestatem rediturum, quam se habere dicit, multaque sunt circa eam rem mysteria, quae litteris committere non licet. Pollicentur tamen bona omnia Regiae Maiestati faciliora que omnia futura, quam speramus. Ferdinandus indixit comitia Hungariae in Preszburg, ad quae tamen nullus ex Hungaria venit, neque ex nobilibus, neque ex Magnatibus praeter Turzonem [16]) et Naderspanu. In summis omnia divino beneficio foelicissime succedunt, gentium copia summa. Utinam non desit quo illam alere possimus, qua in re principia sunt vehementer fere difficilia. Nunc tamen sufficiunt omnia et vestram interim operam nobis profuturam sperabimus, quae nunc multo quam nunquam alias maior adhiberi debebit. Cum tuis bene valeas, diu incolumis

et foelix. Datum in Lubnicze [7]), xviii Novembris anno Dom. M. D. xxviii.

Eidem vestrae Magnificentiae deditissimus

IOANNES à LASCO

Gnesnensium praepositus etc., manu propria.

[In dorso: *Magnifico Domino Antonio Rynkon Consiliario et Cambellano Christianissimi Galliarum Regis etc., amico observandissimo.*]

[1]) ANTONIO RYNKON, sive RINÇON, Dominus de Germolas, natione Hispanus, in exercitu Hispanico ad gradum Capitanei provectus, patriam suam reliquit et cum summo omnium applausu legati ministerio sub auspiciis Franc. I, Galliae regis, functus est. Anno 1526 legationem suscepit ad Zapolyam. Cf. CHARRIÈRE, *Nég. de la France avec le Levant*, I. p. 520. „Authonium Rinconem, fidelem ac dilectum Cambellanum consiliariumque nostrum cum his litteris ad illustrissimam Dominationem vestram mittimus." (Franc. 1 ad Zapolyam). Mense Sept. a. 1527 Francisci apud Sigismundum, Pol. reg., orator fuit. Ib. p. 160. Cf. ZINKEISEN, *Gesch. des Osm. Reich.* II. 672. BAR. DE ST. GÉNOIS, *Miss. dipl. de C. D. de Schepper*. Brux. '56. p. 14. ADELUNG u. ROTERM, VI. 2182 eiusdem nominis Franciscano ordini adscriptus Antonio Rinçon commemoratur, qui scripsit „*Monumenta ordinis sive de viris illustribus.* Salam. 1511. 4°. [2]) Ludovico apud Mohacz. a°. 1526 profligato inque paludibus adiacentibus suffocato, Ioannes Zapolya et Ferdinandus de corona Ungariae decertaverunt. Ioannes ad X Nov. eiusdem anni in Comitiis Stuhlweissenburgensibus electus, mox tamen ab aemulatore suo patriae finibus cedere coactus, auxilium imploravit regum Poloniae Galliaeque, ut et Turcarum Caesaris. Sigismundus ei refugium aperuit, Galliae rex spopondit pecuniam, Suleiman autem, quibus maximo ei opus erat, copias ei suppeditavit seque ipsum proximi veris initio cum toto exercitu suo venturum esse Zapolyae oratori Iaroslavi (Hieronymo) Lasky, Siradiae Palatino, pollicitus est. In hac nostra Epistola oratoris Lasky frater, rerum regis Zapolyae, ut apparet, bene gnarus, Antonio Rinçon, qui apud Franciscum I rebus Hungarici regis patrocinabatur, felicem primae in Hungariam e Polonia incursionis eventum exoptatamque Turcarum exercitus apparitionem eo consilio annuntiat, ut strenue Galliae regem impelleret, nummis e longinquo Ioannem sublevare. Cf. MAJLÄTH, *Gesch. v. Oesterreich.* II. p. 18—21. *Gesch. d. Magyaren.* p. 21—23. ZINKEISEN, o. l. II. 659 sqq. VON HAMMER, *Gesch. d. Osm. Reich.* III. p. 72 sqq. BUCHOLTZ, *Gesch. Ferd. I.*, III. 250 sqq. (DE BRENNER) *Hist. d. Rév. de Hongrie*. Hagae Comit. 1739. T. I. p. 46. ISTHUANFFY, *Regni Hung. hist.* Col. Agr. 1724. p. 96,7. DE SACY, *Hist. de Hongrie*. Par. 1778. I. p. 268 sq. SECKENDORFF, *Hist. Luth.* III. 5. § 9. p. 28. CRAIG, *Hist. of the prot. church in Hungary*. Lond. 1824. p. 47. [3]) De magnate illo Homoñay. Cf. *Urk. und Actenst. zur Gesch. der Verh. zw. Oesterr. Ungern u. d. Pforte im 16 u. 17 Jhd.* Wien 1840. 6e Lief. *Ges. K. Ferd. I an Sultan Suleiman*, ed. GEVAY, in Ep. Thomae Szalaházys ad R. Ferd. d. Ofen 8 Sept. 1528. „Exspectat tormenta maiora et Ioannem ipsum qui una cum Franc. Homonnay omnium praedicatione et plausu venturus est." ISTHUANFFY, p. 96. [4]) Sc. Iaroslaw Lasky, Palatinus Siradiae. Cf. SLEIDANUS, VI. 103a et *Actio H. Lasky apud Turcam nomine Regis*, in BEL. *Apparatus ad hist. Hungariae.* Posonii 1753. p. 159. MAJLÄTH; *Gesch. d. Mag.* IV. p. 21. [5]) Cf. GEVAY c. l. p. 39 „addet ut spero (sc. copiis Ferdinandi) suos Dominus Andreas Bathory." [6]) Quis ille sit, nullibi detegere potui. [7]) Cf. GEVAY, o. l. in ep. laud. sub 3.

„Simon aliquot iam diebus arcem Pathak cum equitibus VIc et peditibus, ut aiunt, circiter duobus millibus obsidet." Nomen ei erat Simon Athenay, v. MAJLÁTH, *Gesch. d. Mag.* IV. p. 22. ISTHUANFFY, p. 96. „Simon, patria Athenensis (locus est inter Crisium et Posegam) cognomento literatus." [8]) Cassovia, (Kaschaw) in parte septentr. Hungariae non ita longe a flumine Theiss. [9]) Proelium illud depugnatum est inter Cassoviam et Saros-Pathak ad d. 35 Sept. '28. Simon Ferdinandi copiis, Stephan Révay Zapolyae exercitul imperabat. MAJLÁTH, *Gesch. d. Mag.* IV. p. 22. ISTHUANFFY, p. 97. BUCHOLTZ, o. l. p. 258 ad Ferd. scribit: „Er stehe im Mitte der Rebellen und habe den Tod vor Augen" 6 Sept. 1528. [10]) Mense Maii anni sequ. 1529 fines Hungariae migravit. [11]) Sigism., Poloniae rex, concordiam inter eos restituere frustra conatus est. [12]) De NICOLAO MYNCOWICZ cf. SECKEND. III. 5. § 9. p. 28. BUCHOLZ, III. p. 253. [13]) Ioannes Zap. in Ep. ad Franc. I. „Utriusque Slesiae ducem" se appellat. Cf. *Nég. de la France avec le Levant*, I. p. 162. [14]) Schweidnitz. [15]) Cf. GEVAY, p. 39. MAJLÁTH, *Gesch. Oest.* II. p. 21, *Gesch. d. Mag.* IV. c. 37. p. 21—28. v. HAMMER, trad. par Hellert, V. p. 116. [16]) Proprie THWRZO. Cf. GEVAY, *Schreiben Stephan Bathorys' von Ecsed an K. Ferd.* p. 59, bene distinguendus a Joh. Turzo, Episcopo Wratislav. Cf. SECKENDORFF, I. 57. p. 270. *D. Erasmi vita*. Lugd. Bat. 1642. p. 155. [17]) Non longe a Liegnitz.

N°. 4. [Gerd. s. a. IIb. 483.]

Ad HARDENBERGIUM.

Nescio, mi Alberte, uter alterius maiore teneatur videndi desiderio, tu ne mei, an ego potius tui. Certe quod ad me attinet, magno redemptum vellem, ut te in reditu saltem meo [1]) videre potuissem. Sed scis, ut tum valuerim, cum istac iter facerem. Alioqui te haudquaquam praeteriturus fueram, si modo me paululum istic immorari valetudo mea permisisset. Ac ne nunc quidem multis tibi opus est, ut mecum agas ut ad te veniam. Iam dudum ipse mecum hoc statui, ut te mox visam, simul atque id mihi per valetudinem liceat. Sed, mi Alberte! vix credes, quam mihi sint attritae vires omnes aegritudine hac mea. Paululum aliquid legenti vertigo mox oboritur, scribenti protinus caligant oculi, adeo ut haec quoque nisi ex intervallis scribere non potuerim, febris quidem ipsa abacta est iam divino beneficio, sed est adhuc mira quaedam totius corporis debilitas, quam abigere nullis adhuc remediis possum. Videor mihi nimium laesisse stomachum, frequenti aquarum medicarum potu, quibus ex medici praescripto ad febris aestum restinguendum utebar. Nunc aegre concoquit omnia et perpetua gignit tormina, quae me graviter excruciant. Hoc die solis praeterito volebam mei ipse periculum facere, si quomodo aerem ferre iam possem, ac sub concionem ad templum prodii, sed tantula ambulatiuncula ita affectus eram, ut corpore plane delassato in medio itinere, dum redirem, paulominus conciderim redieritque rursus non quidem febris ipsa, sed typus tamen febrilis quidam, qui me tertio quoque die ab eo ipso die solis leviter quidem sed

impetiit tamen. Nunc item hoc primum die accessit morbus ille mihi familiaris haemorrhoidum, quae mihi leviter quidem hodie coeperunt fluere, sed nescio quam diu duraturae. Spero tamen illas mihi salutares fore, nisi quod vereor, ne me plus satis alioqui debilem ita deiiciant, ut non facile sim rursus vires resumturus, neque patiantur me tam cito, quam vellem, ad te transcurrere. Id quod tamen sum facturus omnino simulatque paululum revaluero. Ita autem visum est Deo, me nunc per eam valetudinem et gravem et longam utcunque visere, de febre loquor, qua totis hisce tredecim at amplius annis iam non laboraveram [2]). Illi gloria, qui me debiti officiique erga se mei, istiusmodi admonitionibus commonefacere dignetur. Alioqui ea est nostra infirmitas, mi Alberte! ut parum forte illius memores futuri essemus, si non ille se et bonae et malae valetudinis nostrae, atque adeo vitae et mortis, omnium denique successuum nostrorum Dominum esse nobis subinde declararet, simulque tamen etiam et patrem clementissimum, dum nihil in nos permittit, nisi quatenus nobis bono nostro esse et perferri etiam a nobis ipsius auspiciis possit. Quod scribis, te premi a quibusdam mei nominis invidia, illud equidem facile credo, sed miror tamen istos tantopere offendi meo nomine, quod alioqui adeo alibi invisum non est, ut nunc etiam Antverpiae plurimi et magni viri me officii causa inviserent, inter quos non postremus erat τοῦ τῶν Ῥωμαίων βασίλεως ἀρχιγραμματεύς [3]) atque item Brandenburgensis Marchio, de aliis coniecturam facito. Offerebatur tum Caesaris tum Regis Romanorum diploma, qualecunque voluissem etc., nedum ut ab ulla mihi metuendum sit nominis invidia.

Quae de Caesare scribis, ea iampridem scimus, ceterum fallitur, qui tibi rettulit, Regem Ferdinandum eo consilio in Germaniam profectum esse, ut fratrem a cogendo concilio excuset, longe enim aliter se res tota habet, et melius de Caesare nostro sperare debemus, quam isti praedicant. Legit pridem avidissime novum Philippi Melanchthonis libellum, qui continet antitheses Pap. et Evang. doctrinae [4]), nec prius misit e manibus, quam totum perlegisset. Mirum est autem, quanta illic brevitate complexus sit Philippus capita religionis fere omnia. Est libellus octo non amplius plagularum, Latine, Germanice, Gallice, Hispanice et Italice, paucis tamen adhuc exemplaribus excusus. Ego tamen unum exemplar nactus eram, non tamen venale, sed ab illo, cuius supra memini, Marchione datum, sed quod tamen alteri mox amico negare non potui. Ibi demum, mi Alberte! vidisses Philippi παῤῥησίαν, qua nunc alterum illum [5]) non aequare modo, sed plane superare etiam videtur, tametsi a conviciis procacibus in totum abstineat. Vidisses item quibus coloribus τὴν λειτουργίαν τὴν ὑμετέραν depingat, sed brevi, ut audio, prodibit libellus ipse, at auctior et accuratius scriptus, mox ut de illo Papistici Principes in hisce Spirensibus comitiis in utramlibet partem pronunciarent, quem tamen Caesar ipse fassus est, sed privatim, non posse sibi non magna ex parte probari, et non obscuram postea aliquot exemplis significationem dedit animi multo quam antea erga Evangelii studiosos placidioris, qua de re multa essent scribenda, sed neque in-

tegrum est id facere, et ita iam sum hac scriptione fatigatus, ut etiamsi maxime velim, plura scribere non possim, cum haec pauca toto hoc die ex intervallis vix etiamnum absolverim. Vale mi charissime Alberte! et me mox ut paululum vires rursum collegero, certo apud te expectato. Interim me Abbati tuo diligenter commenda, eumque verbis meis salutato. Dominus nos servet omnes dirigatque vias nostras omnes, non ad nostri sed sui nominis gloriam. Amen [*medio anni* 1540] [6]).

Agnoscis manum vere et ex animo Tui.

[1]) Iter susceperat in Flandriam, ut hac ipsa epistola docemur. [2]) Tredecim annos ab anno, quo data est haec epistola, deducentes, redimus ad annum 1527. Videtur igitur antea quoque dum Lovanii commoraretur febri laborasse, sed dehinc in Poloniam redux meliore usus esse valetudine. [3]) Erzkanzler. [4]) *Die furnembste Unterschied zwischen reiner Christl. Lehre des Euang. u. d. abgott. Pap. Lere.* Nuernb. 1539. 4[a]. Cf. ROTERMUND, II. p. 1309. [5]) Sc. Lutherum. [6]) Gerdesius huic epistolae locum dedit post eam, quae est nobis ordine 9[a], eamque ad a. 1543 referre videtur. Nos ad 1540 eam reducimus 1[a]. quia libellus Melanchthonis, quem dicit nuper in lucem prodiisse, editus est a[a]. 1539; 2[a]. quod narrat se per 13 annos nulla febri laborasse, quo sane respicit ad tempus dum Lovanii degebat; 3[o]. quoniam Caroli consilium de Concilio cogendo maxime per annos 1539 et 1540 agitatum est; 4[a]. quia ne verbo quidem Albertum monasterium relinquere hortatur, quod in seqq. ep. ubique facit.

N[o]. 5. [Gerd. s. a. lib. p. 478.]

Ad HARDENBERGIUM.

Cogor iam, licet invitus, sed cogor tamen abs te repetere libros meos, quos tibi, cum primo itinere apud nos esses, commodavi. Nam hoc vere proximo aliu iam cogito, propter coeli huius inclementiam. Video me hic nihil aliud, quam perpetuo aegrotare, sic ut nulli hominum usui esse possim. Itaque cepi de migrando consilium, quod etiam mei a me fieri postulant, et proinde te rogo, ut libros meos iuxta catalogum mea, ut scis, manu conscriptum, ad Doctorem Hieronymum [1]) transmittas, is iam ad me facile illos porro remittet. Valetudo mea nihil sese adhuc remittit, sub ver tamen spero feliciora omnia, siquidem Dominus volet, cui me totum permitto. Tu quid facias nescio, credo tamen te non feriari, praesertim quod ad conciones et praelectiones attinet. Optarim in omnibus monasteriis tales esse Abbates, qui sic iuventutem instituendam curent, quemadmodum id nunc per te facit Abbas tuus [2]), imo vero noster potius. Nam et ego eum hominis animum non possum non amare, ut interim de eius candore et integritate taceam, quam mihi in illo haud obscure videor perspexisse. Tu quaeso fac me illi commemores idque diligenter. Dabo operam ut illum adhuc et te simul invisam praesensque hinc advolem. Interim tu, mi Alberte!

vale. Neque enim plura nunc. Emdae die Mercurii post Dominica natalitia (29 Dec.) ad finem Anni 1540.

[In dorso: *D*°. *Alb. Hardembergo, Theol. Doctori in manus proprias, Aduardiae* [3]).]

[1]) Hieronymus, Guilielmi Frederici, praeclari apud Groninganos sacrorum antistitis, filius. Cf. Brucherus, *G. d. opk. en vest. d. H. kerk in Gron.* p. 292. Beninga, *Matth. Anal.* p. 528. Gerd. *h. r.* III. p. 203. [2]) Monasterii, in quo Albertus tunc degebat, abbas Ioannes Reekamp erat, qui Aduardiensi Coenobio praefuit 1528—49. Cf. *Kerkelijke oudh. v. Gron. en Groningerl.* p. 342. [3]) Aduardia, Adawert sive Auwert, notissimum Groningae apud Hunsam monasterium, Bernhardinorum ordini addictum; quod a°. 1192 conditum, a°. 1580 devastatum, reformationis tempore magna doctrinae puriorisque religionis laude floruit. Cf. Hard. in W. Gansef. *Opera.* p. 7. Beninga, *Matth. Anal.* IV. p. 409. U. Emmius, *Rer. Fris. hist.* p. 7 passim. Brucherus, o. l. p. 18. Diest Lorgion, *Beschr. v. Gron.* I. 104 sq. Hofdyk, *Kloosterorden in Ned.* p. 6. *Chr. Kerk in Ned.* I. p. 230.

N°. 6. [Gerd. s. a. IIb. p. 179.]

Ad Hardenbergium.

Ad tua nunc non respondeo, charissime mi Alberte! non quidem ullam aliam ob causam, nisi quod distringor quibusdam, quae me vix cibum etiam capere patiuntur, et quoniam brevi apud te esse constitui, in mutuum colloquium differenda mihi nostra omnia esse putavi. Sed est quod priusquam ad te veniam scire ex te interea vellem. Memini te a me petiisse (ni fallor) cum tibi narrarem me bina multorum autorum exemplaria habiturum esse tum Graeca, tum Latina, in sacris pariter ac profanis literis, ut ea tibi indicarem, te apud D. Abbatem tuum id curare velle, ut illa in tuum usum emeret, hoc itaque nunc abs te scire velim, an eo adhuc sis animo, an vero non amplius illis egeas. Mihi enim Francfurdium nunc libri mei ex patria advehentur. Quod si scirem tibi nullis opus esse, non esset cur illos huc paucis exceptis adferri curarem, sed illic potius iuberem divendi, ne me frustra sumptu vecturae non necessario onerarem. Id vero me nunc facere iam oportet. Quare te rogo, facias me ea de re quamprimum certiorem. Indicem librorum ad te mittam, vel ipse adferam, postquam animum mihi tuum significaveris. Vale et ne graveris mihi quamprimum respondere, ne diu animi pendeam. Dominus te servet, mi Alberte charissime! Hic aiunt, regem Ferdinandum a Turca his paucis diebus profligatum esse ac quatuor non amplius suis comitatum, e praelio aegrum rediisse [1]), ubi et fratri [2]) tum multum metuo, quem istic certum est etiam adfuisse. Iterum vale. Synodum [3]) audita hac clade solutam esse aiunt negociumque religionis in conventum ad Michaelis Coloniae institutum reiectum esse, qua parte non-

dum est transactum. Sed Eccius dicitur, quibus initio subscripserat, ea rursum omnia retractasse ac recantasse. Aemdae Nonis [5] Augusti Anno 1541.

Agnoscis manum tui.

[1]) Copiae Ferdinandi, quas ducebat Roggendorfius, eo ipso anno 1541 apud Ofen a Turcis profligatae sunt. [2]) Iaroslaw s. Hieronymus Lasky a°. 1532 in comitiis Ratisb. Ioannis Zapolyae et Solimanni litteris instructus apparuit (Seckend. III. § 5. p. 28), haud ita multum post a Ioanne rege in vincula coniectus ac demum a°. 1535 ab eodem dimissus (Ep. Erasmi p. 1534. *Ep. ad Petrum Ep. Cracoviens.* d. 26 April 1535), prorsus tandem a Ioanne defecit et transiit ad Ferdinandum a°. 1540. Sleidanus o. l. XIII. p. 220b). Cf. Mel. Ep. ed. L. B. 1647. p. 321. [3]) Sc. Comitia Ratisbon.

N°. 7. [Gerd. s. a. II^b. 487.]

Ad Hardenbergium.

Quae tibi toties praedixi, ea nunc evenire, profecto multum gaudeo, mi Alberte! videlicet te iam perspicere vanam spem fuisse fructus illius, quem te isthic facere posse credebas. Fieri non potest, mi Alberte! ut Christi regno exoriente alicubi Sathanas dormiat, cuius artes et furias tu ipse iam deprehendere in te ipso potes. Sed tibi cogitandum est, haec omnia quae pateris, a Domini tibi immitti, esseque veluti voces quasdam ipsius, quibus te evocat e tua ista servitute ad suam libertatem. Proinde fac quod debes facere, et vocem Domini ne contemnito. Explica te quam primum, et iugum hoc Pharisaicum excute. Nihil tibi, mihi crede, deerit. Quod ad me attinet, habebo tecum mea communia omnia, neque tibi prius quidquam deerit, quam mihi, modo iam rumpas semel moras istas tuas. Habeo consilia quaedam eaque non dubia, quibus tibi facile ita prospici poterit, ut honeste et pro dignitate tua vitam sustinere possis. Illud tantum te rogo et per Christum ipsum testor, ne amplius cuncteris, sed quod tandem aliquando facturus es, id quam primum ut facias. Quae te cum Abbate agere velle scribis, ea mi Alberte! si verum apud te fatear, humana sunt omnia, quae ego abs te omitti malim, imo id optarem, ut omnes intelligant, te non ob aliud, quam propter Christum solum et huius tuae vitae odium fecisse, quod es facturus. Invidiam vestrorum nihil moror, facileque illam prae Christo et caritatis nostrae officiis contemnam, tu modo ad me recta etc. .... O mi Alberte! quam grata mihi hora illa, qua te hic apud me hoc animo venientem videbo, quod utinam cito fiat per Dei misericordiam Nihil erit meum, quod non sit aeque tuum etiam futurum, modo veni in nomine Domini, te istinc evocantis. Et vale. [fine a. 1541]

N°. 8. [Gerd. s. a. IIb. p. 488.]

Ad Hardenbergium.

Expectabam hisce diebus, ut mihi ad ea quae tibi nuper nunciaveram responderes, mi Alberte! saltem ut intelligerem, quidnam animi super ea re haberes. Nam si eo esses animo, quo te ego esse vellem, in hac re praesertim, tum facile de aliis transigeremus. Sed hoc primum necesse est, ut sciam, an velis ἐκτεπίζειν καὶ μεταβάλλεσθαι, nam ad manum habeo nuncium, per quem me oportet iam significare summam rerum omnium illi, qui mea opera uti in hac parte voluit. Quare te rogo ut me de animo tuo facias certiorem per hunc puerum etc. ...... Volebam ad te mea perscribere omnia, sed Gerardus civis noster [1]), qui non ita pridem rediit Viteberga [2]), iuvenis sane et pius et doctus, narravit mihi tuis verbis, te brevi ad nos huc venturum esse in dies aliquot. Quare in tui adventum differenda putavi omnia potius, quam ut illa literis committerem. Iam melius valeo, gratia Domino! Ridebis si audias, quid cum Episcopis nostris in patria egerim [3]): prodibunt tamen in lucem brevi omnia [4]). Vale et da operam, ut nos visere possis. Interim tamen scribe paucis et D. Abbatem tuum verbis meis saluta. Raptim Emdae XII Maii Anno 1542.

Agnoscis manum.

[1]) Sc. Gerardus tom Camp, Ecclesiae Emdanae senior. V. Ep. ad eum. Gebbema, c. l. e. 68. nonnullas ab eo scriptas, adhuc ineditas in Ser. Emd. Cf. *Kerk-hist. Arch.* v. Kist en Moll II. a°. 1859. p. 49—51. [2]) Sc. in Polonia. [3]) Respicit ad ea quae in Hardenbergii gratiam molitus erat. Cf. initium Ep. 6. [4]) Nihil huius superstes esse videtur.

N°. 9. [Gerd. s. s. IIb, 481.]

Ad Hardenbergium.

Paucis ad multa respondebo, mi Alberte! idque ea libertate, qua uti semper soleo. In reditu meo obstitit valetudo mea quominus te adirem, quae eiusmodi sane erat, ut me non pateretur usquam haerere, nisi indies gravius periclitari voluissem. Eam tamen, mi Alberte, excusationem, si non audes pronunciare iustam, aut quemadmodum ais, sufficientem fuisse, quid aliud quaeso in causa fuisse putas, quod te non inviserim? si quid suspicaris, id tibi equidem ut amico ad amicum scribendum erat. Sin minus, et tamen tibi non satisfacit mea illa excusatio, vide, ne et causae tuae, quas gravissimas videri vis, quod me visere non possis, multo minus ponderis habeant, quam excusatio illa mea. Mihi sane valetudinis ratio habenda erat. Sed quae tu de pudore dolore tristitia atque ea, quae te perpetuo, ut scribis, excarnificat, miseria adfers, haec, qui tibi credam obsecro? cum tamen ipse affirmes, consilii te tui rationes Christo haud dubie approbare posse. Apud illum igitur tutus es, apud me vero erubescis et angeris? Ego maior illo scilicet? Qui Sabbathum in Christo suum sanctificat, non est cur

apud homines turbetur. Id si tu in animo ipse tuo agnoscis, non est quod te instituti tui apud me pudeat, mi Alberte! quodque tantopere angaris. Sin minus, apud Christum te magis profecto pudere, quam apud me deceret, esselque plane cur animo tuo et quidem graviter angereris, praesertim si certus non sis, consilii tui rationes ita olim firmas in Dei iudicio fore, ut animus iam tuus in illis Christi testimonio probe communitus conquiescat. Hoc sabbathum a nobis vult coli Paulus, quod ego tibi istic etiam vere et ex animo optaverim. Sed cum ipsemet fatearis, te in tam varia adhuc ferri, ut dici vix queat, vereor, ne longius ab eo adhuc absis, quam putas, ac ne perpetuo ita huc atque illuc feraris. Dubitas an vestrum istud vivere sit blasphemia, et interim abusus absurdissimos agnoscis, quasi abusus, per quos dedecoratur nomen et meritum Christi, non sint blasphemia. Sed hos non sequeris et libere etiam, si Deo placet, reprehendis. Mi Alberte! ita nobis praedicas tuam libertatem, quasi nesciamus, quibus sit cancellis conclusa. Reiicis Ezechiae exemplum velut a munere tuo alienum propter functionis diversitatem. At quod ipse ferro admoto fecit, qui externae disciplinae custos erat, id tibi non generalibus istis reprehensionibus quas facis in concionibus, sed peculiari quodam malleo petras contundente praestandum sane esset. Doctoris est, sui quemque debiti suique officii admonere. Hic si tibi tuus non pareat Magistratus, imo si non patiatur se admoneri, ac te praeterea multa simulare ac dissimulare cogat, et tu illi obsequaris, est ne hoc libere reprehendisse? Neque recte Babylonem confers cum Babylone. Nos enim idolum nullum habemus quod colamus, vos abominationem illam in loco sancto constitutam publico cultu pro Deo veneramini et estis eius cultus ministri. Idola si quae apud nos supersunt, ea plane contempta neglectaque iacent. Quem autem exspectes ductum spiritus, nescio. Ego a spiritu Dei dictum esse puto Esa. 52 et 2 Cor. 6 „Exite de medio illorum et separemini ab illis". Ab eodem et illud his simile Apoc. 18. „Exite de illa populus meus etc". Hoc si ad animi fugam referas, certe qui hanc fugam vere cum animo suo semel est meditatus, non libenter inter eos haerebit, quos videt assidue dedecorare virtutem ac meritum Christi. Quod ad me attinet, amo te, mi Alberte! si unquam antea, sed tuam istam haesitantiam non amo. Quonam sim migraturus nondum scio, sed vocor a multis. Ero tamen apud vos, priusquam abeam, et omnia tibi coram narrabo. De sumptu illo quem excusas, plane nihil unquam neque ego cogitavi, neque quisquam omnino mecum egit, quare supervacanea sunt, quae ea de re scribis. Vale et me tuum esse tibi persuadeas omnino. Dominus det nobis suam gratiam. Amen. Postrid. Iacobi. [26 Iulii 1542].

N°. 10. [Bibl. Brem. Cl. VIII. p. 332, 3. Gerd. II^b. p. 490.]

Ad Drusillam Syssinge [1]).

Heri mihi sunt redditae literae ab Alberto [2]) nostro, soror in Domino

Iesu charissima! quibus scribit, se eo loco aliquandiu, hoc est, per hanc hyemem manere velle [3]), id quod et tu forte ex adnexis literis facile intelliges. Nunc sum habiturus rursum certum nuncium. Si quid ad illum voles scribere, ad me quam primum transmittito. Ceterum metuo, mea soror! ne brevi istic bellum sitis habituri, forte circa ipsa moenia vestra, quare tibi profecto suaderem, ut huc in tempore te transferres, et non diu cunctareris. Non possum multis scribere, nam vocor alio. Sed vellem mea soror ut te illinc quam primum explicares. Non deseret te Dominus, ubi ubi fueris, si illum vere et ex animo sequi velis, et non dubito te velle. Ego etiam tibi non deero pro summa virili mea. Vale. Raptim Emdae 23 Iulii Anno 1543.

De eligendo novo Caesare inter Principes Imperii consultatur. Turca in finibus Germaniae iam grassatur, Viennam fortassis obsessurus, nisi iam obsideat. Gallus denuo imminet Brabantiae. Haec nova habemus. Dominus te interim servet, faciatque ut te hin quam primum habeamus. Si venire voles, ad me recte venies ut mutuo consultemus. Iterum Vale. Salutarem te uxoris meae nomine, sed ea nunc abest. Interim scio illam tibi precari felicia omnia. Rursum vale.

[1]) Tunc temporis virgo religiosa, sive Beghina, Truytje Syssinghe (Gerd. s. a. IIb. 619). proprie appellata, ex antiqua apud Groninganos familia. Frater ei erat Franciscus, Doctoris titulo ornatus (Gerd. s. a. IIb. 537). Nupta fuit D. A. Hardenbergio 1547—74. Cf. Sweckendieck, *D. Hardenb.* p. 25. Obiit 1580.
[2]) Degebat tunc Wittenbergae. [3]) Sc. Hardenberg.

No. 11. [Ubbo Emm. II, Fr. p. 919. Gerd. IIb. p. 492.]

Ad Annam Comitissam [1]).

[2]) » Satis scire se, animum ei esse timentem Dei et promovendae apud » subditos gloriae Christi cupidum, istamque suscipiendi ministerii non postre» mam sibi causam fuisse, sed in eo ipsam peccare, quod nimis facile huc » atque illuc flecti se in religionis negotiis patiatur, et suorum potius quam » Dei ipsius autoritatem sibi sequendam interdum existimet. Blandiri se hic » non posse, ubi non de principis ac sua solum, sed de multarum quoque » ecclesiarum salute agatur, de quarum cura nosse se, sibi ex aequo et » principi apud Deum aeternum iudicem reddendam esse rationem: prae» clarum sane et arduum esse principem agere, sed ei annexam esse con» ditionem serviendi gloriae Dei. Itaque, cum ei verit induci se ad susci» picienda reip. gubernacula, spectandum ipsi, ut in gubernatione consilia et » actiones referat ad gloriam eius, a quo in solio collocatam se esse et cu» ius ministram se agere non queat ignorare. *Per Deum reges regnare*, di» cere sacram paginam, et *eius ministros esse*, quibus sceptra sunt commissa, » nec temere in ea principes populi *pastores* nuncupari, affirmarique, *non ho-*

„*minis, sed Dei iudicium eos exercere.* Id se. oracula ista docere, cogi-
„tandum iis, in hoc potissimum se constitutos esse, ut divini cultus pro-
„motione pascant populum et Dei autoritatem hominum consiliis et per-
„suasionibus anteponant, quapropter principi Dei timorem profiteuti neces-
„sum esse, aut haec, quae praecipua principis officia sunt, praestare, aut,
„si id facere non possit, munere decedere. Talia vero sine controversia esse
„verum Dei cultum iuxta externam disciplinam promovere, falsum repri-
„mere, sectas earumque auctores submovere, omnia, quae verbo divino ad-
„versantur, ab ecclesia sibi commissa propellere. In his non pati Deum, ut
„consiliis, quae humana sapientia dictat, detur locus, sed iuxta mandatum
„et voluntatem suam puram ac putam requirere obedientiam. Non satis esse,
„convocasse eam proceres et consultasse, sed consilia exigenda fuisse ad
„normam verbi divini, ea sola recipienda esse, quae cum illa convenirent,
„caetera humanis tantum rationibus nixa, repudianda a quocunque etiam
„profecta. Quid enim, si qui te, ut Deo non obedias, hortentur, eos ne
„sequeris et iis magis parebis, quam ipsi Deo? absit!" Dein consilia
ipsa in hac causa suggesta recenset et vanitatis coarguit. Porro subiicit,
„monachos idololatriae reos ac ministros esse aliosque etiam nunc ita
„dementatos tenere, ut vetitum cultum idolis tribuant. Haec ferenda non
„esse et Deo hic magis, quam consiliis sapientiae humanae parendum, et
„auctoribus eorum occurrendo hoc modo, curandum quidem ut tranquillitas
„publica constet et filiorum fortunae ne quid decedat, sed magis etiam
„hoc agendum, ut gubernante ipsa in populo gloria Dei illustretur, qui om-
„nis tranquillitatis et omnium fortunator dominus et dator sit, cui gloriae
„omnia reliqua nostra sint postponenda, extare mandatum altissimi, *ut ido-
„lolatriam fugiamus*, idola tollamus, eorum cultores et quosvis falsos docto-
„res e medio nostri profligemus, extare et illustria exempla piorum princi-
„pum hac in re, Gideonis, Ezechiae, Iosiae, nec hic periculorum ducendam
„esse rationem, eadem illa docere exempla. Et quid? haeccine idola melio-
„ris notae aut originis esse, ut parcendum iis magis sit, quam serpentem
„illum aeneum, ab ipso Mose Deo iubente erectum, ab Ezechia, regum
„pientissimo, ob surrepentem abusum destructum, quam cetera ab aliis
„eversa? Quousque tandem claudicabimus in utramque partem? Quous-
„que Deo simul et mundo placere studebimus? si Deum vere et ex
„animo Dominum nostrum esse credimus, quidni illum utroque demum pede
„semel aliquando sequimur? sin minus, quid me hic ministro opus est? Ego,
„quemadmodum lubens suscepi ministerium ecclesiae Christi, quae non no-
„vit alienorum doctorum voces, ita in eo operam omnem meam tibi, Prin-
„ceps! et huic ecclesiae lubens etiam defero. Paratus etiam sum, non mea
„solum, quantulacunque ea sunt, in usum ecclesiae sine ulla praemii aut
„mercedis spe insumere, sed vitam quoque meam pro Christi gloria peri-
„culis omnibus exponere (siquidem ita res postulet), modo ut vos verbo
„Dei regi obedireque velle testemini. Si vero id nolitis, atque humana vo-
„bis consilia mundique huius sapientiam potius, quam divinam voluntatem
„sequendam esse putatis, tum demum vero meam hic vobis operam polli-

„ceri neque possum neque volo. Doctrinae Evangelicae atque Apostolicae „minister lubens ero pro mea tenuitate, atque hic me non pudedit vel a „minimo quovis fratre, quae forte nondum didici, discere. Caeterum huma„nae sapientiae aut consuetudinis praeter verbum Dei inductae — quod qui„dem ad divina attinet — minister plane esse nolo. Habeat locum et pondus „suum in rebus humanis humana sapientia, in divinis anteponenda est om„nibus consiliis divina auctoritas et voluntas. In illis praeclarum est, in„genio prudentia ac dexteritate excellere, hic stultus sit necesse est, quis„quis sapiens haberi cupit. Non est consilium in divinis nisi ex ore Domini, „alioqui mox audimus: *Vae filii desertores, ut faceretis consilium et non ex „me.*" Post haec iterum addit: „Nihil se sibi arrogare, aut poscere, ut ex „auctoritate geratur aliquid, sive credatur, nisi quatenus sua verbi divini „testimoniis probaverit. Iam et in probatione hac ipsa fateri se, hominem „se esse et in scripturae intellectu falli posse, proinde nec erudiri nolle, „modo ex verbo Dei fiat eruditio, imo gratiam se ei habiturum, a quo con„tigerit aliquid se discere, nec se quidquam imperare, ut calumnientur ini„mici, sed ad Dei tantummodo obedientiam revocare hortarique. Eam vero „semper invisam fuisse huic mundo, nec fieri posse, qui huc homines re„vocet, ut placentia loquatur, ideoque nec mirum, se, qui prius omnes „amicos habuerit, nunc, Dei obedientiam urgentem, multorum animos a se „alienatos experiri." Et post alia, commemoratis vitiis: „hicne sibi tacen„dum; nec novandum quidquam? sic sane facientem placiturum se multis, „potissimum vero iis, qui se nunc novatorem appellent, verum non esse „ministerii sui placentia loqui, sed adnunciare omnibus peccata ipsorum, id „autem semper offendere impios, piis vero ingratum esse non posse. Se „adeo non μισάνθρωπον, ut non amari ab omnibus malit, quam odio ha„beri, nec ita esse stupidum, ut intelligere nequeat, quam utilis sibi sit „favor hominum, imprimis eorum, quorum nutus ac renutus pondus suum „habeant. Agnoscere se conditionem suam, hominis peregrini, familiam ha„bentis, cui opus sit domicilii sede, quae gratiam potius requirat, quam „odium aut offensam, et sane cupidum se esse gratificandi et morem ge„rendi omnibus, sed usque ad aras, haec septa transilire prudentem ac „volentem se non posse, etiamsi deserenda sibi sit omnium amicitia, atque „adeo familia in summa inopia et mendicitate relinquenda: eum, qui om„nem carnem pascit, pasturum etiam suos, etiam nulla re ipsis a se relicta. „Interim in ministerio se perstiturum donec videat, an Princeps ipsa, cae„terique Christum doctrinamque eius super se regnare pati possint, quod „si sic, futurum se Ecclesiae ministrum ipsorum studiosissimum, sin minus, „obsecraturum se, tum ipsam, tum reliquam ecclesiam, ut qua gratia ac „benevolentia ad ministerium se vocarint, eadem quoque rursum dimittant. „Demum, pro debito officioque suo monere et hortari principem, ut cogi„tet, quantum Deo, quantum ecclesiae eius, ex muneris suscepti ratione „debeat. Ministerium publicum, inquit, ecclesiae Dei suscepisti, ministerium „agnosce, scio quod vapulare oporteat servum, qui non faciat domini sui „voluntatem, sed omnium gravissime eum, qui illam sciens negligat. Ex-

„pende igitur talentum tuum, tibi in divina cognitione concreditum, illud„que in populo tibi commisso Domino Deo tuo foenerare. Cogita tibi dici, „quicquid Regibus a Prophetis olim mandato Dei dictum legitur. Non „detulissent ad reges mandata ulla Prophetae aut Angeli, etiam in religio„nis causa, si illius cura ad Reges non pertineret. Neque David sane di„xisset: *Et nunc intelligite reges, servite Domino, apprehendite disciplinam „etc., ne quando irascatur Dominus et pereatis.* Ad eam igitur „ait" perti„nere curam religionis, et eius partium esse ex voluntate Dei haec ante „omnia promovere, idque facere non secundum humanae sapientiae consilia, „sed secundum verbum Dei, neque enim iuxta humana consilia iudicatum „iri olim homines, sed sermonem Christi ad nos delatum iudicem omnium „nostrum futurum in die novissimo, itaque sic principi fungendum munere „suo, si fungi illo cupiat, ut Deo ipsi se probet. Haec vero se haudqua„quam scripturum fuisse, ni cognitum haberet ipsius in pietatem studium, „imo confisum se, probe intellecturam illam, officii sui esse, fideliter mone„re, quae tum ad ipsius, tum ad ecclesiae salutem sciat pertinere, et be„nigne quoque hanc suam in scribendo libertatem esse accepturam. Perfi„dum se fore, ni faceret, praestare autem, ingratum quam infidelem esse, „atque interim sperare, etiamsi parum gratus apud alios propterea sit, „quod non satis grata loquatur, tamen apud ipsam ingratum idcirco non „futurum. Certe fecisse se quod debuerit, si parum feliciter, tamen bona „fide: offerre se operam suum paratae Deo magis obedire, quam hominibus: „ceteroquin dimissionem rogare. Postremo precari se ei a Deo Spiritum „Sanctum, qui dirigat consilia et actiones eius in gloriam eiusdem nominis „et ecclesiae aedificationem." [8 Aug. 1543]

[1]) Anna, vidua Ennonis II. [2]) Initium huius Ep. deest et nonnisi oratione obliqua bonam superstitem eius partem habemus, quam historiae suae inseruit Emmius. Responsoriae Annae Epistolae habentur in MEINERS, *Oostfr. Kerckgesch.* I. 249 sq. Quod monet Gardesius hanc Ep. autographam in scriniis Emd. Eccl. asservari, huius scrinii perquisitio minime confirmat. Adest autem Ep. de libro Interim ad Annam Comitissam data, quacum hanc nostram proculdubio confuderunt falsi illius nuncii auctores.

N^a^. 12. [Gerd. s. a. IIb. 649.]

Ad DRUSILLAM SYSSINGHE.

Quod tibi ita sero remittat pannum tuum lineum uxor mea, soror in Domino charissima! In causa id fuit, quod is nuncius, qui illum ad nos attulit, ad vos deinceps reversus non est. Et me aliquot diebus una cum uxore mea hinc abesse oportuit, cumque heri vespere rediissemus, curavit mox uxor mea ut tibi remitteretur. Atque uxor quidem crassiorem pannum illum acceptura esset in usum meum, si aliquanto citius allatus fuisset,

sed paulo antea quam tuus adferretur, illa iam similis propemodum panni tantum emerat, quantum mihi satis erit. Offerebat interim aliis emendos pannos hosce tuos, suppresso tamen et tuo et suo nomine, sed nemo erat, qui illos tanti vellet emere. Uxor Comitis Ioannis hic pro panni tenuioris ulua non amplius quam decem stiferos brabanticos offerebat. Agit autem tibi magnas gratias uxor mea, quod ad se pannum hunc ita miseris, sed dolet ita sero allatum et quod tibi in eo vendendo non potuerit gratificari.

Quod ad me attinet, mea soror! quod tibi semel sum pollicitus, id semper pro virili mea praestabo, hoc est, ut intelligas me rebus tuis omnibus nunquam esse defuturum, teque non alio apud me quam sororis charissimae loco esse futuram. Quod scribis, esse in quo consilio meo uti vehementer cupias, quidquid huius est, fac modo ut sciam, nihil tibi denegabitur, quod modo praestari a me queat. Vellem tamen abs te fieri certior, annon te certo iam sub Michaëlis expectare debeamus. Et vellem, quemadmodum antea quoque scripsi, primo quoque tempore istinc te explicares, imo vero alias quoque tecum liberares, si posses. Quanquam enim ego alienae conscientiae dominus ac iudex esse neque possum neque volo, tamen non video, quo pacto is, qui aliquam veritatis cognitionem habet, et impietatis monasticae mysteria agnoscit, conscientiam suam Deo approbare possit, si inter eos haereat, a quibus Christi Domini meritum ac gloriam blasphemari indies videt et audit. Scio hic variare multorum iudicia, sed quoniam scimus infinitas ubique a Satane saluti nostrae insidias strui, tutius esse puto, etiam ea quae certa esse credimus, haberi pro dubiis, ne nimium securi simus, quam quae dubia sunt pro certis reputare, si tamen pro dubiis sint habenda, quae sine offendiculo atque impietate esse non possunt. Vale charissima soror! et in tuis precibus nostri quoque memineris, rogo. Uxor mea te brevi viset fortassis et tibi clarius omnia exponet. Iterum vale. Aembdae xvi Aug. 1543.

I. à Lasco. m. pr.

[In dorso: *Der andechtige Iunffer Truytje Syssinge in 't eerste Baghynenhoff te Groningen ter handen.*]

N°. 13. [Gerd. s. a. II^b. p. 489. Gabbema. Cent. III. 493.]

Ad N. N.

.... Postea legi correctionem tuam in Epistola ad Albertum. Ego nec a Philosophia alienus sum, nec adeo prorsus rudis omnium disputationum, ut non de religionum varietate deque illa infinita multitudine hominum extra Ecclesiam saepe cogitem. Quid videtur absurdius, quam tanta agmina etiam virtute excellentium condita esse a Deo ad aeternas miserias? Sed compescamus has cogitationes Philosophicas. Magnum et peculiare beneficium Dei ducamus, quod se sua voce patefecit hominibus. Nec frustra

nec sine causa se sic patefecit. Vult nos alligatos esse ad suum testimonium, ad verbum traditum et ad ministerium, quod instituit, vult illos exaudire ac recipere, qui agnoscunt ipsum se patefacientem, vult discrimen esse inter coetum, qui nec audit, nec curat, nec quaerit Deum sese patefacientem, sed aut fingit more Philosophico opiniones de Deo ex humana ratione, aut etiam maledicit illi doctrinae, quam Deus sese patefaciens nobis tradidit. Hoc discrimen et hos fontes si curaremus, magnificeremus vocem Dei et ministerium. At plerique homines indulgemus nostris cogitationibus et quaerimus concinnas opiniones. Id commune malum est universae humanae naturae. Sed repugnare discamus, et hunc vere esse Deum aeternum conditorem rerum statuamus, qui sua voce et misso Filio suo se patefecit. Hic est eius populus, qui eum audit, non qui maledicit, ut Turci, Iudaei, Ethnici, Epicurei, Academici. Non igitur transferatur promissio salutis ad coetum illum maledicentem. Deinde nos, qui agnoscimus Deum, qui se sua voce et misso Filio suo patefecit, utamur ministerio. Inseramus Ecclesiae nos et nostros per ministerium, quod existere in Ecclesia voluit. Scriberem plura si certo scirem ad te hanc epistolam perventuram esse. De nostro colloquio etiam brevi te certiorem reddam.

Haec cum scriberem, Dux Iuliacensis ferebatur iam sese et suas ditiones omnes dedidisse Imperatori Carolo. Hoc constabat, Ducatum Iuliacensem occupatum esse a Carolo. Haec qualemcunque habitura sint exitum, Ecclesiam spero Deo curae futuram esse. Bene vale, die XVII Septembris **1543.**

N°. 14. [Gabb. p. 195. Gerd. s a, IIb. 198. Bretschn. C. R. Ep. Mel. V. 231.]

Ad Philippum Melanchthonem.

Video te nonnihil offensum fuisse literis meis, Vir Doctissime! idque ex aemuli cuiusdam mei, quantum audio, instigatione, qui, ut dissidium inter nos sereret, ac inde demum illius praetextu omnem mihi auctoritatem abrogaret, Evangelii se studiosum apud te fingebat, homo alioqui non indoctus, sed Evangelii summus et mire callidus adversarius. Causam autem offensionis eam fuisse intelligo, quod in illis visus tibi sim tribuere salutem infantibus omnium Ethnicorum. Ego vero, mi Philippe! etsi non prorsus caream scripturae testimoniis, quibus id mihi tueri posse videor, et puto id ad Christi gloriam imprimis pertinere, ut illius beneficium quam latissime patere ex verbo Dei doceamus, tamen in mea ad te epistola nihil huius attingere volebam, quandoquidem id tibi per Albertum nostrum transmissis ad te scriptis quibusdam meis significaram.

Sed, cum in hoc potissimum nostra versatur disputatio: *An per baptismum proprie inseramur in Ecclesiam Christi?* — id quod tu mihi equidem affirmare quodammodo velle visus es — ego de nostrorum, hoc est de Chri-

stianorum duntaxat infantibus quaerebam, qui ad Turcas aut Scythas in perpetuam abacti servitutem inter illos interim in coniugio versantes genuerant, et tamen nullum habere legitimum possunt neque publicum neque privatum ministerium verbi aut sacramentorum. Addebam et eos qui sub Papae tyrannide constituti, in hac iam praesertim Evangelii luce, non amplius sibi cum Christi adversariis propter offendicula communicandum esse putant. Horum porro omnium infantibus si salutem tribuimus, profecto neque a Christo illos (extra quem nulla est salus) neque item ab eius Ecclesia excludere possumus, etiamsi non baptizentur. Et proinde nos non tam inseri proprie Ecclesiae per Baptismum, quam insitionem nostram potius, promissione ad nos delatam, velnti per sigillum quoddam in hoc a Christo Domino institutum obsignari. Haec erat Epistolae meae summa, quod quidem ad infantes et Baptismum attinet. Neque puto te improbaturum fuisse ea quae ad confirmandam hanc meam sententiam adferebam, nisi se tibi tum parum mihi aequus interpres ille obtrusisset.

Ego enim, mi Philippe! non ideo elevo Baptismi usum aut dignitatem, quod doceo, illo non tam proprie nos inseri in Ecclesiam Christi, quam insitionem nostram potius promissione ad nos delatam obsignari, sed proprium baptismi finem indico, eundem sane quem Paulus tribuit circumcisioni, dum illam nostrae acceptationis σφραγῖδα esse docet. Promissio enim nos certos reddit, Deum esse nostrum et seminis nostri Deum, nosque vicissim una cum nostro semine in lumbis nostris incluso esse populum Dei, atque eadem nobis applicat etiam Dei erga nos benevolentiam, dum audimus „et Deus *tuus* et Deus seminis *tui*." Baptismus autem illam et in nobis et in semine nostro obsignat ex Christi institutione, quae sane, nisi Christo Domino simul contempto, contemni nulla ratione potest. Dicebam tamen, mihi non improbari eum dicendi modum, ut fateamur, nos per Baptismum inseri Ecclesiae Christi atque per eundem nobis applicari promissionem, siquidem de visibili insitione et applicatione iuxta naturam Sacramenti intelligamus, ut Baptismus sit, quemadmodum et olim circumcisio erat, benevolentiae ac promissionis Divinae visibile testimonium, seu σφραγίς.

De Ethnicorum infantibus rem tibi per Albertum nostrum proponere ideo volui, ut quid tu hic sentias scire possem, ac ex tua sententia doctrinam meam demum moderarer. Nunc etsi idem mecum iam cogitaram, tum per te etiam admonitus nihil huius amplius docebo, praesertim cum tu statuas, eam doctrinam hoc potissimum tempore non ita multum facere ad Ecclesiae aedificationem, etiamsi vera esset. Absit autem hoc a me, mi Philippe! ut ego novi alicuius dogmatis autor esse velim, quod praesertim nunc perturbet quoquomodo Ecclesiarum concordiam, aut sola humana Philosophia nitatur. Agnosco meam ipse caecitatem quod ad rationis iudicium attinet, et ineffabile illud Dei Optimi Maximi erga humanum genus beneficium, quo se nobis Verbi sui Divini testimonio patefecit, tanti pro mea infirmitate apud me facio, ut illi soli modis omnibus et mihi et aliis insistendum putem. Fateor item, omnes qui traditum ab illo et verbi et sacramentorum

ministerium non volunt agnoscere, eos nihil prorsus neque ad Christum neque ad eius Ecclesiam pertinere. Est enim certissima regula Christi illa, *Qui non crediderit condemnabitur.* Et tantum abest ut salutis promissionem ad coetum impiorum transferre unquam voluerim, ut hoc imprimis nomine non bene hic audiam apud imperitos quosdam gratiae iactatores, quod doceam, promissiones Dei ad contemptores neque pertinuisse unquam, neque posse omnino pertinere. Loquor autem de eo contemptu, qui delatam in Christo salutem spernit blasphemat et ridet. Imo vero hoc ipsum discrimen, quod tu inter eos, qui vocem Dei sese patefacientis audiunt, et qui illam contemnunt, statuendum esse putas, hoc ipsum discrimen, inquam, facit, ut mihi videor ego de omnium ubique infantium salute bene sperare posse, nedum, ut in hanc cogitationem delapsus sim ex ulla admiratione innumerae illius multitudinis, quam in suam ipsius perniciem ferri toto terrarum orbe videmus. Hanc equidem semper statuebam damnari iusto iudicio Dei, neque tamen conditam esse a Deo ad aeternas miserias, qui neminem a sua excludit gratia, et universum in Adamo mortalium genus ad salutem condidit nominisque sui gloriam immortalem, sed voluntarium in ea multitudine contemptum damnari, ut dum oblatam gratiam destinata voluntate contemnit, ab illa sane excidat, sed interim vel invita gloriae Dei serviat, ac poenarum aeternarum magnitudine testetur, Deum Dominum suum esse, quem ut Patrem indulgentissimum oblata in Christo Domino salute agnoscere nolebat. Caeterum ut huic multitudini infantes quoque includamus, id vero non ita mihi facile, ut ingenue verum fatear, e scripturis praesertim persuadere adhuc possum, imo vero diversum mihi colligere posse videor. Sed tamen, mi Philippe! libenter hic sequar iudicium tuum, et posteaquam tu indicas utilem non fore nunc eam doctrinam si urgeretur, ero et ego hic deinceps mutus, donec id inter nos semel aliquando vel coram, quod maxime optarim, vel per literas excutiamus. Ego enim dum et plurima et eadem eximia dona Dei in te intueor, te unum esse etiam statuo apud quem effundere debeam omnino quidquid in animo meo dubitationum oboriatur. Et facio id sane summa cum fiducia, tum libertate, ea spe, ut non dubitem, te hoc pro tua humanitate proque Christiana charitate boni consulturum esse inque optimam partem interpretaturum.

De Caena Domini gaudeo tibi probari nostram sententiam, utinam ea iam pace omnium Ecclesiarum obtinere demum possit. Tua carmina de Mose in caverna petrae constituto ac rursum de percussa per illum petra magna cum voluptate legi. Plane sic est. Qui in legis ministerio positi, illius ministri videri volunt, illi ipsi omnium gravissime nunc petram in membris suis feriunt, haec porro icta aquam nihilominus reddit, idque tanto copiosius quanto vehementius feritur. et nulla maior consolatio haberi potest, quam dum certo statuimus protegi nos dextera Dei propterea quod nos in caverna petrae illius invictae, quae nullis ventorum aut fluctuum quamlibet saevientium furiis loco suo moveri potest, constitutos esse videmus. Dominus adaugeat nobis eam fidem, ut tantum illius beneficium

animis nostris firmiter impressum habere semper possimus. Idem vero te quoque nobis servet ad gloriam Filii sui magis ac magis sub tantis Ecclesiae afflictionibus in eius Evangelio illustrandam [*]). Vale secunda Novembris 1543.

*) Colonia Agripp. Philippus ei responsoriam Ep. miserat ad litteras dogmaticis quaestionibus refertas. Utraque periit. Errant, qui Melanchth. Epistolam censoriam fuisse arbitrantur in opusculum Lasci, cui *Epit. doct. Phr. Or.* inscribitur titulus. De illo libello hoc tempore sermo esse nondum poterat, quippe qui nondum esset divulgatus.

N°. 15. [Nic. Blesd. Hist. Dav. G. p. 139 sq. Gerd. s. a. lib. 303.]

Ad Davidem Georgii. [1])

Gratia tibi et pax per Christum Iesum, unum cum Patre et Sp. Sanct. Deum, unum et nobiscum in carne fratrem, verum Dei et hominum Mediatorem, qui in caput anguli positus vetera cum novis connectit, facitque in se ipso utraque unum, ut regnum suum possideat ab aeterno sibi a Patre suo donatum. Illi laus et gloria in secula. Amen.

Postquam in eius ministerio positi sumus, Frater charissime! qui cum Dominus esset omnium, se tamen nobis totum impendit, ut nos in gloriam regni sui adduceret, idemque testatur, se in hoc venisse ad nos, ut non solum eas oviculas, quae in ovili suo iam collectae fuissent, pasceret, sed ut alienas quoque illis adiungeret, putavimus et nos nostri officii esse, ut sub ea, non doctrinae modo, qua nunc totum orbem scindi videmus, sed ovilium quoque varietate, quae a nonnullis iam peculiaria eriguntur, omnibus nos etiam, quantum in nobis esset pro nostra tenuitate impenderemus, etiam iis qui a nostra doctrina quoquomodo dissentirent. Proinde simulatque ad ecclesiae huius ministerium Deo ita volente vocati essemus id imprimis, communicato cum collegis nostris consilio, operam dedimus, ut a quibus nostra non omnino probari intelligebamus, eos ad amicum colloquium fraterne invitaremus, non quod nobis clavem scientiae arrogaremus, qui nostram exilitatem libenter agnoscimus, sed quod nostra interesse intelligeremus, ut doctrinae consensus per omnes ecclesias nobis concreditas, quoad eius fieri posset, retineretur, doctrinae inquam, non nostrae (absit enim ut nostrum aliquid scientes ac volentes doceamus) sed doctrinae sanae, quae sive per nos sive alios quosvis verbi divini testimoniis confirmari possit. Sed etsi contemni ab aliis, ab aliis calumniis degravari nostrum hoc consilium videamus, non ideo tamen praetermittere volumus id quod ad nostrum officium intelligimus omnino pertinere, sed omnium colloquia fraterna et libera nihilominus expetivimus, si quo modo doctrinae consensum in nostris ecclesiis introducere potuissemus, parati aut approbare no-

stra verbi divini testimoniis, aut ab aliis inde discere si quid forte nondum didicissemus.

Ita factum est, ut cum tuis conveniremus, de quibus atque adeo de tua doctrina etiam mira hic spargebantur, idque non apud plebem solam, sed etiam apud Magistratum. Erant autem qui nobis non prorsus bene ominarentur si cum tuis colloqueremur. Dicebant enim, te studio nondum prodere tua omnia iubereque ut omnes tui idem faciant, donec lux nescio quae clarior exoriatur. Sed nos haec nihil morati, experiundum id nobis esse iudicavimus, priusquam de quoquam in alterutram partem pronunciaremus. Convenimus igitur cum tuis et summam doctrinae nostrae illis claris et perspicuis verbis exposuimus, non aliud prementes in animo, quam quod verbis apertissimis testabamur. Petebamus etiam, ut pari candore tui nobiscum agerent et, positis omnibus simulationibus, nostra aut approbarent aut impugnarent. Iudicem omnium constituebamus doctrinam Evangelii Christi, quae omnes alioquin homines ad extremum iudicatura esset. Acceperunt tui conditionem, et habitis ultro citroque sermonibus doctrinae nostrae demum unanimiter (Deo sit gratia!) subscripserunt, praeterquam quod in vocationum discrimine nondum potuit inter nos convenire, propterea quod tui peculiarem tibi quandam super alios vocationem decernunt, et tu ipse agnoscere illam videris etiam, — nos autem unicum duntaxat vocationis genus post Christi Apostolos in Ecclesia statuamus, etiamsi in una atque eadem vocatione non negamus alios aliis virtute et spiritu antecellere. Sic Iohannes plus quam propheta vocatur, cum tamen propheticam duntaxat vocationem haberet. Sic et Paulus, etsi caeteris Apostolis plus fructus attulerit in Evangelii praedicatione, nihil tamen sibi supra Apostolus arrogat, quod quidem ad vocationem attinet, imo vero se illorum minimum appellat, et ponit discrimen inter eos qui doctrinae fundamentum iecerunt, et qui posito fundamento superstruunt. Et qui post iactum semel fundamentum in ministerio constituuntur, intelligant, se fines positi fundamenti excedere iam amplius non posse, multo minus aliquid peregrinum illi velle inducere, aut illud ad alium quendam modum formare. Breviter, id petimus, ut peculiarem hanc tuam vocationem quam tibi usurpas, aut approbes nobis verbi divini testimoniis, aut missam omnino facias, ne ecclesiae sciudantur. Non invidemus tibi dona, si quae in te prae/ter alios contulit Deus, quin potius illa suspiciemus etiam, sed consultum cupimus unitati Ecclesiae Christi, plus satis alioqui hactenus perturbatae, ab iis, qui sibi alias etiam peculiare vocationis genus arrogabant. Huic sane debemus omnem Papae et Mahumetis tyrannidem, huic, quam et nostro seculo vidimus, Monasteriensium insaniam, ut de Montano taceam, qui in se Sp. S. descendisse iactabat. Quare te, mi frater! per Iesum Christum rogamus, ut tecum probe expendas quid agas. Extrema sunt tempora, quibus leo ille rugiens, si unquam alias solicite quaerit quem devoret, vertit se in lucis angelum, ut omnibus imponat, et habet additam illusionis efficaciam etiam in edendis miraculis, ut ad mendaciorum fidem pertrahat omnes, qui nolunt credere patefactae nobis iam per Christum Dominum et eius Apostolos veritati.

Non dubitamus autem, quin boni consulturus sis hanc nostram admonitionem, quam certo statuere debes proficisci ex Christiano tuique amantissimo pectore. Et si Spiritu Dei ageris, is haud dubie id ita se habere tibi declarabit. Approbationem igitur vocationis tuae expectamus ex verbo Dei, quam vellemus ut verbis dilucidis minimeque allegoricis simplici oratione contesteris. Vale. Deus te servet et dirigat nostra omnia ad gloriam nominis sancti sui et Ecclesiae aedificationem. 4 Feb. A°. 1544. [2])

[1]) Davides Georgii, Davidistarum sectae autor. [2]) Ut ex ipsa epist. apparet, responsoria habenda non est, licet Davides iam antea epistolam ad eum dedisset, quae tamen nondum ad eum pervenisse videtur. Cf. VON NIPPOLD, *Zeitschr. f. Hist. Theol.* 1863. Heft I. S. 149—62.

N°. 16. [MS. Arch. Tigur. Ep. III, 277. cist. c. Gerd. s. a. IV, 446.]

Ad HENR. BULLINGERUM.

Ita nos ubique coniungit Dominus per Spiritum suum, vir doctissime! ut etiamsi longissimis ab invicem intervallis absint, neque alii norint alios, in mutuum tamen amorem nescio quo pacto invicem rapiantur. Id sane tibi ego de me testari nunc vere possum, qui, cum propter insignes alias dotes tuas, tum vero ob singularem inprimis doctrinae tuae simplicitatem, quam in plerisque aliis non ita possum agnoscere, ita te iam pridem amare coepi, ut et occasionem iucundae tecum amicitiae dudum quaesierim, et nunc facere demum non potuerim, quin ad te scriberem, praesertim cum Hermannus, frater et collega noster [1]) hoc mihi negotii dedisset, ut suas hasce literas ad te transmittendas curarem.

Mirum autem tibi videri non debet, quod te propter doctrinae potissimum tuae simplicitatem ita amem. Equidem hanc unam maxime nunc, si unquam alias, necessariam Ecclesiis esse puto, sub hac opinionum ac iudiciorum varietate, quam si omnes observarent, minus haud dubie dissidiorum nunc in Ecclesiis haberemus. Audimus expeti ab omnibus, ut claram ac dilucidam doctrinam de omnibus habeamus. At vero, optandum esset, ut id quisque pro sua virili ubique praestaret. Nunc plerosque videmus, qui ne in eo, quod sibi tuendum semel susceperunt, errasse quoquomodo videri possint, quam multa sibi permittant in Scripturae interpretatione, eamque ita tractent, ut implicent magis quam explicent lectorum animos. Videmus item alios, qui figuratas adhuc locutiones tueantur, sive e Scripturis, sive e Patribus desumptas, quasi non multo clariorem doctrinam habituri essemus, si, servata interim scripturae dignitate, simplici ac dilucida oratione exponerentur, quae sine troporum praesidio recte explicari non possunt. Atque ego quidem non elevo cuiusquam vel eruditionem vel autoritatem, sed cum omnes fateantur, oportere in Ecclesia claram de omnibus doctrinam extare, non possum non plurimi facere eos, qui pure ac simpliciter

docent, quicquid docendum susceperunt. Quare cum te quoque ita affectum esse videam, ut quam simplicissime tractare coneris omnia, quae tibi explicanda desumsisti, non possum tuum hoc studium non vehementer probare, atque adeo te ipsum non magnopere etiam hoc nomine amare.

Eum porro animum erga te meum declarare tibi volui per literas hasce meas, ut mihi aditum quendam pararem liberius tecum agendi deinceps de omnibus, quae se forte offerrent, si id tibi gratum fore intelligerem pro humanitate tua proque caritate Christiana. Habeo enim quaedam, in quibus mihi quidem ipse satisfacio, quod ad meam conscientiam attinet, (ut fere nobis facile in nostris satisfacimus ipsi) sed non scio, an aliis perinde sim satisfacturus etiam, si ea invulgarem. Sunt enim nonnihil diversa a recepta passim doctrina populari, sed quae nos tamen ad penitiorem et Divini beneficii et nostri ipsorum cognitionem, nisi ego prorsus fallor, adducunt. Versantur autem circa lapsi ac restituti rursum hominis considerationem, sed non alio spectant tamen, quam ad illustrandam magis adhuc meriti Christi gloriam ac virtutem, cui soli debemus omnem nostram restitutionem. Sed te nunc obruere istis nolo. Satis est, meum erga te animum hac epistola declarasse, quod te vehementer amem et proinde cupiam etiam tibi probari mea omnia, etiamsi te non norim. Iam si scire cupias, quisnam sim, facile id ex Erasmi Roterodami scriptis cognosces — extant enim aliquot illius ad me epistolae — qui etiam mihi autor fuit, ut animum ad sacra adiicerem, imo vero ille primus me in vera religione instituere coepit. Breviter, ut apud te quoque praedicem Christi Domini in me beneficium ac virtutem, eram pridem insignis Pharisaeus, multis ornatus titulis, multis et opulentis sacerdotiis a puero adhuc pulchre suffarcinatus, nunc autem, relictis ultro per Dei gratiam hisce omnibus, relicta item patria atque amicis, inter quos me Christiane vivere non posse videbam, nudus sum inter externos nudi Christi Domini pro me crucifixi servus, constitutus nuper hic Ecclesiarum minister in Evangelicae doctrinae annuntiatione, iuxta voluntatem illius, qui me e caulis Pharisaeorum ad ovile suum per suam misericordiam evocavit. Habes meas rationes, tuum erit iam, ut me recipias in tuam amicitiam et pro fratre deinceps habeas. Vale. Aemdae XIV Martii 1544.

Tuus ex animo, IOANNES à LASCO. m. pr.

[In dorso Bulling. adscripsit: *»Ioannes à Lasco nobilissimus Poloniae »Baro, quondam Gnesensis praepositus, singularis D. Erasmi Rot. amicus, »Regis Poloniae legatus. Cuius patruus, et ipse Ioannes à Lasco dictus, fuit »Archiepiscopus Gnesensis in Sarmatia.«*]

---

1) Sc. Hermannus Brassius, qui medio an. 1543 V. D. ministerium Emdae susceperat. Cf. U. EMMIUS. p. 916.

N°. 17. [Blesd. p. 153 sq. Gerd. s. a. IIb. p. 306.]

Ad Davidem Georgii.

¹) Accepi nuper literas tuas, mi frater, quibus tibi gratum esse scribis, quod cum tuis amice de religione collocuti sumus, ac fateris etiam, te hoc nostro provocatum officio oportuisse vicissim declarare tuum erga nos animum, nempe eum, ut nos non minus quam te ipsum sis amaturus, siquidem in nobis idem veritatis studium agnoscas, quod in te esse testaris. Et quidem eius veritatis, non quae historica duntaxat notitia constat (sic enim tuae literae *veritatem* interpretari putamus), sed quae a Spiritu S. animis nostris impressa, specimen ipsa sui non obscurum in nobis edit, efficiente nimirum id eodem ipso Spiritu S., ut fructus illa veritate cognita dignos pro sui quisque doni mensura faciamus. Addis praeterea, ne te ideo contemnamus, quod linguis usque illarum non provide instructus videri possis, sed ut te pro fratre potius habeamus, posteaquam eodem veritatis cognoscendae tuendaeque studio tenearis, praesertim, cum vera charitas non sit aestimanda a nobis e verborum ornatu atque eloquentia, non externo ullo rerum carnalium cultu, neque item linguarum aut disciplinarum apparatu, sed ex interno animi motu potius per Sp. S. excitato. Postremo optas, ut libere mecum, non secus quam cum tuis de religione possis agere, ita ut demum appareat, uter nostrum pleniorem habeat veritatis cognitionem, quae, ut dictum est, Spiritu, non litera constet. Cupis item, ut, quod de Deo Patre et Filio sentiamus, quid hic in te vel probemus vel improbemus, certiorem te reddamus, aut si quid praeterea in scriptis tuis requiramus, id ut etiam tibi significemus, quo facilius mentem tuam de omnibus aperire demum possis. Offers etiam librum „Admirabilium operum Dei" simulatque fuerit absolutus, ut summam totius doctrinae tuae nobiscum probe expendamus, et, si nos in veritatis cognitione superari abs te intelligeremus, pateremur etiam, nos abs te deduci ad maiorem illius cognitionem, quod etiam te facturum pollicearis vicissim, hoc est, ut nobis modis omnibus obsequaris, si te a nobis videas superari, etiamsi constanter affirmes, apud te haudubie esse ipsam veritatem, quam iam demum in lucem proferri oportest, de qua interim nobis potius gratulandum esse censes, quam ut illa quoquo modo offendamur. Haec est summa tuarum ad me literarum. Quemadmodum cum tuis libenter, o David! collocuti sumus de religione, ac nunc cupimus etiam in nostra illos societate Ecclesiastica, quantum in nobis quidem est, retinere, si modo consensum doctrinae nostrae candide ac simpliciter sine simulatione ulla sequantur, aut nobis e verbi Dei ostendant, sicubi nos errare arbitrentur: ita et animum tuum quoque multo lubentissime amplectimur, quo nobis amorem tuum denuncias, quatenus in nobis agnoscas studium veritatis: imo vero, non alio ullo quam Christi solius nomine vel abs te vel ab alio ullo homine amari postulamus, atque adeo non volumus, ut nos in nobis amet quisquam, sed Christum potius, hoc est, virtutem et dona illius, si quae in nobis elucescunt. [Quodsi quis

alio quodam pacto nos amare sive amari a nobis velit, hunc a Christiana dilectione diversum plane prorsusque alienum existimarem, quod in Socratis apud Platonem exemplo satis clare perspicitur.]

Proinde hanc conditionem libenter accipimus, ut, reiecto externae faciei aspectu omni, Christum solum in nobis mutuo intueamur, [qui solus tantummodo auctor ac gubernator est dilectionis meae, cui omnia nostra tribuenda sunt, et qui solus consiliorum nostrorum index atque moderator constitui debet. In ipso omnes fratres sumus, quoniam ille, quamvis Deus, frater noster esse voluit.] Sic igitur et te pro fratre multo libentissime agnoscere et a te vicissim pro fratribus agnosci volumus, mi David! illudque tibi certo affirmamus, nobis nihil magis cordi esse, quam ut in reddenda doctrinae nostrae ac fidei ratione omnibus prorsus satisfaciamus, qui nostrum in verbo Dei ministerium [qui hauddubie iuxta verbi ipsius testimonium auctor huius est] agnoscere modo volunt, aeque quicquam ardentioribus votis petere, quam ut, positis humanis affectibus nostris, uno corde et ore omnes veram Dei et nostri cognitionem annunciemus at exprimamus, parati interim nos discere meliora semper ab omnibus, qui nos docere possunt, sed non aliunde, quam e Propheticis et Apostolicis literis, mutuo sibi testimonium semper et ubique perhibentibus, propterea quod eas Paulus Ecclesiae fundamentum, Christo ipso summo angulari lapide compactum appellat, et anathema esse vult, quicquid praeter positum iam fundamentum hoc etiam ab angelo de coelo quocunque modo doceretur. [Quare nihil, quod magis e votis nobis sit, facere potes, quam ut iuxta hanc Spiritus Sancti Pauli ore prolatam regulam, quam liberrime nobiscum agas et quam apertissime nobis explices, quaenam in doctrina nostra laudanda, quaenam improbanda tibi videantur.

Ex his antem, quae vel ex tuis audivimus, vel ex scriptis tuis etiam deprehendisse nobis videmur, illud probare non possumus, quod tibi novum quoddam ac prorsus peculiare vocationis genus arrogare videris, in quo videlicet neque falli possis, neque fallere. Causas iam audivisti in prima nostra Epistola, etc.

Id videtur quoque paulo arrogantius, quod in tua hac ad me Epistola scripsisti, te certo affirmare, quod tecum sit veritas et tu cum veritate vicissim, siquidem haec verba nude ac simpliciter accipiamus. Fatemur sane, veritatem nobiscum esse, quatenus in nobis per Spiritum suum vivit ac spirat Christus. [Fatemur etiam nos cum veritate esse, quatenus, lege membrorum nostrorum non ad condemnationem nobis imputata, corpori Christi insertos nos esse credimus.] Sed hoc non est proprie, nisi partem unam esse cum veritate, nempe quatenus iuxta legem mentis nostrae sectamur veritatem, postquam Sp. S. illius cognitionem animis nostris impressit. Nam est et altera nostra pars eaque multo violentior, nempe quae nos cogat vel invitos facere malum, quod nolumus, et proinde fallere quoque ac falli, iuxta quam nos omnes mendaces propheta apellat. Iuxta hanc igitur nostri partem cum veritate esse non possumus, quicunque homines sumus. Sed interim a veritate non excludimur tamen, propterea quod eam nostri par-

tem Christus Dominus, in se translatam, per mortem suam expiarit. Quare si per meriti Christi communicationem ét te in veritate ét veritatem in te esse dicis, hic tibi libenter assentimur. [Id enim in nobismet ipsi tam absque ulla dubio confitemur, quam certo vivere nos scimus, neque ille mendax, qui nos in se, seque in nobis, dum credimus, esse asseverat.] Sed si te veritati ita aduexum simpliciter affirmas, ut te errare non posse putes, id probare nulla ratione possumus, quoniam Deo id soli proprium esse scimus, et a Christi Domini doctrina (qui nullum nobis hic magistrum habere vult), deinde a Pauli mente prorsus alienum.

Adhaec videris nobis in libellis quibusdam [*]) sentire, quod Adamus non per alium quenquam inductus, sed suae ipsius naturae illecebris captus peccaverit: nos quoque eius posteros, dum, neglectis et contemtis Dei mandatis, obsequimur cupiditatibus nostris, repraesentare ipsum Adamum, atque adeo ipsum diabolum et Luciferum, quem tamen verbis detestari videmur, propterea quod idem Lucifer se nescio in quo solio Dei collocarit. etc.

Quare autem hanc, David I sententiam probare vel admittere non possum, hae sunt causae. Prima est, quod fidem historiae in scriptura nobis abrogare atque etiam totius scripturae [quae a nobis in aeternum sancta et omnibus modis inexpugnabilis, quippe a Sancto Spiritu prolata, habetur atque existimatur] doctrinam non leviter confundere videatur. Eam docere videmus expressis verbis, Evam a serpente, Adamum ab Eva ad peccandum adductum esse, sicque alium fuisse Adamum, aliam Evam, alium serpentem. Hoc declarant tum verba ipsa scripturae manifesta, tum peculiaris unicuique eorum poena a Deo ipso constituta, — constitutam esse scilicet Adae poenam mortis, quae in Evam quoque derivata sit propter naturae communionem, sed esse constitutam quoque peculiarem poenam Evae, quae ad Adamum nihil pertineat, nempe pariendi molestiam et subiectionem, ut alium hic Adamum, aliam vero Evam fuisse intelligamus. Sic et serpenti suam peculiarem poenam constitutam esse, nempe aeternam maledictionem, aeternamque super terram reptationem, ut se erigere nunquam possit. etc. Et quanquam non negem, animos nostros nonnunquam attolli debere ad rerum sublimiorum meditationem, quae nobis rebus corporeis adumbrantur, hac tamen lege id faciendum esse affirmo, ut semper nihilominus retineatur historiae fides ac scripturae sua auctoritas constet. Ita, etsi alicubi non inepte Evam carnem nostram, serpentem item concupiscentiam nostram vocemus, in historia tamen lapsus Adae exponenda allegoriam hanc admittere nequimus, propterea quod fidem historiae obscuret, et scripturae repugnantiam gignat.

Postremo et hoc probare non possumus, si eam naturae nostrae constitutionem in hac vita nostra expectandam putes, ut abolita membrorum nostrorum lege, qua sub peccati servitutem, vel inviti, conclusi sumus, iuxta Spiritum toti prorsus vivamus, idque per nostram ipsorum intra nos resurrectionem quandam, quam tu fortassis primam appellas. etc. Hoc autem pugnare patet contra testimonium 1 Io. 1., ubi dicit, eos Deum mendacem facere, qui se sine peccato esse affirment. Hanc doctrinam per-

tinere certum est ad omnium temporum aetates, quemadmodum verbum Domini, dum vivimus, mutari nunquam potest, ut frustra hic discrimina aetatum imaginemur. Deinde obscurare quoque gloriam pontificii Christi, quod tamen aeternum in hoc mundo fore tota scriptura testatur. Si enim eousque eluctari in vita nostra quocumque tandem tempore possemus, ut nullas veteris Adae reliquias in nobis hic sentiremus, non esset iam profecto, cur ulla amplius tum demum interpellatione apud Patrem Deum egeremus. [Nullum enim sine interpellatione pontificium et quorsum interpellatio, si nulla egeremus remissione. Quid autem remitteretur, si, veteri Adamo in nobis sepulto, prorsus et ab omni parte iuxta spiritum vivere possemus. Hoc praeterea mihi constat, nos, quemadmodum omnium pater noster Adamus alius cuiusdam instigatione atque illecebris ad mortem pertractus sit, nos quoque omnes nec scientes nec volentes in ipso mortuos esse, quantum in nobis est, quoniam alius quoque auxilio ac meritis extra omne opus nostrum iuxta ineffabilem Dei misericordiam ad vitam rursum aeternam inserimur, quatenus sc. magnam illam Dei misericordiam refractaria obstinatione non reiiciamus.] Iam non ideo Christus Dominus nostram in se transtulit infirmitatem, ut nos illa in hac vita exueret, sed ut, noxa eius per sanguinem suum expiata, pontificem se illius ad finem usque mundi constitueret omnisque salutis nostrae gloria ad solam pontificii sui virtutem, hoc est, mortis suae meritum, pertineret, quae equidem non derivatur in eos, qui aliquam sibi perfectionem hic pollicentur, neque etiam perpetuam infirmitatem suam agnoscunt, ut medici opera perpetuo se egere intelligant, qua dum non egent, ne Christo etiam egent, sed inter iustos se constituunt, quos a meriti pontificiique sui communione Christus ipse excludit. [Postremo quod a me scire cupis, quid de Patre et Filio teneam, quid porro in doctrina tua laudem sive improbem, id libentissime quidem facerem, si quid cupias melius intelligerem essetque mihi compertum, quid iam a me de Patre et Filio doceri velis. Quum enim de Patre et Filio tam variis modis disputari posset, fac ut luculentius mentem tuam mihi aperias. Eo melius doctrinae meae fundamentum indicare tibi potero, quod facere me posse prorsus non dubito]. (m. Aprilis 1544.)

---

[1]) Bleadyckius nonnisi excerptim epistolam hancce pagellis suis dedit, quam restituere conati sumus ex ipsius Davidis responsoria Epistola, in qua Lasci verba ordine citantur. Davidis Epistolae titulus est: *Cort bericht ū schriftlyck antwoort D. I. op de Brief des Eerwaerdighen Heere I. A. L. Prouerb.* 15 *cap. ver.* 32. *Wtghegaen int Iaer M. D. XLIIII. Den XXVI Maii.* Cuius opusculi manu exaratum exemplar asservat Teleiobaptistarum, quae Amstelodami est, bibliotheca. (Theol. XII. 24.) Quae in textu uncis inclusa reperiuntur ex hoc fonte manant. Cf. Meiners, *O. F. K. G.* I. 270. U. Emmius, *Contra Huygelmann.* p. 242, 3. Iessenii *Aufged. Larve. D. G.* p. 247. Arnold, *Ketzergesch.* II. 286. [2]) Praesertim in opusculo *Van 's menschen affual und wederbrenginge.* [3]) Responsoria Davidis Ep. data est 26 Maii 1544 et haud multum post Lasci litteras acceptas scripta esse videtur, unde satis tuto hanc ep. ad mensem Aprilis huius anni referre licet.

N°. 18. [Apogr. in Arch. secr. reg. Regiom.]

Ep. ad N. N. de S. Coena.

Legitur in ed. nostra Tom. I. 557.

N°. 19. [Bibl. Brem. VI. 120. Gerd. s. a. Hb. 542.]

Ad HARDENBERGIUM.

Incommode accidit, mi Alberte! ut cum omnium fere maxime occupatus essem, Gabriel hic noster [1]) ad nos venerit, neque diu hic moratus reditum ad vos accelerarit. Quare si vel ad te, vel ad Bucerum [2]) secus scribam, quam oportebat, imputabitis meis quibus nunc distringor occupationibus, ut ne unam quidem vel brevissimam epistolam possim scribere, quin aliquoties interpeller.

In causa est nova Magistratus nostri in sectas severitas, ad Caesaris mandatum instituta. Confluebant huc sine numero sectarii, propemodum omnis generis, simul atque eorum persecutio in Hollandia exorta esset. Ea res ad aulam Brabanticam delata magnam nobis illic, nec immerito, invidiam conflavit, ut ad extremum videatur Caesar interdicturus nostris commercium prorsus omne cum suis, si non patria haec ab istiusmodi sectariis repurgaretur. Ea res visa est Epicuria nostris [3]) formidabilior multo, quam Dei minae magistratus negligentiam percellentes. Itaque quod repurgandam Dei Ecclesiam curae suae commissam mitioribis consiliis aggredi nunquam voluerunt, id nunc metu Caesaris orsi sunt. Proscribunt, si Deo placet, sectas, non propter Deum, sed propter Caesarem [4]). Et quod antea mitioribus consiliis egisse poterant, id nunc tanta severitate prosequuntur, ut sublato nocentium atque innocentium discrimine in peregrinos omnes saeviant. Huius rei ego Principem nostram admonui et rogavi, ut discrimen aliquod haberetur inter sectis obnoxios, et quos certum esset ab illis immunes esse, — et, si ita iam constitutum esset, ut sectae hinc pellantur, innocentes interim a nocentibus discernerentur. Sic factum est, ut de quorum fide nos testimonium daremus, hi ius manendi inter nos habeant. Obruor itaque nunc frequentia eorum, qui a nobis testimonia fidei suae petunt, ne eiiciantur. Et sunt plerique nobis ignoti, ut nos multis agere cum illis oporteat, priusquam de illis testificari possimus. Non possum igitur nunc, ut vellem scribere, scribam tamen ex intervallis ut possum.

Meditamur nunc quandam disciplinam in nostra hac Ecclesia, cui omnes fere hactenus manibus, quod dicitur, ac pedibus restiterunt, qui me adiuvare potissimum debebant. Dicebam, nunquam fore, ut sectis careamus, si, dum in alios severi sumus, in vitiis interim ipsi nobis indulgeamus. Quae cum inter nos regnarent, statuendum etiam nobis esse discrimen in nostra

Ecclesia, dum ita in alios severi sumus, inter eos, qui sese ad resipiscentiam volunt componere, et qui Dei Ecclesiam eiusque disciplinam contemnunt.

Breviter, post multos clamores id tandem effeci, ut nobis ministris adiuncti sint quatuor cives, viri alioquin graves, et, quantum iudicare possumus, pietatis studiosi, qui a tota Ecclesia potestatem nobiscum habeant in mores civium inquirendi, admonendi quenquam sui offici, et ad extremum etiam nomine totius Ecclesiae excommunicandi nobiscum, si quos admonitionum nostrarum contemptores haberemus. Meditamur itaque nunc formam quandam disciplinae in nostra Ecclesia, in qua constituenda magno nobis erit adiumento Episcopi tui [5]) Coloniensis ordinatio [6]), quam mihi is Gabriel attulit tuo nomine.

Si tulerint nostri disciplinam iuxta verbum Dei, habebunt me ministrum suum. Sin minus tum fortassis et me propellent. Ego enim nulli sciens et volens parcam, et, ut sunt ἀνηθοποίητοι fere, vereor, ne me non diu sint laturi. Ego vero id Domino totum permitto, illumque oro, ut ministerium meum dirigat ad nominis sancti sui gloriam et Ecclesiae suae aedificationem.

Vocor, mi Alberte! et quidem magnis precibus a Prussiae Duce, homine et pio et nobis iam dudum amico. Ternas iam ab illo super ea re literas accepi. Nihil tamen polliceri illi potui, praeterquam si hinc propellar. Volebat, ut illi mitterem doctrinae verae epitomen. Misi per Egidium uxoris meae fratrem [7]), qui ad nos pridem totus commigravit, eiusque reditum indies iam a duce expecto [8]). Bucerus me hortatus est, ut me conferrem ad Coloniensem tuum, vel ut venirem ad vos [9]), si hic mihi locus non esset. Ego vero, mi Alberte! etiamsi hinc propellerer, non video, cui usui vel istic, vel apud Episcopum essem futurus, praesertim cum lingua hac docere non possim. Deinde, si impar es obeundo illi apud Episcopum muneri, quemadmodum scribis, quid hic ego de me me obsecro cogitarem? Postremo, nosti libertatem meam. Ea nunc non ubivis locum habet, quam ego tamen omnium maximam inter Evangelicos doctores extare debere puto. Sed hinc nondum propellor, etiamsi non multum absit quin propellar, nisi quod Principem mihi faventem habeo, quae ut est pia plane et Christiana foemina, ita me, ne se deseram, rogat. Vellet illa quidem nobis adiumento esse in restituendis Ecclesiis, sed uti est foemina, ita aliorum consiliis regitur, quos sibi in administratione reipub. adiunctos habet. His vero nihil minus cordi est, quam religio, et sine legibus vivere assueti, ne nomen quidem disciplinae ferunt. Si hinc pellerer et certus essem te apud Episcopum vocationem habiturum esse, ad cuius societatem et ipse vocarer, non abnuerem venire, ut tu doceres, ego vero tibi adiumento essem, praesertim si me a duce Prussiae liberare possem, in quo alioqui nonnihil adhuc desidero, quod equidem testari illum oporteret, si me habere vellet.

Mei mihi in patria iam nuncium remiserunt amicitiae omnis et consuetudinis, ut nihil illinc mihi amplius sit sperandum. Sed ego Deum patrem

habeo, qui me elegit, is me non deseret, etiamsi a meis omnibus destituar. Tametsi plura mihi iam dederit, quam ut de inopia queri possim. Nescio quid significes sub verbo καμπανίζειν [10]), nam huius nihil hactenus vidi. Sed scio Mennonem versari nunc potissimum in episcopatu Coloniensi et fucum facere multis.

Pro misso nuper Doctissimo Domino Doctore et Magistro nostro Murman *super sentimentum almissimae universitatis de villa Parisiis* habeo tibi magnam gratiam, qui mihi hoc nomine gratissimus est etiam, quod sit e bibliotheca Io. Oecolampadii, cuius ego memoriam summa cum veneratione prosequi semper soleo ob singularem illius, cum viveret, simplicitatem et pietatem, taceo eruditionem, nam manifesta illius documenta in scriptis habemus. Vellem, mi Alberte! ut illius Opera, quae ego non habeam, mihi omnia curare velis. Habeo illius Epistolas, Esaiam, Danielem, Demegorias, Psegmata Chrysost. cum ipsius annot., et quae in Bircheimerum Noribergensem scripsit. Tu iam considera, quae mihi desint. Maxime autem habere cuperem in reliquos Prophetas et Ioannem. Quare fac quaeso ut habeam, Francofordiae sub mercatum. Praeterea Calvini postremam Institutionem, et si quid praeterea novi emisit. Reddi haec poterunt Hadriano hospiti meo [11]), ut is demum ad me transmittat.

De abbate tuo [12]) utinam te spes tua non fallat: ego, ut verum fatear, metuo, ne in eo quod apud eum agis operam ludas. Scio esse meliorem quam pro monacho, sed non facile avellemur ab ollis Aegyptiis, praesertim si deserti solitudinem (quod nobis metuendum est) ob oculos propositam habeamus. Et tamen ego faciam, quod petis, scribam ad illum diligenter, plusculum otii nactus. Sed ut dicam quod sentio, vereor ne nihil agamus. Utinam autem fallar. Hallo [13]) adfuit mihi brevi. Huic indicavi, tibi non probari, quod illic adhuc haereat, suasique ut se huc conferat. Si venerit, habebit apud nos bonam conditionem. Adfuit mihi et Franciscus quidam cum cruce alba. Rhodiani ordinis illum esse opinor, sed mihi, si verum fatear, non prorsus placuit hominis ingenium. Videtur fidem coniugii dedisse Catharinae, quae est in Drusillae contubernio. Ab hac nihil iam dudum accepi.

Vellem, mi Alberte! te iam aliquo certo loco esse certamque iam vocationem sequi, nam longae istae deliberationes varie afficiunt homines et multas actiones remorantur. Si tibi non est animus esse apud Episcopum Coloniensem, et inter tuos malis, quin hic accipis conditionem apud nos fiasque collega meus. Hinc facile cum tuis posses omnia agere. Et si fructum quaeras, nusquam mea sententia maiorem facere posses. Si hic esse nolis, statue semel, ubi esse velis, ut certam vocationem sequi possis. Mi Alberte! vereor ne hoc magis stulti reperiamur in iudicio Dei, quo magis sapientes esse volumus. Da quaeso veniam libertati meae et amori meo imputa, qui me cogit, quod sentio, dicere.

Franciscus Rengers nihil mihi tuo nomine numeravit, sed ego nihilominus tibi mitto viginti taleros, nam ad manum plures non habeo. Calculum subducemus rerum omnium, ubi ad nos veneris. Si te divitem vi-

dero, tum repetam a te, quae debes. Sin minus, tum etiam addam plura, ut qui tibi dudum communionem detulerim rerum mearum omnium, in cuius possessione te esse, statuere certe debes, ubi ubi fueris.

Responsionem, quam adversus Coloniensem una cum Bucero adornatis, fac ut habeam [14]). Petrus Medmannus [15]) erit nobis gratissimus hospes, si ad nos veniat, et vellem ut veniret: multa enim de hominis integritate audivi.

Vestes tuae excutiuntur saepenumero, ut non putem esse a tineis periculum, praeterquam quod tibialia [16]) iam arrodere coeperant, sed rursum excussae sunt. Ego vero reliquam eius cucullae tuae partem (cuius manicam ad te Witebergam miseram) in usum meum accepi, redditurus rursum. Annulum, qui adhuo apud nos erat, ad te mitto ut volebas. Pro sanctis Bibliis scribam ad Caronem [17]), ut iubes. Ad tuos, quorum nomina literis inseruisti, scribam multo libentissime. Utinam illis, quod suadebo, persuadere possem!

Schwencfeldii nihil vidi hactenus. Nihil mirum autem exoriri nunc talia monstra, cum extrema sint tempora, in quibus armatus ille et potens, dum sentit potentioris adventum iam instare, extremum (quod dicitur) conatum edat ad regnum suum tuendum adversus potentioris potentiam. Dolendum est tamen seduci tam multos. Sed haec est ingratitudinis nostrae poena, ut mendaciis credamus facile, qui veritati credere nolumos.

Mitto tibi exemplar postremae meae ad Davidem epistolae [18]). Postea nihil ab illo accepi [19]) et fortassis non accipiam amplius quicquam, praesertim si hinc suos pelli audiat. Ostendit mihi Gabriel noster loca, ex quibus ille doctrinam suam colligere videtur. Sed nos hic plura habemus, nisi quod ego de iis cum Gabriele liberum colloquium habere non potui, quod latine nesciat. Breviter David vult se agnosci Emanuelem a prophetis promissum, hoc est, per se id fieri iam et indies fore magis, ut nobiscum sit Deus. Hanc blasphemiam quia ferre non potuimus, animos suorum a nobis alienatos esse videmus. Plura ad nundinas Francofurdienses a nobis expecta. Et vale.

Mi Alberte! si eges, scribe ad me audacter, partiar tecum libenter, quae Dominus mihi dedit, neque existimes me per te gravatum iri. Iterum vale et semel statue, ubi esse velis. Mihi videtur animus meus praesagire, me hic diu non esse mansurum. Neque enim puto laturos istos meam reprehensionem, multo minus disciplinam, et proinde quaesituros occasionem, ut me hinc propellant. Tentarunt id nuper per Comitem Ioannem, nam hoc mihi Comes ipse narravit, posteaquam secum in gratiam rediissem. Et non mutahunt suum ingenium, quantum ego iudicare possum. Quare si animus tibi non sit esse apud episcopum Coloniensem, fac mecum in Prussiam concedas, aut etiam sine me, siquidem mihi manendum sit. Dabo operam ut illic habeas honestam conditionem. Si autem causam non habes, cur episcopo Coloniensi tuam deneges operam, fac te illi addicas et pro tua virili Christi illic Ecclesiae servias. Si hic mihi non sit locus, ipse ad te venire curabo. Vale iterum et semel statue. Aut si

mecum hic esse velis, veni. Embd. postridie Iacobi. [26 Iulii] Anno 1544.

[In dorso: *Doct. viro D. A. Hard., Phrisio, Theol. D., Argentorati commoranti, fratri in Dmn. observ.*]

---

[1]) Gabriel ille pluries in Lasci epistolis nuntii officio fungens aliunde notus non est, nisi idem ille Gabriel Antverp. sit, qui senioris titulo ornatus Synodi Emd. actis, a[o]. 1571 promulgatis, infimo loco subscripsit. Cf. HOOYER. *Nederl. Kerkord.* Bommel. 1865 p. 65. [2]) Hard. tunc Argentorati se. commorabatur. cf. inscript. [3]) Auliais sc. [4]) Cf. U. EMMIUS, p. 925. [5]) Hardenb. tunc iam Hermanno à Weda Ep. Col. concionator erat designatus. cf. SCHWECKENDIECK, p. 16. [6]) Hermann's Ertzbischoffs und Churfürsten zu Cölln einf. Bedenken über eine Christliche Ref. der Kirche. Bonn 1544. Ordinatio illa scripta erat a Mel. et Bucero. [7]) *Epitome* illa *doctrinae*, o m. s. edita, habetur in nostra ed. Tom. I. p. 480. [8]) Egidius ille Lasci uxoris frater, frequenter infra occurret. [9]) Sc. Argentinenses. [10]) Si observes, Hardenb. ex illa fere patriae nostrae parte, qua urbs Kampen sita est, oriundum fuisse, coniicere posses, καμπανίζειν nihil aliud fuisse quam Campanensium more lepida rusticitate risum movere, quod proverbialo apud nostrotes dictum Lascum, quippe extraneum, latere facile potuit. [11]) Hadrianus Francofordiae hospitio excipere nostrum solebat. [12]) I. Reckamp. [13]) Halo sc. Amswerus cf. GABBEMA, I. 21. [14]) Gropperus Coloniensis Ep. reformationem acriter erat aggressus, quam strenue deinde vindicandum sibi suscepit Bucerus. Hanc defensionem latine vertit Hardenb. Cf. SCHWECKENDIECK. p. 18. [15]) Petrus Medmannus Coloniensis Hermanno à Weda fuit à consiliis, donec inde profugus honorifice ab Anna Comitissa susceptus Emdae consulatum gessit. Cf. U. EMMIUS. p. 948. BENINGA. p. 793. [16]) *tibiale* i. e. crurale, caliga. DUCANGE in voce. [17]) Fortasse Petrus Caro, qui in bibliis imprimendis operam navavit Parisiis (natus 1489). Cf. GRÄSSE, *Alg. Litt. gesch.* V. 233. [18]) Est epist., quam ordine 17am dedimus. [19]) Et tamen respons. ep. Davidis data est 26 Maii h. a.

N[o]. 20. [Bibl. Brem. Cl. VII. p. 333. Gerd. s. a. IIb. p. 524.]

Ad DRUSILLAM SYSSINGE.

Vidi literas tuas, soror in Domino Charissima! quas ad uxorem meam proximis hisce diebus scripsisti, et volebas ut meam tibi sententiam de omnibus quae illic habentur significarem. Ego vero nunc plurimis occupatus, non possum ad te ut vellem scribere. Sed tamen facere non possum pro amore in te meo, quin ad te vel tumultuarie scribam. Primum igitur quod ad veterem nostrum amicum [1]) attinet, is etsi perplexe tecum, quantum ex literis tuis intellexi, agere videatur, ad me tamen aliter scribit, neque aliud in te requirit, quam ut ad nos quamprimum venias larvamque hanc hypocriseos abiicias. Et facit hoc bona ex parte hortatu meo. Intellexeram enim illum tibi suasisse, ut istic haereas, donec evocareris. Id porro ego in homine reprehendi per meas literas et scripsi sui officii esse, si tecum fideliter velit agere, ut te quam primum istinc eximat, nedum ut te istic amplius haerere permittat. Ita fortassis ille te solito

vehementius urit, ut aut te istinc iam subducas, aut significes an istic haerere velis.

Caeterum se constantem in suo institnto esse affirmat, neque se mutaturnm animum, nisi id ego illi suadeam. Praesertim si in abiicienda hac tua hypocriseos larva neque suum neque meum item consilium seqni velles. Iam id fieri non potest, mea soror! ut non aliqnid in nobis omnes desideremus — homines enim sumus, non angeli — et profecto nos movere non debent omnia quae in nobis mutuo non usquequaque probamus. Quin potius sustinere nos mutuo debemus, quemadmodum Paulus docet, et id efficere, ut si quid corrigi per nos queat, omnem in hoc operam adhibeamus. Quid est tam grave obsecro, quam fidei diversitas inter eos qui una debeant vivere? et tamen docet nos Paulus, sanctificari infidelem virum per fidelem mulierem. Quanto facilius igitur corrigi possunt ea, quae cum infidelitate comparari non debent. Quare hic te, mea soror! nihil offendi velim. Sed utcunque id se habeat. Ego ita mihi de te persuadeo, te non propter ullum hominem vitae tuae genus mutaturam esse, siquidem mutare debeas, sed propter solam Christi Domini gloriam exemplo tuo promovendam, quam si larva hac tua hypocritica, dum in illa haeres, obscurari sentis, eadem sane opera intelligis tibi istic haerendum haudquaquam esse, si Christi gloriam per te promotam vere cupis, etiamsi nemo sit usquam a quo qnidquam omnino sperare exspectareque possis.

Proinde probare non possum, ut verum fatear, quod scribis, te neque de ullo coniugio deinceps cogitare velle et velle istic demum manere, el quam in amico hoc videas mutationem. Sive enim ille mutet animum, sive non mutet, tu id sequi interim debebis, qnod Christi gloria poscere abs te videtur, sive te Dominus alteri velit nubere, sive in virginitatis instituto permanere. Et si vere et ex animo servire cupis, quod spero, Christi gloriae, haerendum tibi minime esse cogitabis in eo vitae genere, utcunque se res omnes habeant, quod, ut nihil praeterea accedat, Deo sane approbare tuta conscientia tua non possis. Haec enim simul non possunt consistere, velle ex animo promotam per nos Dei gloriam, et in eo vitae genere nihilo minus haerere, qnod non prorsus certi simus probari Deo. Certi vero esse non possumus in Dei iudicio, etiamsi coram hominibus certi nobis esse videamur, probari Deo ullum vitae genus, cuius apertum testimonium in verbo ipsius non habeamus. Qui eum intra se animi affectum vere sentit, mea soror! ut per se promotam modis omnibus cupiat gloriam Christi, is certe dubio incertoque animo diu esse non potest, certumne an vero ambiguum sequatur vitae genus, sed mox sine haesitatione ulla statuit, id sibi omnino sequendum esse, quod certo scit placere Deo et ad promovendam Dei gloriam intelligit quoquomodo pertinere. Statuit item fugere sine mora, quod illius gloriam obscurare illique repugnare videtur, nedum ut ei vel suum vel cuiusquam alterius sive hominis sive loci commodum honorem favorem atque existimationem anteponat.

Quare, si te vel tuae ipsius personae vel loci in quo versaris honor commodum tranquillitas atque existimatio, si amicorum tuorum odium

aut amor, si ocii tui quies, denique si ullus omnino humanus vel affec- tus vel metus quoquomodo remoratur, quominus vitae genus hoc deseras, in quo certa interim non esse queas an Christi gloriae vere servias, — adhuc declaras, mea soror! te non vere atque ex animo id cupere, ut per te Christi Domini gloria promoveatur. Scio hic habendam esse infirmitatis nostrae rationem, sed accusare eam in nobis debemus, non alere, multo minus illi ita indulgere, ut illius etiam excusationes quaeramus.

Equidem est hoc rationis nostrae ingenium ut in inveniendis peccatorum nostrorum excusationibus nimium ingeniosi simus, sed qui Christi gloriae vere servire cupit, is facile intelligit, non tam rationis nostrae argutias quam verbi divini potius autoritatem sibi sequendam esse. Iam negare non potes vitae hoc tuae genus larvam plane hypocriticam esse, utcunque tandem illam excuses, et adversus hanc exstare apertum Dei mandatum quo nobis ab omni hypocriseos specie cavere iubemur. Huic igitur te mandato suo obedire magis oportet, etiamsi infinitas hypocriseos excusationes habere possis, siquidem Christi gloriae in mandato suo servire velis. Taceo hic impietatis lernam, cuius sanctitatem [2]) publico larvae huius hypocriticae testimonio profiteris, etiamsi te animo tuo illi non assentiri dicas.

Si vere ab illa animo tuo abhorres, conquiescere non poteris, donec certa sis, te cum illa nullam prorsus communionem habere, etiamsi tuorum omnium odia convicia et contemtum debeas sustinere. Fac igitur, mea soror! declares te velle servire ante omnia Christi gloriae et larvam hanc hypocriticam abiice, Papisticae impietatis testem. Adiunge te palam his qui coram angelis et hominibus lumen ac doctrinam Christi Domini unici Regis ac Pontificis aeterni nostri profitentur. Neque hic spectes ullum omnino hominem, sed Christum solum duntaxat intuere. Is tibi amicos protinus dabit qui tui curam habeant, si in virginitate permaneas, et sponsum te dignum, si velis nubere, etiamsi hic, quod equidem non puto, fallamur. Breviter Christum iudicem actionum tuarum omnium propone, in hunc defixos oculos habeas, hunc tibi statue sequendum esse, et ne moreris .... Quod ad me attinet, detuli tibi non semel mea omnia. Ea nunc iterum tibi non fucate defero. Veni itaque et curam hanc abiice, eris mihi curae non secus atque soror mea, et quae mihi Dominus largietur, ea tecum communia habebo. Uxor mea te salutat et de fide silentii apud Franciscum [3]) iubet te securam esse. Si quid ad amicum veterem nostrum velis scribere, fac ad me sine mora transmittas, simulque mihi mentem tuam extremam perscribe, aut quod mallem, ipsamet nos invisas, etiamsi mox rursus te redire istic oporteret. Sed fac ut hac hebdomade vel te ipsam, quod optarim, vel literas tuas habeamus. Non enim scribere possum omnia quae vellem. Vale Emdae 25 Augusti Anno 1544.

Nosti manum.

---

[1]) i. e. Hardenb. [2]) Gerd.: *satietatem*. [3]) Franc. intelligo. Rengers. Cf. ep. 19. p. 576.

N°. 21. [Bibl. Brem. Cl. VI. p. 132. Gerd. a. a. IIb. 525.]

Ad Hardenbergium.

Ordiar nunc ad te ab eo, mi Alberte! quod nuper mihi per imprudentiam contigit. Annulum quem me tibi per Gabrielem misisse scripseram, hunc illi imprudens non dedi. Eram enim plurimis occupatus et ille nondum literis acceptis Groningam abierat. Sic ego literas postea ad illum, sed sine annulo transmisi. Dabis itaque veniam, dabit et ille, in quem magis, quam in te peccavi. Nunc eum ipsum annulum per Ioannem fratrem [1]) Francofordiam mitto, ut illinc ad te per Rigelinm typographum perferatur.

Post abitum Gabrielis, novam hic mihi tragaediam Comes Ioannes excitare volnit, ab iis handdubie instigatus, qui meam hic in vitiis suis reprehendendis libertatem aegerrime ferunt. Miserat huc Doctorem illum Ennium, ut is cum Principe nostra Reginae [2]) mandato ageret de me hinc propellendo, propterea quod apud Reginam periurii et turbulentiae nescio cuius accusatus essem.

Ego per Principem [3]) vocatus publice illi et omnibus ordinibus meam innocentiam approbavi, sic ut sibi satisfactum testarentur. Responditque Princeps Comiti Ioanni, se non posse me carere et a me etiam petiit, ne istiusmodi calumniis moverer atque apud se nihilominus manerem. Cui et promisi. Sed certo scio fucos nostros non prius conquieturos, quam id efficiant, ut hinc propellar. Ego vero facile id patiar et, si propellar, faciam quemadmodum ad te proximis literis meis scripsi.

In vetere tuo amico [4]) non scio an quid reprehendere merito possim, quod praesertim ad illius cunctationem attinet, quo minus se hactenus ad nos contulerit. Scripsit ad me epistolam excusatoriam et tua aeque atque sua culpa id factum esse ait, quod varie semper ad eum super ea re scripsisses, et iam suasisses ut ad vos veniret, iam vero libertatem ei faciendi quod vellet permisisses, nonnunquam suasisses etiam, ut in suo loco maneret donec evocaretur. Addidit, te pollicitum ut ad eum transmitteres quae ad probandam improbandamve illorum religionem ex Doctorum colloquiis collecturus eras, ut ea maioribus suis ostenderet: id se expectasse et nunquam accepisse. Haec si vera sunt, extra culpam est profecto, quod tam diu loco illo suo haeserit, neque aequum putarem, ut illi nuncium remitteres.

Ego orsus sum ecclesiarum visitationem, et in ipso mox initio plurima monstra reperi. Haec quidam conantur defendere, ut functionem impediant, sed ego nihilominus pergo [5]).

Mennonitae prioribus suis erroribus hunc etiam addiderunt iam, ut dicant legi per nos nostra obedientia satisfieri non solum posse, sed etiam oportere. Sic errores erroribus cumulant et Christi gloriam obscurant.

Ante duos menses miseram ad Prussiae Ducem uxoris meae fratrem Egidium. Is in reditu, correptus morbo, nescio quo Bremae decumbit, ut nondum scire possim, quid referat. Scripseram autem ad Ducem, me hoc

ministerium meum ponere non posse, nisi propellar. Si vero propelleret (quod equidem expectarem potius, quam mihi longam hic moram pollicerer) tum me non detrectare ministerium apud ipsum, si viderem illum ita affectum esse, ut non habita hominum ullorum ratione verbi so Divini obedientiae in gubernanda Ecclesia subiicere sine exceptione velit, — praeterea, si mihi potestatem faceret ponendi ministerium, quod apud illum suscepturus essem, si quando in patriam meam a Rege meo ad legitimum et Christianum Ecclesiae ministerium vocarer. Reliqua omnia me arbitrio suo relinquere. Transmisi etiam ad illum doctrinae meae summam, potissimum de Sacramentis, ne quid illum celarem. Ad ea nunc omnia responsum in horas expecto. Scio autem apud illum regnare Capernaitas, et proinde fieri posse puto, ut facile me illinc sim liberaturus; nam illis ego assentiri non possum. Cum igitur certo propemodum videam, me hic diu permansurum non esse, intelligam item, aegre mihi cum Prussis in doctrina conveniri posse — etiamsi id affirmare adhuc non queam — non ita multum abesse puto, quin tecum esse possim, praesertim si duae illae conditiones Duci Prussiae propositae a nostris recipiantur. Mitto ad te doctrinae meae epitomen [6]), ut a Bucero, et aliis istic excutiatur. Ubi eam Bucerus legerit, tum vellem, ut ad Bullingerum quoque transmitteretur per Gerardum [7]) nostrum, demum vero, ut Philippo quoque exhibeatur.

Audio tuum et Buceri ad Episcopum Coloniensem adventum apud illum expectari. Venirem eo ad vos, si scirem certo. Quare si ita est, fac ut sciam quaeso, et vel per proprium nunciam mihi indica quo et quando mihi ad vos. Neque plura nunc. Vale. Embdae ultima August. Anno 1544.

Post scriptas literas accepi literas a Duce Prussiae, qui se per proprium nuncium suum ad mea mihi responsurum esse scribit. Alii tamen omnes, qui apud illum sunt, scribunt, summam esse illic barbariem et Lutheropapismum, ut non magnopere optandum mihi sit illic esse.

---

[1]) Ioannes ille frater Hardenbergii fuisse videtur, quod in nostro loco dubium, satis apparet ex ep. ad Hardenb. N⁰. 28 initio, ubi scribit: *Iohannes hic tuus.* [2]) Sc. Maria, vidua Ludovici II Hungariae regis, quae tunc Bruxellis imperium sub Carolo habebat. [3]) Sc. Annam Comitissam. [4]) Drusillam Syssingham intelligit. [5]) Huius visitationis annotationum scedula satis alioqui corrosa superest. Cf. BENINGA. p. 788. [6]) Sc. *Epit. Doctr. Eccl. Fr. Or.* [7]) Ger. tom Kamp.

N°. 22. [Bibl. Brem. Cl. III. 1. p. 183. Gerdes. s. a. IIb. 329.]

AD CONR. PELLICANUM.

Nunquam putabam fore, Vir Doctissime! ut literas omnino ullas vel darem ad Te unquam dum vivo vel aba Te acciperem. Iam dudum enim Te cum Christo vivere, deposita carnis nostrae sarcina, intellexeram, idque

ex Argentinensibus quibusdam, qui te ante triennium fere vita hac defunctum esse affirmabant. Neque prius te superesse cognovi, quam id mihi Doctor Albertus Hardemburgus, et tibi opinor iam etiam notus, e Spirensi conventu nuper significasset. Postea vero is mihi et tuas et Bullingeri literas pridem transmisit, quas plane utrasque sine lacrymis legere non potui, ita mihi de illis gratulabar, nisi quod plurimis curis districtus tibi tum respondere non potui, agoque gratias Patri nostro caelesti, quod te adhuc Ecclesiae suae servaverit et servet, quae nunc, si unquam alias fidelibus ministris egere videtur.

Mihi quoque magnopere sane gratulor, quod Te, veterem amicum meum adeoque praeceptorem, in vivis habeam. Nunquam possum sine magna animi voluptate meminisse consuetudinis nostrae Basiliensis [1], sed nunquam satis rursum dolere possum, illam mihi tum maiorum meorum autoritate interruptam fuisse. Nunc enim intelligo quantum fructus percepturus eram ex Erasmi, Tua et Oecolampadii consuetudine, si illa diutius frui licuisset. Nunc, quae in Hebraicis ex te didiceram, omnia penitus exciderunt, et tempus illud totum, quo Erasmus deinceps vixit, misere mihi totum periit incursitationibus bellicis tumultibus et fastu aulico, quod studiis alioquin meis impendere multo felicius potuissem.

Sed bonus Deus me mihi rursum restituit atque ad veram sui cognitionem e medio Pharisaismo demum mirabiliter evocavit, — illi gloria in saecula! Amen. Nunc igitur mihi divino beneficio redditus, Ecclesiae Christi, quam in Pharisaismo meo per ignorantiam oderam, servire pro mea tenuitate conor, ac precor Domini misericordiam, ut minutum meum inter magnifica aliorum munera viduae illius Evangelicae exemplo ne aspernetur, sed illud benigne suscipere dignetur ad Ecclesiae suae aedificationem. Scio quid in me desiderem et proinde a doctis iuvari cupio. Hoc consilio et Bullingeri amicitiam expetivi [2]), cuius simplicitatem et modestiam non possum non amare. Quod si te mihi superesse scivissem, te hic potissimum apellassem. Nunc vero utrumque vestrum appello unaque et Symmystas vestros omnes, atque a vobis iuvari postulo. Videbis brevi nostra quaedam apud Bullingerum, quae Doctor Albertus ad illum est transmissurus. Horum te quoque aristarchum esse volo.

De tuo in Erasmum animo non dubitavi unquam, neque ullam inter te et illum, cum una essemus, simultatem deprehendere potui, nisi quod, cum doctrinam Oecolampadii de Caena Domini sibi nondum satis probari posse diceret, non ferebat, si quis, se cum Oecolampadio idem docere, affirmasset. Tametsi tu in doctrinam Oecolampadii, iam tum propenderes, ille vero, non tam damnaret illam, quam diceret potius, sibi illam nondum satis probari posse, non ideo tamen amicitiam vestram dissolutum iri putabam, praesertim cum Erasmus ipse pro sua apud me libertate non obscure testaretur, se certam habere non posse etiam doctrinae suae rationem. Fatebatur enim, esse quaedam, quae se in sua ipsius doctrina offenderent, sed se non habere rursum dicebat solidum quidquam, cui inniteretur, si doctrina sua sibi immutanda esset, et proinde se in vetere sententia per-

manere malle affirmabat, atque ita ego tum [vos] reliqui, atque in eadem cum ipso, ut verum fatear, sententia quoque fui.

Nihil tamen dubito, quin Erasmus hauddubie, si nunc viveret, aequior multo nobis futurus esset. Sed habet quisque donorum suorum modum, ut non possimus ubique omnia, et multa adhuc superesse puto, quae nunc etiam ignoramus. Nostrum est, de iis nobis gratulari, quae Deus prout vult iuxta fidei nostrae mensuram conferre in nos dignatur. Ita et de Erasmi donis, quae sane et plurima et maxima fuisse negare nemo potest, gratulari nobis merito Deumque in illis agnoscere debemus. Si quid autem amplius nos assecuti nobis videmur, id quoque a Domino nobis donatum esse cogitemus [1]).

Quod ad illius epistolas ad me datas attinet, fateor illum libere nonnunquam multa ad me scripsisse — tu enim ipse testis es, ut me amarit — ac tui quoque non raro meminisse, sed putabat omnino, te autore id fieri, ut idem cum Oecolampadio sentire diceretur. Neque vero id tam grave erat, quam ille grave videri volebat, sed hoc ille rebus suis vehementer noxium esse putabat, et nolebat praeterea nomen suum hac opinione gravari. Deinde habebat fortassis instigatores suos, quibus id potius quam Erasmo ipsi imputandum esse censeo. Apud me non est, ut te ullis liberes suspicionibus, quum in nullas unquam veneris, quin potius tibi persuadeas, te eodem prorsus apud me loco fore, quo et Basileae fuisti, h. e. patris loco, posteaquam te mihi Dominus superstitem adhuc servavit.

Ecclesiae vestrae de tanto doctrinae consensu gratulor. Caeremoniarum eandem formam non magnopere requiro, ne rursum ad novum aliquem Pharisaismum posteri nostri anxia caeremoniarum observatione delabantur. Quin potius concordem aliquam illarum varietatem retineri mallem, ut homines intelligant Religionem non caeremoniarum una atque eadem facie, sed studio pietatis constare. Ego hic nullas certas caeremoniarum leges praescribo, quas equidem pro temporum ratione mutari oportere semper puto. Illud tantum ago, ut abolita superstitione, et impietate Papistica, puras minimeque operosas caerimonias habeamus. Caenam alii sedentes, alii ad mensas accumbendo sumant, alii in azymo, alii in cibario pane, ut constet sua libertati ratio. Sed doctrinae consensum modis omnibus urgemus et de disciplina instituenda cogitamus. Alia nostra ex literis ad Bullingerum datis cognosces. Scripsi nuper Epistolam ad amicum quendam doctum, de verbis Coenae, in qua summam doctrinae meae sum complexus. Hanc is impugnare conabatur ex Patrum et Conciliorum autoritate, ego vero illam utcunque defendi [4]). Huius igitur exemplum ad te mitto in testimonium amoris erga Te mei. Vale et mei in precibus tuis memor esse velis. Aembdae Phrisior. ultima Augusti. An. 1544 [5]).

---

[1]) Respicit ad tempus, quo Erasmi contubernio Basileae utebatur. [4]) In ep. quae ordine sedecima est. p. 568. [5]) De hac Erasmum inter et Pellicanum dissensione cf. quae ipse Erasm. scribit in Ep. d. non. martis 1526 (Erasmi Ep.

Coll. p. 799). „*Videor olfacere e Lutheri scriptis Pellicanum e nostris colloquiis quaedam per litteras illi significasse, qui pene concitavit hic alteram tragoediam. Sparserat rumorem, ipsum de Eucharistia idem sentire quod ego* .... (in hunc ergo modum eum allocutus sum)" *Qui te audiunt, intelligunt me tecum sentire, quod docuit Oecolampadius.* [4]) Ex Archivis Regiomontanis dedi hanc ep. in fine Tomi I. p. 557. [5]) Est haec ep. respons. ad eam quam 28 Iunii 1544 dederat ei Pellicanus. GABBEMA. p. 101. Ad hanc iterum Pellicani responsum exstat apud GABBEMA. p. 105.

N°. 23. [Gerd. s. a. IVa. 449.]

Ad BULLINGERUM.

Gratiam et pacem! Vere est nobis laudandus Optimus Maximus Deus, Vir Doctissime! qui nos miseros alioquin prorsusque deploratos homines in unigenito filio suo Christo Iesu, Domino Rege ac Pontifice nostro ad vitam aeternam regenuit, quique Spiritum Sanctum suum tanti huius beneficii testem iuxta copiosam suam misericordiam in nos ita effudit, ut non intra nos ipsi modo singillatim per illum clamemus Abba Pater, sed et omnium ubivis praeterea societatem, quicunque hoc ipsum Dei beneficium vere agnoscunt, ardentissimis etiam votis expetamus, de hac nobis gratulemur mutuo, in hac studia nostra omnia unanimiter ad ornandam ipsius gloriam conferamus. Ita ego tuam, mi frater! amicitiam expetivi deque illa mihi nunc maiorem sane in modum gratulor. Ita et receptum me abs te vicissim in amicitiam tuam certo mihi persuadeo. Oremus igitur Dominum, ut ita demum coniuncti ipsius potissimum gloriae pro nostra tenuitate serviamus.

Simplicitatem tuam amavi semper, quod haec sub ea sectarum nunc et iudiciorum varietate ad tuendam sanae doctrinae puritatem maxime necessaria esse videatur. Ceterum non minus mihi placuit etiam πραϋπάθεια tua, dum non solum non offenderis quorundam de vobis istic iudiciis, ne dicam praeiudiciis, qui vestram simplicitatem agnoscere aut non possunt, aut non volunt, sed honorifice te de illis sentire etiam passim non obscure testaris.

Est sane dolendum, hoc sibi permittere nonnullos, pios alioqui et doctos viros et qui non immerito seculi nostri lumina vocari possint, ut propter res non adeo usque graves et sine quibus constare haud dubie potest nostrae salutis ratio, non dubitent interim scindere Ecclesiarum societatem quasi ea non pluris multo constiterit summo Pontifici nostro Christo, quo aperiente nemo claudere potest, quam ut tam facile a nobis scindi vel debeat vel possit. Sed vincendi sunt omnino placiditate vestra, et pro fratribus habendi dum Christum docent, etiamsi parum aequos vobis illos habeatis. Nihil in vobis damnari ab illis video, nisi quod in elementorum observatione ab eis dissentiatis. Id cum levius sit, quam ut

violare debeat legem caritatis Christianae, recte facitis, dum vobis a regerendis conviciis abstinendum prorsus esse putatis. Expectanda sunt aequissima illorum iudicia, ubi suam impotentiam viderint vestra modestia infamari. Certe ubi doctrinae suae fundamenta diligentius paulo introspicere volent, intelligent se telam hanc suam neque suo loco neque suo tempore orsos esse et proinde diu prosequi etiam non posse.

Libellus tuus adversus Cochlaei naenias [1]) est mihi multo gratissimus, sed vereor ne nihil fructus apud hominem illum faciat. Pluris enim fere facere genus hoc hominum solet existimationem suam apud iuratos sibi doctrinae suae socios, quam ut illam vera Dei cognitione permutare velit. Mihi sane magno erit usui, ut qui nondum satis restitutas Ecclesias hic habeam, de quarum reformatione non pauca commemorasti.

Apud abbatem item Aduardiensem [2]) metuo ne nihil egeris. Est sane vir minime malus et longe quam pro monacho melior, sed vix praestare aliquid poterit, etiamsi maxime velit, hoc potissimum tempore. Et haud scio, an non infirmior sit, quam ut sibi periculum aliquod religionis nomine accersere velit. Id potius monendus esset, ut reiecta larva Pharisaica Christi Ecclesiis sese coniungat. Mihi nihil de tuo consilio significavit, significaturus haudubie, si quid homini persuasisses, praesertim cum me familiariter etiam norit.

Epitomen doctrinae hic nostrae ad Doctorem Albertum [3]) nostrum Argentinam transmisi, ut eam Bucerus videret. Hanc ad te transmissurus est etiam Albertus ubi illam Bucerus legerit. Ego quicquid huius est pro pastoribus hic nostris collegi, nondum tamen exemplum cuiquam dedi, neque dare statui, nisi audito Doctorum iudicio. Neque enim ullius dogmatis auctor esse vellem, quod consensum Ecclesiarum quoquomodo perturbaret. Nam etsi variare in multis scio Ecclesiarum iudicia, tamen libenter me admoneri ab omnibus atque adeo reprehendi etiam patiar, sicubi lapsus sim, et quantum maxime possum dissidia vitabo, meoque mihi officio functus videbor, si doctrinam meam Ecclesiis primum excutiendam proponam, quae aliis demum tradenda esset. Ibi videtis etiam nostram sententiam de hominis lapsu et restitutione, quam interim tibi hic paucis etiam adumbrabo.

Sentio vim promissionis divinae non minus efficacem fuisse in nobis, quam fuerit efficax Adae parentis nostri transgressio, cum adhuc in lumbis ipsius essemus. Iam si Adae transgressio ita efficax fuit ad nostrum omnium interitum, etiam qui non peccavimus in similitudinem transgressionis Adae, sane et serpentis caput coeptum iam tum conteri etiam in nobis, in lumbis Adae existentibus, post patefactam promissione Dei in nos εὐδοκίαν, ut, quemadmodum natura mortis et irae filii nascimur, quantum in nobis est, quatenus Adae transgressoris filii sumus, ita vicissim imputatione divinae benevolentiae, Adamo per promissionem patefactae, pro fidelibus reputemur, posteaquam illi Adam credidit, quicunque ex fideli Adamo progignimur, tantisper dum Dei beneficium non contemnimus, etiamsi sub peccatum conclusi et nascamur et vivamus. Statuo enim vim

ac meritum mortis et pontificii Christi, ab origine mundi iuxta Patris Dei providentiam passi, efficax iam tum fuisse in Ada et universo eius semine ad conterendum in illo serpentis veneficae caput, aeque atque Adae transgressio efficax erat ad propagandum in nobis id, ut natura nostra mortis atque irae filii nascamur, modo ne nos ipsi a tanto Christi Domini beneficio voluntaria ingratitudine nostra destinatoque contemtu nostro excludamus. Tum enim tam nihil ad nos pertinent omnes divinae promissiones, quam nos nihil ad Christum Dominum pertinemus, in quem omnes alioqui promissiones intuentur et qui infirmitates quidem nostras portavit et expiavit omnes ab ipso usque mundi exordio, sed contemtum voluntarium sui adeo non portavit, ut illius auctori Diabolo et omnibus qui in eius similitudinem ita transierunt, ut illius angeli videri possint, gehennam poenam constitutam esse testetur. Ita arbitror Dei εὐδοκίαν per promissionem Adamo patefactam efficacem prorsus iam tum fuisse in condonanda Adamo et eius semini universa plane illius infirmitate, posteaquam Adamus oblatae promissioni credidisset — contemtum semper excipio — ut fidelis Adam fidele etiam semen gigneret, non tamen re ipsa, sed imputatione, idque propter Christum sibi aeque atque semini suo promissum, quemadmodum idem ipse Adam, quatenus transgressor, mortem atque iram in nos re ipsa sive natura sua propagavit, ut in nobis quidem irae et mortis filii, in Christo vero olim promisso, nunc exhibito, filii Dei et nascamur ab ipso mundi exordio et vivamus, modo ne, ut dixi, hoc Christi beneficium contemnamus.

Hac doctrina simplicissime proponi puto et mali contagium ab Adamo in nos propagatum et efficaciam Pontificii Christi in Adamo et eius semine servando. Nec dubito, quin tota Scriptura huic doctrinae consentiat, si iusta locorum collatio fiat. Certe Christi gloriam ante omnia illustrat et amputat plurimas difficultates et dubitationes, quas nunc in Ecclesia extare videmus. Et tamen invulgari illam nolim, priusquam doctorum sententias Ecclesiarumque iudicium de illa audiam, ne quid eiusmodi aliis tradam, quod ipse non satis excussissem. Quare te rogo, Vir integerrime! ut quid hic sentias cum symmystis tuis mihi significare velis, potissimum autem ubi quae ad Albertum misi legeris. Neque gravaberis indicare, si quid doctrinae huic opponi posse putes. Videtur mihi in eandem sententiam propendisse et Zwinglius olim, nisi quod obscurius id subindicare maluit fortassis, quam verbis disertis profiteri. Sed et vestras nunc Ecclesias non prorsus a me hic dissentire puto. Malim tamen certo id scire quam putare. Proinde literas tuas ea de re magno desiderio expectabo. Interim nollem ut quisquam praeter symmystas vestros haec legat.

De rebus meis sic accipe: Fratrem habebam maiorem natu [4]), hominem pium et mei amantissimum. Is ubi intellexisset, me vitae meae genus mutasse et deserto Pharisaismo coniugium amplexum esse, nolebat dum viveret, ut me cuiquam addicerem, quod speraret me a meis vocatum iri adhuc meisque servire posse. Ita factum est, ut vivo fratre nulli me addixerim. A morte illius deferebam nihilominus meis operam meam. Sed

ubi fucum Pharisaeorum nostrorum deprehendissem, de rationibus vitae meae demum cogitare coepi, delata interim Regi meo Poloniae opera mea, si quando me ad Evangelii Ministerium vocare vellet. Ibi mox mihi defertur a nostra hic Principe Vidua, foemina pientissima, Ministerium istarum Ecclesiarum.

Suscepi, sed ea lege, ut mihi ponere illud rursum liceat, si me a Rege meo vocari contingat, vel si item in illo non videam quaeri ex animo gloriam Dei. Post susceptum Ministerium rem omnem ad meos in patriam perscripsi. Volui ut Regi exponerent, me posse nihilominus in patriam redire semper, si ab illo vocarer, etiamsi hic publicum ministerium suscepissem. Amici vero mei in Patria, putantes fore ut redeam, quocunque tandem modo a Rege vocarer, literas a Rege impetraut, quibus revocor in patriam, non quidem ad ullum ministerium Ecclesiae, sed ad vetus illud vitae meae genus, nempe Pharisaicum, si quae semel evomui, denuo velim lingere. Addunt et spem magni cuiusdam Episcopatus, si redirem. Sed his iam respondi, me nolle esse neque cornutum neque cucullatum Apostolum, neque esse quod cogitent amplius de meo in patriam reditu, praeterquam si legitimam aliquam mei illic vocationem viderem. Ita illos absolvi, quos rarius ad me alioqui iam scripturos puto. Hic vero simul atque ea quae mei erant officii aggressus essem et quae perturbata reperi restituere quaeque probare non poteram reprehendere coepissem, subito exorti sunt, qui mea calumniarentur omnia meque in varias suspiciones vocarent. Mox eram Anabaptista, mox Sacramentarius. Adversus hos cum meam innocentiam Princeps ipsa tueretur, aliam rursus viam repererunt me proscindendi. Obiecerunt mihi Monachos. His cum silentium Principis auctoritate impositum esset, majora sibi nomina appellanda demum esse putarunt. Accusatus sum apud Aulam Brabanticam periurii et nescio cuius turbulentiae. Mox huc ad Principem adferuntur mandata ab Aula Brabantica, ut ne me amplius tamquam turbatorem et periurum hominem in ditione sua ferat. Audis fulmina, sed adversus haec quoque me tutata est Divina bonitas. Ostendi meam innocentiam, sic ut et Principi et omnibus patriae huius Ordinibus satisfecerim, illique responderint se nolle me carere. Nunc quid in me per istos sit moliturus Satan, certum adhuc non habeo, sed scio non cessaturos, donec me hinc propellant. Si harum lacrimarum caussam quaeris, alia nulla est, quam quod qui sine legibus ullis licere sibi hactenus putabant quicquid libebat, non patiuntur se a nobis reprehendi cogique in ordinem: id quod mihi tamen est faciendum si ministerio meo satisfacere velim. Disciplinae nomen ne ferunt quidem, quam ego tamen nunc Principis auctoritate instituere conor. Ita hic luctor, mi frater! Ab altera parte impetor a sectariis neque desunt falsi fratres, qui societatem simulent et interim turbent omnia. Sed ego haec omnia pro certissimis argumentis habeo, me esse ministrum Christi, quem tot machinis mundus et Satan oppugnet, et ago gratias Patri Deo per Christum Iesum Liberatorem meum, quod me ita exerceat, ac precor, ut mihi addat virtutem ad illustrandam suam gloriam, sive per vitam, sive per mortem. Qua in

re vestris quoque precibus iuvari postulo. Si tamen luctae huius meae nullum hic fructum videam, do deponendo ministerio hoc meo cogitabo. Expectanda sunt mihi rursus nova fortassis fulmina ab Aula Brabantica, sed potentior est Deus. Huic semel credidi, huic et nunc me totum permitto. Vale. Deus Optimus Maximus confirmet nos Spiritu Sancto suo ut Christi Domini beneficium in eius Ecclesiam unanimiter infractoque animo profiteamur. Aemdae, ultima Augusti anno 1544 [5]).

Vere Tuus

I. à Lasco. m. pr.

Salvere iubeo Symmystas tuos omnes mequo illis in Christiana caritate omnibus commendo.

---

[1]) Cochlaeus contra eum ediderat opusc. *De sanctorum invocatione adversus Bullingerum.* 1544. Cf. Grässe, *Lit. Gesch.* V. p. 759. [2]) I. Reckamp. [3]) Se. Hardenberg. [4]) Hieronymum L. s. Iaroslaw, qui Cracoviae obiit a°. 1542. Cf. Regenvolsc. p. 409. [5]) Est haec resp. ad Ep. Bull. Cf. Gabbema. p. 98.

N°. 24. [E Bibl. Dublin. F. p. 41.]

Ad Amicum quendam.

Legitur ed. nostr. Tom. I. p. 465—479.

N°. 25. [Gerd. s. a. lib. 533.]

Ad Hardenbergium.

Veni huc die lunae, ut volebam, mi D. Alberte! sed neque meum illum ex patria, neque Syburgum nostrum [1]), neque item principem hunc [2]) hic reperi.

Nuntius ille noster Bonnensis fortassis ad constitutum sibi diem Emdam non pervenit, alioqui ille meus ex patria heri saltem huc venisset. Siburgu vero eo ipso lunae die, quo huc veni, ex Iburgo [3]) profectus est, Monasterium non ita cito rediturus. Princeps vero est quinque non amplius miliaribus a Brunsviga una cum duce Luneburgensi et nonnulli aliorum Principum legatis, ita ut frustra plane huc venerim. Nune iam pergo [4]) Emdam in Dei nomine iussique, ut meus ille ex patria, si interim huc veniat, me sequatur. Literas tuas ad Syburgum per hunc nuntium transmisi iussique ut illum quaerat Monasterii aut etiam Yburgi si eum Monasterii non reperiret, addidique tuis meas literas ad illum, quibus causam tuam exposui, et iussi, ut formam literarum, quas a Principe Coloniensi

nostro petit, ad te per hunc nuntium transmitteret utque ad tua tibi responderet.

Equus commodato mihi datus eiusmodi erat, ut uno non amplius die illum equitarim. Referet tibi nuntius, quantum laboris et molestiae cum illo habuerimus. Hunc reducit iste ipse nuntius ad eum cuius est. Utinam illum nunquam vidissem! Cogor itaque meum retinere. Ubi intelliges Principem [5]) iter suum adornare velle Wormatiam [6]), et quo tempore se in viam dare velit, rogo, ut me per conductum in hoc peculiariter nuntium facias certiorem, praesertim si spes sit, de religione illic aliquid tractandum esse, aut etiam si non tractetur, modo ut certum sit, Principes Evangelicos adfuturos esse. Non possum iam plura. Saluta fratres omnes et vale.

Egi cum Frederico Wetter [7]), ut quidquid illi Hadrianus noster Francofordiensis dederit, ad me cum rebus suis perferri curet, et ad Hadrianum scripsi ut ita faciat. Iterum vale.

Propter fractos aggeres ex inundatione non possum illac quae venimus in Frisiam redire, sed cogor circumire Oldenburgam usque, ac inde demum Auricam et ita demum Emdam, et eam ob causam puto meum illum ex patria non potuisse ad tempus constitutum ad me huc venire. Iterum atque iterum et tertium vale. Raptim Hosnabrugae die Mercurii post Laetare. (18 Martii) Anno 1545.

---

[1]) Iohannes Siburgicus s. Sibergius, sacellanus Episc. monasteriensis. Cf. Hammelman, *Op. gen. hist. Westph.* p. 1295. [2]) Erat ille Franciscus à Waldeck, Episc. Osnabrugensis. Hammelman, o. l. p. 1134. [3]) Iborch, castrum dioc. Osnabr. ad duo milliaria parva situm ab urbe Osnabr. Hammelm. p. 687. [4]) *Pergo* dicit, nam venerat Colonia. Cf. Ep. 26. [5]) Archiep. Colon., apud quem Hardenb. tunc erat. [6]) Wormatiae Comitia indicta erant, ubi de religione ageretur. [7]) Conücio pro *Wetter*, *Westium* legendum esse. Fredericus Westius, Paderbornensis, I. U. D., primo Arch. Colon. sigillifer, post Epist. Monast. conciliarius, ope Christophori Oldenburgici comitis in Phrisia Orientali ab Anna receptus, Cancellarii apud eam munere functus est. Cf. Hammelm. o. l. 229, 1331—35.

N°. 26. [Gerdes. s. a. IVª. p. 637.]

Ad Pellicanum, Bullingerum et tom Camp.

S. Cogor nunc per meas occupationes unis ad vos omnes literis scribere, Viri fratres in Christo Domino dilectissimi! idque paucis, nam tempus multa non permittit. Literas vestras forte fortuna dum huc proficiscerer in itinere accepi, mihi multo gratissimas, in quibus suspicari mihi videmini, me de deserendis Phrisiae Ecclesiis aliquid cogitare. Ego vero nihil huius cogito, sed aliis quoque operam meam ad tempus aliquod denegare non possum, idque permittente id mihi mea Ecclesia.

Sic primo vere adfui Principi Coloniensi ab illo vocatus. Sic et nunc huc veni, libenter ad vos usque perrecturus, quos ex animo videri cupio, si quoquomodo licuisset. Sed neque Argentinam proficisci potui, ut Bucerum viderem, et iam cogor rursum reditum ad meos adornare, iamque cras hinc solvo ad Principem Coloniensem, illac ad meos rediturus.

De mea constantia in eo doctrinae genere, quod vobis perspectum esse puto, non est, quod quicquam dubitetis. Ego extra certum aliquod verbi Divini testimonium coecus plane, quod ad Divina attinet, esse volo, neque tantum tribuo ulli humanae prudentiae ullive industriae, ut illi sine verbo niti velim. Scio me iudicandum esse olim non ab hominibus, quantumlibet prudentibus ac ingeniosis, sed a puro aeternoque Verbo Dei, nobis a Christo Domino per suos Apostolos tradito. Huic itaque soli me totum pro mea infirmitate subiicio, et Dominum precor, ut vere regio sceptro hoc suo me regere dignetur ad gloriam sui nominis et Ecclesiae suae aedificationem. Hic caussa religionis negligenter tractatur et fortassis in alia Comitia rursus differetur. Plura non possum, opto vos omnes in Domino recte valere. Raptim. Wormatiae IX Junii 1545.

Vester ex animo quantus est,
Ioannes à Lasco.

N°. 27. [M. S. Corp. Chri. Coll. Cantabr. N°. 119. art. 36. f. 105. orig. holegr. Vers. anglica in Gorham Reform. Gleanings. Lond. 1857. p. 30.]

Ad Bucerum.

Accepi nuper ab Alberto nostro litteras tuas, vir doctissime! quibus ad mea mihi quae ante aliquot menses ad te scripseram respondisti. Summas tibi gratias ago, quod inter tot tamque arduas occupationes tuas gravatus non sis interim ad me etiam ita amanter scribere. Ego, mi Bucere! ideo libere ad te scripsi quae sentio, quod tibi cupio mea probari omnia, aut certe corrigi, sicubi tibi non satisfaciam. Id ita se omnia habere, certo tibi persuadere potes. Sed si fontes cuiusque doctrinae in fundamento illo diligenter mihi perquirendos esse puto (scis quo), priusquam quidquam sequi velim, id vero et tibi et cuique christinno homini gratum fore credo. Neque vero magnopere ab invicem, quantum ego quidem iudicare possum, dissidemus, imo vero non tam in re ipsa, quam in verbis potius variamus. Tu ais, in coena *dari et percipi* communionem corporis et sanguinis Christi. Ego eam ipsam communionem dico in coena *obsignari*, idque illam sequutus similitudinem, quam nobis Paulus in circumcisionis explicatione proponit. Cum enim fidem promissionum in animis nostris coenae usu obsignari dico, ipsam quoque corporis et sanguinis Christi communionem sub nomine promissionum complector, quandoquidem illam promissione nobis delatam et patefactam habemus. Et tuum illud *dari ac percipi*, non ita multum mihi

a meo *obsignari* abesse etiam videtur. Si enim ita nobis datur in coena corporis et sanguinis Christi communio, ut non equidem tum demum incipiat, sed nostra etiam antea fuerit ante sumptam coenam, si item animae illic duntaxat cibus est, — quantum iam erit discriminis obsecro inter tuum *dare*, et meum *obsignare*? De pacti unione nondum satis assequor omnia, neque nunc expendere illa licet. Sed nactus plusculum ocii mecum diligenter reputabo, ac demum ad te scribam. Nunc obiter tamen animum meum tibi volui indicare, mihi gratissimum esse, quod ita ad me scripseris gratissimumque semper futurum esse, si ita semper scribas. Sed nescio an non melius sit, non omnibus communicari, quae ad hunc modum inter nos scribimus, quam quod ita a multis leguntur. Albertus noster ait, te voluisse, ut tua quae ad me scripsisti ministris haec istic Ecclesiae praelegerentur. Haec iam in multa exemplaria descripta esse audio. Ego quidem hic nihil offendor. Sed non scio, an utile sit, in vulgus spargi, quae inter amicos sunt singularia, et maiore nonnunquam libertate scribuntur, quam ut vulgo ea scire expediat. De communionis voce attigisti quaedam, quae ipse etiam antea observaveram, sed nondum tamen omnino absolvisti, qua de re posthac atque item de aliis. Nunc dabis veniam meae festinationi. Cogor enim iam finem facere. Vale, et de me tibi hoc persuadeas, me esse tui studiossimum fratrem et amicum in Christo Domino, et qui tuam existimationem eo plane loco habeam, quo meam propriam, ni quid aliud dicam. Illud tamen opto, ut omnium nostrorum existimatio Christi gloriae serviat, cui soli omnis debetur gloria. Iterum vale, et fratres in Domino omnes saluta. Albertus te salutat et hanc Epistolam vult ut ita accipias tanquam ab utroque nostrum ad te scriptam. Bonnae pridie Joannis Baptistae. (23 Junii) Anno 1545.

Tuus ex animo
Jo. a Lasco, m. pr.

[In dorso: *Doctissimo et fidelissimo Christi Ecclesiae Doctori D. Martino Bucero ad manus proprias.*]

N°. 28. [Gerd. a. s. lib. 513.]

Ad Hardenbergium.

Veni huc prima Julii sanus ipse meosque omnes (gratia Deo!) sanos reperi. Reperi autem et Comitem Joannem nostrum hic dira quaeque in me spirantem ac nomine Reginae rursus hoc molientem, ut hinc propellar. Repetit rursum eadem quae et antea mihi obiicere conabatur, et literas Regis mei [1]), quas ego in mei defensionem protuleram, falsas esse non quidem affirmat, sed suspicatur. Ego illi nihil adhuc respondi, sed respondebo tamen, priusquam hine abeat. Non adest hic nunc, lustrat enim totam ditionem, sed ubi huc redierit, tum illi respondebo.

Princeps interim mea me vult securum esse, utque nihil movear istiusmodi calumniis et conatibus adversariorum, sed pergam in ministerio meo, quemadmodum coepi. Brevi finem fore istarum rerum omnium etc, reliqua nostra tibi Johannes hic tuus [3]) narrabit.

Ad amicum tuum [3]) misi, quae scripsisti, simul atque veni, et ipse etiam scripsi: nihil tamen adhuc respondit, sed neque missum ad se nuntium remisit, unde suspicor illam una cum nuntio venire ad nos velle. Tamen etiamsi nunc veniat, tutum illi non erit, ut se nunc in viam istuc det propter militum nusquam non fere discurrentium multitudinem. Itaque Ioannem tuum retinere noluimus amplius, nam alter ille amicus nimium diu illi adhuc expectandus erat, sed brevi futurum est, ut Princeps nostra filiam suam mittat ad aulam Comitis Palatini Electoris, quae istac [4]) est profectura, dabo igitur operam, si amicus ille tuus interim veniat, ut se his adiungat, qui Principis nostrae filiam deducere debebunt.

Agnatus ille meus, qui pridem apud me fuit, non bona fide nobiscum egit. Vereor ne pecuniam totam meam, a fratre meo acceptam ut ad me perferret, prodegerit. Nondum quidquam certi scio, sed si quid huius est, iacturam feci mille plus minus et quingentorum thalerorum. Et quid faciam? Dicam cum Hiob: Dominus dederat, Dominus et abstulit, sit nomen illius benedictum. Philippus ad me scripsit, fratris mei [5]) filium a famulo suo ebrio apud Ducem Mauritium Saxoniae in aula occisum esse. Ego vero illum, non fratris mei filium, sed eum ipsum, qui hic mihi adfuit, agnatum meum fuisse suspicor, nam is habebat famulum temulentum perpetuo et satis insolentem. De fratre vero mihi persuadere non possum, ut is filium suum habuerit in aula ducis Mauritii. Nihil tamen certi adhuc habeo. Illud scio, non esse eo loco pecuniam meam, quo illam a fratre reponi volebam. Et frater scripserat adhuc mense Decembri, se illam brevi transmissurum esse. Quid multis? Domini voluntas fiat, is et reddere potest rursum, quod abstulit, siquidem abstulit, si id mihi salutare fore sciat. Plura nunc non possum, id quod Ioannes tuus testificabitur. Vale Emdae 7 Iulii Anno 1545.

Bucero nondum respondi, quia nondum vacavit.

[In dorso: *Aen Alb. Hardenberg. Te Iyns drie uren boven Bonn* [6]).

---

[1]) Sigism. reg. Polon. [2]) Frater ut videtur Hardenbergii. v. supra ep. 21. [3]) Tecto nomine Drusillam Syssingham indigitat. [4]) v. inscriptionem. [5]) Ladislaus. [6]) Satis notum oppidulum Linz.

N°. 29. [Gerd. s. a. lib. 536.]

Ad Hardenbergium.

Non prius intellexi de hoc nuntio, quam plane iam equum conscenderet. Itaque cogor et pauca et tumultuanter scribere. Amicus tuus [1]) est apud nos, sed cuperet nonnihil hic haerere adhuc propter certas causas, nec mihi inconsultum videtur, si tu id modo ferre possis. Ego propter illum Haltiliam [2]) pessime audio apud aulam Brabanticam estque id mihi nominatim obiectum apud Principis nostrae consiliarios, cum apud Reginam [3]) essent: sed me nihil movent istae accusationes, imo vero optarem centum tales Haltilias ad nos venirent et ego illis prodesse possem. Heri mihi adfuit quidam Henricus, olim Minorita, nunc in Frisia Occidua alicubi Capellanus, ut vocant. Is ad te cogitat, nam se tibi notum esse adeoque et familiarem fuisse dicit.

Ego rursus hic proelia multa sustinui a Comite Ioanne, sed Principi visum est, ut illi nil respondeam: se curaturam mea omnia apud Reginam et ubivis. Ad Scepperum [4]) tamen scribam, qui mihi infensus esse dicitur. Regina Poloniae iunior [5]), Ferdinandi Regis filia, ante sesquimensem mortua est. Petrus Traiectensis [6]) in reditu est ex patria mea. Exspectamus illum in horas. Scripsit ad me se non vacuum venire: experiemur ubi venerit. Caesar Turcarum dicitur, imo scribitur certo esse mortuus [7]), instituto haerede, filio suo iuniore, ad quem Ferdinandus Rex iam pro induciis rursum misit. Habes nostra omnia. Vale et quae istic habentur rursum perscribe, praesertim de Principis tui in me animo, et si putas aliquid ad illum scribendum esse. Iterum Vale Aemdae 22 Iulii Anno 1545.

---

[1]) Drusilla Syssinghe. [2]) Primo obtutu sub Haltitiae nomine Drusilla latere videtur. At Haltiliam ab eo distingui prorsus debere, aperte docet nos ep. 37, ubi Halteliae nomine salutat Hardenb. in eadem ep., qua scribit Drusillam mutam plane apud se esse. [3]) Maria, Lud. Hung. reg. vidua. [4]) So. Cornelius D. Scepperus, Caroli V notissimus orator s. legatus. Cf. eius legationis narr. in o. s. laud. Bar. St. Génois, quod citavimus ad Ep. 3. [5]) Elisabeth ei nomen erat deque industria iunior regina appellabatur, ut a regina vidua Bona discerneretur. [6]) Civis Emdanus. Cf. Beninga, o. l. p. 788. [7]) Obiit Soliman 4 Sept. 1566.

N°. 30. [Gerd. N°. 49.]

Ad Bullingerum.

Iampridem magno desiderio expecto literas et tuas et tuorum symmystarum, Vir doctissime! quas Gerardus noster, qui vobis istic adfuit, Daventriae cum sarciunlis forte suis reliquit, putans fore, quoniam ipse in Brabantiam iter instituerat, illuc prius quam ipsemet huc pervenirent. Has

porro cum nondum acceperim, respondere tibi ad tua nondum possum. Et tamen facere nolui, ut D. Pellicani nostri filium [1]) sine meis ad te literis dimitterem, qui iam iter suum differre amplius non potuit propter nundinas Francofordienses. Vidit is incompositam adhuc Ecclesiarum nostrarum faciem, et quorundam intemperias audivit, qui doctrinae nostrae consensum perturbare adhuc conantur. Ego cogito in hoc nobis admixtos esse, ut nos exerceant atque ad tuendam doctrinam veram magis sollicitos faciant. Vincimus illos quantum possumus mansuetudine et patientia et precamur illis mentem meliorem. Interim tamen indies plurimi ad nostrae doctrinae consensum accedunt, sed rursum Magistratus negligentia non pauci a nobis ad sectas deficiunt. Ego rursum paulo minus hinc propellebar instigatione aulae Burgundicae, ubi ex Germania superiore rediissem, sed iam iterum conquieverunt omnia. Vehementer male habet Theologos Brabanticos, quod multi indies ad nos se illinc conferant nomenque meum consilio huic suo praetexant. Agunt itaque modis omnibus, ut hinc propellar, metuunt enim ne Groningana ditio et Frisia Occidua mea hic praesentia in haeresim nostram pertrahantur. Optimi enim quique pastores utriusque huius ditionis relicta sua idololatria ad me confugiunt et mea opera hic nostris Ecclesiis praeficiuntur aliosque secum non paucos adducunt. Et assiduis praeterea literis Ecclesiis, quas reliquerunt, detegunt idalolatriae et impietatis magnitudinem, quam illos deserere oportebat. Ita ego reus sum omnium, et me propulso omnia haec cessatura esse putant. Sed Princeps nostra est forti constantique in hac parte animo, etiamsi sit foemina. Itaque postremam hanc quoque tempestatem in me concitatam iam compescuit. Interim tamen indies affluunt fratres profugi, quos recipimus et pro virili nostra sublevamus.

Confessionem vestram percurri potius, quam legi, lecturus adhuc diligentius, simul atque libellus compingetur. Sed in cursu illo lectionis deprehendi quaedam acerbius paulo dicta in Lutherum, quam revera voluissem. Toties enim illi adscribitur effrenis dicendi libido, impudentia, arrogantia, vanitas, ut non in hac solum sacramentaria controversia, sed in tota propemodum illius doctrina fides hominis in dubium vocetur. Non nego, nimium sibi in iaciendis in vos nominatim convitiis indulsisse Lutherum, atque fines Christianae charitatis longo intervallo transiluisse, sed hoc illi propter praeclara alioqui illius in Christi Ecclesiam merita condonandum erat, et ne ad eundem lapidem, qui id in Luthero reprehendimus, ipsimet impingeremus. Ut enim leviter impingere nobis videamur, culpa tamen non caremus, si etiam leviter impingamus. Praestabat errata indicasse, quod quidem pulchre mihi praestitisse videmini, sed citra contumeliam, qua nihil aliud efficimus revera, quam quod et doctrinam ipsam et ministerium item Evangelii in nostris Ecclesiis apud adversarios infamamus. Satis erat dixisse, mea sententia: „Hic fallitur Lutherus", „Hic praeter meritum nostrum invehitur" et id genus multa, quae nostram tueri innocentiam possunt, si approbentur, interim tamen non labefactant cuiusquam alterius nomen atque existimationem. Dabis autem veniam, Vir Christianissime! quod haec pro mea libertate ita ad te scribam. Afficior ita erga vestram Ecclesiam, ut erga

nullam fere aliam magis, et proinde cuperem, nihil haberi posse, quod in vobis quisquam iure aliquo desideret. Vicistis Lutherum modestia, fateor, sed tamen illius quoque fines supergressi mihi nonnihil videmini. Neque hoc meum est tantummodo iudicium, sed et plurium aliorum, qui interim doctrinam vestram sequuntur et vobis alioqui optime volunt. Novi ex viris Principibus quosdam, qui et vobis et causae vestrae bene volunt, et videntur hoc esse curaturi, ut ad institutum doctorum (ut scitis, opinor) colloquium, vestri quoque advocentur. Id si fiat, vellem ne recusaretis aut venire aut mittere. Scio quid sit humana consilia de rebus Divinis instituere, sed posteaquam instituuntur, praestat illis quam plurimos pios adesse, ne tyrannis tyrannide, quod multum metuo, commutetur. Vale, vir integerrime! et fratres nostros communes verbis meis saluta. Raptim Embdae xxv Augusti 1545. Ex Bibliandro cognosces plura [2]). Iterum vale.

Tuus ex animo

Ioannes à Lasco. m. pr.

[1]) Nomine Samuelis. [2]) Intelligendum est, eum simul ad Bibl. epistolam dedisse, qua res suas dilucidius aperuerat.

N°. 31.

[Gerd. S. a. VI[b]. p. 615.]

Ad Hermannum Lenthium [1]).

Mi Domine Hermanne! Miror ne odio mei quodam id fiat, ut nullum hic in religione progressum facere possim. Quid enim obsecro per me hic actum est toto hoc iam ministerii mei tempore, praeterquam quod maior est aliquanto in doctrina consensus. Quem tamen iam rursus ut audio perturbare quidam conantur. Si Princeps, si Magistratus, si quisquam alius, me minus idoneum aut parum fidelem esse putat in hoc ministerio, quidni mihi uno verbo dicitur „Pone". Si res non est cordi Principi et non putat esse officii sui promovere in hac sua vocatione verum cultum Dei, quid illi opus est me ministro? Certe ego huius hic Magistratus, quem ab omni pietate alienum esse video, minister esse nolo. Spes mihi erat in Principe quae et me hic retinuit: sed et hanc flaccessere video, quae si non aliud specimen dat sui erga religionem studii, profecto cogor cogitare quod nollem. Ego enim, mi Domine Hermanne! contemtus Verbi Divini minister esse nolo. Si quidem alii in suo ministerio permittere volunt, ut Verbi Divini auctoritas contemnatur, id ego quidem ferre cogor, sed ut propter mei odium Verbi Divini auctoritas in meo hic ministerio contemnatur, id plane ferre non possum. Annon est pudendum, me hoc non posse impetrare, ut iusta habeatur egenorum ratio? ut idola quae nos ipsi oculis nostris in nostri ministerii contemtum adorari videmus tollantur? Audio, nostrum esse, ut praedicemus. Respondeo, non esse praedicandum porcis et canibus, h. e., qui non bene commansum cibum hunc nescio quo transmittunt.

Praedicatum est hic tot annis, quis fructus ostendi potest huius praedicationis? Videmus publicam Monachorum idololatriam atque abominationem, quam attingere non licet. Videmus abolitam suppressamque omnem disciplinam Ecclesiasticam. Videmus direpta distractaque fere omnia, quae ad retinendam in ecclesiis publicum ministerium et ad alenda studia iuventutis constituta erant. Videmus omnium sectarum receptaculum, atque in his culices, si Deo placet, persecuti sumus, et vespas interim et crabrones ipsos alimus, danda est corvis venia. Sed etiam videmus tantam flagitiorum indulgentiam, ut qui paulo frugalius velit vivere mox pro sectario habeatur. Istos hic fructus tam diu praedicati Evangelii hic videmus et adhuc dicitur nobis „praedicato". Audio docendum nobis esse, statuas non esse idola. At vero cosne id docebimus, qui in retinendis tollendisve idolis patriae salutem consistere dicunt. Quae maior idololatria esse potest, quam statuere, retentis idolis tuta fore omnia, sublatis vero omnia interitura? An statuae hoc praestare [2]) possunt ut retentae nos tutos reddant, sublatae nos perdant? Annon haec sunt plena impietatis et blasphemiae? et adhuc dicimus nullos esse qui haec idola colant! Si hoc non est colere, quid obsecro est colere?

Sed desino, neque enim prae animi dolore plura possum propter meam valetudinem. Vellem tamen, mi Domine Hermanne! ut Principem verbis meis solam et quidem serio admoneas. Nam actum est; nisi aliud specimen pietatis in Principe videam, non diu me habebitis.

Quod superest, venit heri ad me nauta noster, Iohan Dierks nomine, mihi alias satis notus, anabaptista tamen, et petiit a me ut pro se apud Principem nostram efficerem precibus meis, ut aliquandiu hic haerere possit, saltem ut quae advexit civibus suis reddat. Ego vero de reddendis mercibus non ita sum sollicitus, etiamsi uxor mea in sua navi partem quandam habeat, ut vocant, neque hoc sane nomine pro illo peto, sed quoniam scio virum esse bonum et pietatis studiosum, deinde non diffido etiam, illum ab hac secta abduci adhuc posse per Dei gratiam, si aliquoties adhuc cum eo colloquamur. Ideo pro illo rogo, ut propter spem resipiscentiae, quam mihi optimam colligere posse videor, ad unum mensem illi permittatur hic esse Principis authoritate, siquidem hoc a sua Celsitudine impetrare possum.

Si paululum a morbo revaluero veniam ipse ad principem post dies aliquot et haec quae scripsi ipse repetam. Interim de Iohanne Dierks nauta responsum expecto. Raptim Emdae d. VI Sept. 1545.

Tui studiosissimus Io. à Lasco.

Si quid in scribendo per festinationem peccatum est, ignosce, non enim relegi propter valetudinem.

[In dorso: *Ornatissimo Viro Domino Hermanno Lenthio, Principis nostrae Secretario.*]

[1]) Lenthius Secret. Annae Comitissae et Consul Emdanus, cumprimis autem sacrarum restitutionis apud suos fautor, quo nomine Lascum etiam percarum eum habuit. Cf. U. Emmius o. l. p. 915 sq. [2]) Gerd.: *perstare.*

N°. 32. [Bibl. Brem. Cl. VII. p. 343. Gerd. Ilb. 537.]

Ad Franciscum Sissingium [1]).

Levius est meum in sororem tuam officium [2]), Vir Ornatissime! quam ut mihi illius nomine tantas gratias agere debeatis. Feci non quod debui, sed quod potui pro tenuitate mea, et gaudeo id vobis gratum esse. Illud tantum miror, quod ipsa suum hoc de reditu ad vos consilium me celarit: quasi vero ego impedimento illi futurus fuerim, quo minus id faceret, si mihi rem exposuisset. Hic enim constans rumor est, eam, ut hinc abduceretur, clam (apud vos, opinor) egisse et curasse. Quorsum vero attinebat id clam agere? ego sane ut invitam in aedes meas non recepi, ita invitam non etiam detinuissem. Scripsi ad eam hac de re literasque in manus vestras mitto, ut me ab omnibus suspicionibus, quas vobis haec ipsius simulatio parere posset, apud vos liberarem. Si illi bene sit, mihi id longe gratissimum erit: modo ne dono divinae cognitionis ad suam ipsa condemnationem per humanam sapientiam abutatur.

Quod vobis ferendum non esse duxeritis, ut ipsa, quemadmodum scribis, Vir ornatissime! et praedae et ludibrio monacho Aduardiensi fieret, me sane autore nulli menscho unquam aut praedae aut ludibrio futura erat, neque, si quid huius scivissem, in aedes illam meas unquam recepissem. Non libenter enim cum talibus consuetudinem habeo, quae ludibrio et praedae esse volunt, neque ego de sorore tua, Vir eximie! id unquam sum suspicatus, ae ne nunc quidem suspicari possum: quin potius id ingenue fateor, illam summa cum modestia integerrime honestissimeque apud nos vixisse. Caeterum si sub monachi nomine Doctorem Albertum intelligis, ille mihi amplius monachus non est, sed dilectus in Domino amicus et frater. Porro, si quid soror tua cum illo pacta est, hoc me nesciente prorsus, ne dicas autore aut consultore fecit, qua de re ad ipsam quoque scripsi. Hoc igitur si vobis ferendum non esse putatis, ego sane vestrum in hac parte consilium ut probare non possum, ita improbare nunc etiam nolo. Sed per me id vobis equidem adeoque et sorori vestrae sine dissimulatione ulla facere licuisset. Nunquam hoc a me impetraturus erat Albertus, quanquam intimus sit amicus meus, ut sororem vestram haberet, si quid vel minimum se ab illo abhorrere soror vestra mihi indicasset, quae id etiam mihi negare non poterit, se a me nunquam ad id, ne uno quidem verbo, sollicitatam esse. Nunc opto, ut vestrum consilium et vobis et sorori vestrae bene cedat. Aliter tamen egissetis, si me quoque audire paulisper voluissetis.

Quod ad sumptus in sororem vestram facti pensationem attinet, ego, Vir ornatissime! cum sororem vestram reciperem, de pensando mihi hoc sumptu nihil cogitavi, neque eo animo illam receperam, ut vel ab ipsa, vel a vobis quidquam reposcerem. Quare ago quidem gratias humanitati tuae pro ea voluntatis vestrae erga me testificatione humanitatemque vestram libenter amplector, — sed quod ad sumptus pensationem attinet, satis illum

mihi pensatum putabo, si amicitiae officiis gratum vobis officium hoc meum esse declaretis. Hanc ego omnibus pensationibus antepono et optime me officium hoc collocasse existimabo, si per eius occasionem in vestram amicitiam veniam, quibus meam vicissim defero, cum omnibus officiis, quaecunque a me vobis pro mea tenuitate praestari possunt. Plura me non patitur nunc scribere valetudo mea: quin et haec ita celeriter scribere non potui, ut ei nuncio, qui vestras ad me attulit, literas reddere possem. Pro missis avibus habeo magnam gratiam meque tuae praestantiae diligenter commendo. Aemdae pridie Catharinae. (24 Nov.) Anno 1545.

[In dorso: *Doct. viro Fr. Sissingio L. L. Doctori, ad manus Groningae.*]

[1]) Frater Drusillae erat. [2]) Lascus Drusillae hospitium praebuerat, ut patet ex Ep. 28.

N°. 33. [Bibl. Brem. Cl. VII, p. 339. Gerd. IIb. 539.]

Ad Drusillam Syssinge.

Accepi literas tuas, mea soror! quibus de tuo istuo reditu satis accurate ad me scribis, et quaedam praeterea adiungis, quae per meam uxorem et me fieri cupis. Quodque ad tui a nobis abitus rationes attinet, has ego ex multis eo ipso die, quo nos reliquisti, neque sine magna admiratione mea percepi, et quidem longe diversas ab his, quas ad me to tanto verborum apparatu perscripsisti: nimirum te sciente ac volente missos esse huc qui te abducerent. Id porro si tam est verum, quam est hic iam publicum in ore omnium, miror profecto, mea soror! cur ea sis apud nos hypocrisi usa, et suspicari cogor, aut te offensam esse doctrina et conversatione nostra, aut nobis non confidisse, deque nobis nonnihil subveritam esse, aut saltem putasse te, quod tuum consilium probaturi non essemus. Iam, si te quoquomodo offendit nostra vel doctrina vel conversatio, erat hoc candoris Christiani, ut nos de his quae te offendebant, vel admoneres amanter, vel libere etiam reprehenderes: tametsi quod ad doctrinam attinet, eam talem esse confido, praeterquam si quid mihi imprudenti forte excidit unquam, ut coram iudice Deo impugnari non possit. Vitam equidem meam adeo non excuso, ut longe plura etiam desiderari in illa cogar, sed tamen nihil a vobis istiusmodi designatum interim esse puto, quod te offendat, vel impediat adventum nobis tuum, vel ad talem alioqui simulationem adigere debuisset. Si nobis non confidisti, id quidem erat arbitrii tui, neque nos tuarum cogitationum anxii percontatores esse voluimus, sed tamen nullam tibi diffidentiae occasionem dedisse nobis videmur: multo minus autem, ut de nobis quidquam omnino subvererer is. Ego te, mea soror! ut invitam in aedes meas non recepi, ita invitam quoque non detinuissem, neque obstitissem, quo minus fratrum tuorum consilia sequereris, quatenus illa Deo approbare posses. Audivisti ex me non raro, Deum a nobis ho-

norari in amicis, dum illos honoramus, Deum et contemni, dum illos temere contemnimus, modo ut quod amici a nobis exigunt, ne Deo repugnet. Quare poteras hic nihil de nobis suspicari, ne nos aliorum quoque suspicionibus praeter meritum nostrum involveres. Quis enim non aliquid de nobis suspicetur, apud quos eum aliquandiu iam vixisses, nobis interim inscils abduci te a nobis curasses?

Si putabas consilium nobis tuum propter pactum cum Domino Alberto haudquaquam probatum iri, scis, mea soror! nos pactorum vestrorum neque autores tibi neque consultores fuisse. Si quid est inter vos, id totum factum est nobis insciis prorsus, nedum, ut tibi hic vel suaserimus vel dissuaserimus quidquam, tantum abest, ut nobis hic imputare aliquid possis. Imo vero ne id quidem serio abs te sciscitari volui unquam, praeter semel obiter, quod in eius rei mentionem forte fortuna ex colloquio incideremus. Itaque ne hic quidem de nobis quidquam merito poteras suspicari. Illud equidem fateor, me Doctori Alberto amicum esse fortunisque illius omnibus me ex animo favere, propter illius dotes et peculiaria quaedam in me officia, quibus me sibi vehementer devinxit, et proinde mihi gratissimum fuisse etiam, quum vos invicem inter vos pactos esse audirem. Quin et operam illi meam in hac parte detuli, quod te, ubi ipsa velles, ad illum transmissurus essem. Sed haec egi omnia te sciente ac volente etiam, quod hoc ipsum meae et illius amicitiae ratio ac vinculum postulare a me videretur. Haec autem, cum tibi fraudi esse non possent — neque enim nisi te volente facturus eram omnia — admirari satis non possum, quod ea sis usa apud nos simulatione, quae interim varias nobis apud multos et quidem praeter meritum nostrum suspiciones parit, a quibus sane nostri intererat, ut nos cum apud te, tum apud tuos etiam, per nostras hasce literas liberaremus, testatumque faceremus nos ab omnibus plane suspicionibus, in quas nos haec tua simulatio vocare forte posset, alienos esse et semper fuisse.

Ignosces autem, mea soror! quod quae Alberto a me verbis tuis significari vis, illi ego significare non possim. Non eram paranymphus vester, itaque et diremptor esse nolo. Siquidem omnium optime nosti tua omnia, omnium etiam optime illi quae voles poteris indicare. Res tuae ..... manebunt donec pro illis miseris. Quod petis, ut fratribus tuis indicem, quantum pro eius temporis quo apud nos fuisti sumtibus habere velim, non sum is, mea soror! qui sumtuum eiusmodi pretia reposcere soleam. Quod ad te imprimis attinet, nihil minus cogitavi, cum te in aedes meas reciperem, quam ut sumptum hunc vel abs te, vel a tuis reposcerem. Sed, quidquid huius feci, pro christiana charitate feci, facturus plura etiam, si nostra tenuitas tibi satisfacere potuisset. Nunc tuum erit condonare, si qua in parte tibi non satisfecerimus. Quare quod ad sumptus pensationem attinet, ut nihil de ea cogitavi unquam, ita nunc illius nomine nihil etiam vel abs te vel a tuis postulo. Si gratum est fratribus tuis meum hoc qualecunque in te officium, amicitia id nobis sua pensare poterunt. Haec mihi satis erit, modo ut cum Deo consistere queat. Plura non possum per valetudinem, quin et haec sine lituris, ut vides, scribere non potui.

Quod restat, precor, ut dono divinae cognitionis in te opulenter collato, ad tuam ipsius condemnationem per speciosas rationis humanae adinventiones ne abutaris: tum enim maxime desipimus, cum nobis maxime sapientes esse videmur. Vale pridie Catharinae. (24 Nov. 1545) [1]).

[1]) Ex praec. Lasci ad fratrem Drusillae epist. patet ad hunc annum hanc ep. esse referendam.

N°. 34. [Bibl. Brem. Class. VII. p. 346. Gerd. IIb. 621.]

Ad Drusillam Syssinge.

Accepi literas tuas, mea soror! quibus nunc propter meas occupationes paucis respondere cogor. Quod serius ad mea responderis, facile hoc patior, et dolet mihi, quod res tuae ita sint perturbatae. Suspicionem de tua apud nos simulatione, mea soror! non ego confinxi, sed tui illi, qui te hinc abduxerunt, non apud me tantum, sed apud universum fere hic populum illius autores fuerunt. Illi ipsi enim pridie quam hinc abires, te a tuis fratribus scientem ac volentem hinc abduci, apud plerosque affirmarunt. Quod scribis, te non fore ingratam erga nos, ego, mea soror! nulla abs te aut peto aut expecto officiorum meorum praemia, cum nnu ita multum in te iuvanda praestiterim. Sed vellem ut tuam gratitudinem erga Dominum Deum nostrum pro tot donis in te collatis declarares, et causam Evangelii cui tuo hinc ad tuos rursum reditu ne gravares, apud infirmiores praesertim, qui consiliorum tuorum ignari, aliter quam tu putas, de abitu hinc tuo iudicant, per hostes Euangelii, non sine doctrinae nostrae ignominia, instigati. Si vis gratam te erga Dominum Deum tuum exhibere, vide ne ex tua occasione offendiculum Evangelio praebeas. Quis autem te certiorem faciat, neminem vel hic, vel istic etiam esse, qui non putet te propterea hinc ad tuos rursum rediisse, quod tibi minus et doctrina et conversatio nostrum hic omnium placeret, quam placituram esse putabas? Quis item te certiorem faciat, neminem esse ex hostibus Evangelii, qui abitum hinc tuum non accommodet ad proscindendam infamandamque et doctrinam et Ecclesiam nostram universam? An vero, si quid huius fiat, occasionem tu offendiculo isti Evangelii tuo hinc abitu post sparsum a tuis talem hic de te rumorem non dedisti? An item gratitudinis esse putas, offendiculo esse doctrinae illius, nempe Dei, a quo tot et tanta dona recepisti? Quare magis te sollicitam esse vellem, mea soror! de gratitudine erga Deum declaranda, quam erga me, qui aut nihil aut parum tibi praestiti, utque offendiculum hoc, cui abitu hinc tuo, quanquam imprudens, occasionem dedisti, aliquo rursum modo tollas. Res tuas quas voluisti uxor mea tibi remittit. Quae etiam a me petiisti, ea curabuntur facile, neque ego, mea soror! sum tibi defuturus unquam pro mea tenuitate, si modo te Christianam esse velle

ostendas et humanae prudentiae in his quae ad Deum attinent valedicas. De vetere amico mea nihil refert, neque unquam tibi quidquam hic, ut ipsa nosti, aut suadere aut dissuadere volui. Quod si te liberam esse intelligis coram iudicio Dei, mihi perinde est, sive res illa succedat, sive non succedat. Sed quia mihi pacta sunt incognita, iudicare de illis non possum. Riderum abs te missum uxor mea accepit, unaque et quod ancillae nostrae misisti. Salutant te uxor et Margareta [1]. Vale. Raptim Emdae xv Martii Anno 1546.

[1]) Filia Lasci.

N°. 35. [MS. Arch. Tigur. Cf. Hess. Cat. 1823 [1]). Gerd. IVa. 464. Vers. angl. Gorham. o. l. p. 32.]

Ad BULLINGERUM et C. PELLICANUM.

Salutem et pacem in Christo, fratres observandissimi! Cogor et nunc una epistola utrique vestrum respondere, nam obrutus occupationibus ad singulos scribere iam non possum. Feci tandem invitus, quod tanto tempore facere nolebam, et episcopi ministerio me propter magistratus nostri et falsorum quorundam fratrum impietatem renunciavi. Magistratus volebat, ut nomen Inspectoris retinerem et nullum mihi Ecclesiasticae disciplinae usum permittebat in publice impios ac blasphemos Ecclesiarum depastores, ne dicam pastores. Quare ego autoritatem Christi Domini in meo ministerio contemptui publico amplius exponendam non esse putavi et ministerium, quo legitime defungi non potui, mea sponte deposui. Pastoris tamen ministerium in oppido hoc nostro non deposui, neque deponam, nisi propellar, quo mihi tamen res propemodum spectare videtur. Ego vero me totum hic permitto Deo, neque sum cessurus per Dei gratiam Satanae et mundi furiis. Aula Burgundica nihil non agit, ut hinc propellar, et, cum me anabaptismi suspicionem depulisse videt, Sacramentarium me esse contendit.

Bucerum, cum Heidelbergae essem, non vidi, et mihi dolet, quod illum non viderim. Expetit ille colloquium meum et ego vicissim suum. Egit mecum de caussa Sacramentaria per literas suas semel atque iterum, et ego illi vicissim respondi, nec multum est inter nos discriminis [2]). Ego intra obsignationis fines Sacramenta omnia concludo: ille addit exhibitionem, sed ita ut, quod in Sacramentis coeleste est, fide in coelum subvecta, a piis duntaxat percipiatur. Assentior hic ego et fateor, in coena sublatis in coelum animis nostris fide per Spiritum Sanctum, veram nos illic corporis et sanguinis Christi communionem percipere iuxta Sacramenti rationem, hoc est, per modum obsignationis. Atque hactenus progressi sumus. Nec dubito, quin et in reliquis res bene sit successura, praesertim postquam Lutherus in fata concessit. Mirum est, virum illum sanctissimum et aeternis

prorsus laudibus in Christi Ecclesia dignum, ita interim in hac signorum caussa hallucinatum esse. Videlicet, ea res nobis documento est, nos omnes esse homines, hoc est, mendaces quod in nobis quidem est, ut ne ullius omnino in terris hominis autoritate nitamur, sed sciamus interim, ligna foenum ac stipulas humani erroris nostri absumendas quidem esse igne verbi Divini: sed nos tamen hauddubie salvos fore, tantisper dum fundamento nostro nitimur, cui equidem nisum esse Lutherum toto corde suo nemo negare potest, ut interim aurum gemmas et argentum in doctrina sua taceam. Certe caussam iustificationis nostrae per Christum ille primus nostro seculo mira felicitate illustravit, arcana iniquitatis Antichristi ita detexit, ut pueris quoque nota sint, quae antea tantum non perinde atque Deus ipse toto fere orbe adorabantur, Ecclesias infinitas iuxta traditum sibi donum restituit, adversariis Euangelii Christi tanto Spiritu tantaque constantia ad mortem usque restitit ut non immerito hanc laudem omnibus aliis praeripuisse videri possit: sed in iis nihilominus omnibus homo erat, quod quidem de nobis et nos illius exemplo admoniti perpetuo cogitare debemus. An in vos aliquid denuo adornarit, nescio, nihil enim huius audivi, sed, etsi quid eiusmodi esset, premetur fortassis, ne exeat. Interim sive prematur, sive exeat eiusmodi aliquid, vellem ut laudatiuncula aliqua tanti viri vestrum erga illum candorem atque amorem Christianum, cum causae huius Sacramentariae modesta quapiam exceptione, contestaremini. Obturaretis singulari hoc modestiae vestrae exemplo ora multorum adversariorum Euangelii, apud pios vero omnes magnam procul dubio gratiam iniretis, et quod praecipium est, non vulgare integritatis vestrae testimonium universae Christi Ecclesiae daretis. Imo id quoque efficeretis fortassis, ut ratio aliqua conciliandae huius controversiae Sacramentariae maiore quam antea unquam studio quaereretur, quae quidem sola res sufficere deberet, ad animos vestros hoc excitandos. Quid enim optatius accidere posset, quam ut haec controversia componeretur? Ad quod si animos vestros propensos viderem, praesertim una cum vestro magistratu, laborarem sane modis omnibus, vel apud Lantgravium Hessiae, vel apud Comitem Palatinum Electorum, quorum utrique notis sum, vel apud Principem meum Electorum Colniensem, ut colloquium doctorum aliquod institueretur, ad quod vos quoque vocaremini. Id tamen non prius mihi faciendum esse puto, quam de animo vestro certior fiam. Quod si eo estis animo, non abs re esset, ut aliquam, ut dixi, Lutheri laudatiunculam cum exceptione caussae Sacramentariae ederetis, in qua tamen concordiam vos optare testaremini, neque detrectare super ea re amicum, liberum et christianum colloquium. Horum vos paucis admonere volui, fratres in Domino dilectissimi! posteaquam nobis bene agendae huius rei occasionem oblatam quodammodo esse videmus. Plura nunc non possum. Tantum vos rogo, ut Vadianum nostrum verbis meis per vestras literas diligentissime et officiosissime salutetis. Non potui nunc ad illum scribere, sed scribam brevi, et faciam, quod a me petiit, si Dominus volet. Salutetis et reliquos fratres omnes.

Et Deus pacis regat nos una omnes per Spiritum suum, ut quae illo digna sunt et faciamus et loquamur. Amen. Aemdae XXIII. Martii 1546.

Vester ex animo quantus est,
Ioannes à Lasco m. pr.

[1]) Salomon Hess composuit Catal. analyt. ep. autogr. Reform. asserv. in Arch. Tigur., tribus volum. const., ineditum, cuius exemplar m. s. possident The delegates of the Clarendon Press. Oxford. Cf. Gorham, o. l. p. 32. [2]) Cf. ep.

N°. 36. [Gerd. s. a. IV°. 465.]

Ad Bucerum.

Post scriptas literas venit mihi in mentem, Vir Doctissime! ut te admonerem de instituendo aliquo colloquio, si quomodo iam fieri posset, ut haec Sacramentaria controversia tandem aliquando componeretur. Principem nostrum Coloniensem ab ea re video non abhorrere, et Lantgravius facile forte induci ad id posset, neque forte abnueret et Comes Palatinus Elector, si modo ad id per te aut tui similes excitarentur. Per te, inquam, mi Bucere! quandoquidem tu in concilianda hac controversia plurimum laboris hactenus insumpsisti. Non dubitarem profecto, rem bene cessuram esse, si tentaretur. Et quid optatius posset accidere, quam si haec controversia componeretur? Certe sine magno fructu colloquium tale institui non posset. Sed essent eo quoque vocandae omnes Helveticae Ecclesiae, unaque et Gallicae, hoc est, Allobrogicae quas Calvinus instituit. Si scirem tuum in hac parte animum, essem tibi ea in re adiutor scriberemque et ipse, cum ad nostrum Coloniensem, tum ad Palatinum et Lantgravium certoque mihi persuadeo, non vanos fore conatus nostros hic, si id una uterque apud istos Principes contenderemus.

Suasi per literas Tigurensibus, ut posteaquam Dominus nobis Lutherum sustulit, illi laudationem tanti viri aliquam ederent cum sui erga illum amoris Christiani testificatione, etiamsi haec inter illos dissensio intercessisset, simulque testarentur, se non detrectare amicum et Christianum quodcunque colloquium, si quomodo haec controversia componi queat. An hoc sint facturi, nescio. Sed faciant aut non faciant, suam ipsi doctrinam gravarent, si vocati ad tale colloquium non venirent, et interim aliae Ecclesiae conciliari possent. Expectabo igitur abs te, ut me de tuo in has partes animo facias certiorem.

Est praeterea et aliud, in quo tuum consilium et tuorum istic fratrum requiro. Sunt quidam hic Ministri, qui non putant sibi licere Coenam Domini eo loco peragere, ubi idola iam olim sub Papatu in cultum erecta, a superstitiosis quibusdam adhuc publice per Magistratus negligentiam adorantur, neque Magistratus metu aulae Burgundicae tolli illa patitur. Utuntur autem hoc argumento inter alia multa: »Non licet in lupanaribus

coenam instituere propter loci turpitudinem. Loca ubi idola prestant et adorantur haetenus lupanaria sunt, quatenus idololatria fornicatio in Scripturis vocatur. Igitur in talibus locis non esse administrandam Coenam, sed in alium potius locum transferendam". Alii negant morem publicum propter talem idololatriam mutandum esse, aut alium quaerendum locum, ubi Coena peragi debeat: charitatem haec ferre omnia, et huius generis multa. Itaque te rogo, Vir doctissime! ut tuae nobis Ecclesiae sententiam perscribere ipse aut ab aliis scriptam curare velis. Postremo est aliud quoque quod te velim. Hic, qui has perfert, est civis noster, probus, pius ac integer, sed artibus anabaptistarum in sectam ipsorum pertractus. Hunc conati sumus revocare, quantum potuimus, neque contempsit nostras admonitiones, sed te quoque nostro hortatu et tuam Ecclesiam ea de re audire voluit. Hoc igitur animo ad vos proficiscitur. Rogo ut illum benigne accipiatis et implorata Dei gratia doctrinam illi vestram aut nostram potius in omni lenitate et mansuetudine approbetis. Multos hic lucrifaceremus si hunc lucrifacere possimus, quare illum tibi de meliore nota commendo. Iterum vale et de me hoc tibi persuadeas, quod de tui amantissimo studiosissimoque fratre et amico. [Emdae 2? Martii 1546] [1]).

[1]) Ad hunc fere diem esse referendam huius ipsius epistolae cum praec. comparatio haunde docet. Ad litteram fere conveniunt et de eodem prorsus argumento utrobique agitur.

N°. 37. [Bibl. Brem. Cl. VI. p. 138. Gerd. IIb. 623.]

Ad Hardenbergium.

Heus tu, bone Vir! Itane memor es nostri, ut Dominum in Cuypens [1]) sine tuis ad me literis venire passus sis? Quid hic causaberis? quid excusabis? tuas occupationes? illius festinationem? vulgaria haec! — morbum? at ille te recte valuisse narravit. Sed est quod excuses — putasse te, me non hic iam, sed in Prussia esse. At vero et in Prussia literae hinc ad me transmitti poterant, quae mihi non minus illic, quam hic gratae futurae erant. Praetexes animi pertubationem propter amici illius tui [2]) inconstantiam? At ego hic tibi gratulandum potius censeo, quam ut te eo nomine perturbari putem. Praestat, mi Alberte! divulsum esse, quod vix bene cohaerere poterat, si ita connexum fuisset, ut divelli deinceps non posset. Ego sane hic tibi gratulor, tantum abest ut doleam. Habet adhuc sua apud nos propemodum omnia. Tantum repetiit quaedam, ut reditus ad nos sui suspicionem animis suorum eximeret. Sed tamen, an de reditu cogitet, nihil certi habeo. Et posteaquam ille ad me scribere desiit, ego etiam apud eum sum mutus. Porro quod ad me attinet, ego (gratia Domino Deo) visum rursum recepi, quem paulominus amiseram ex morbo oculorum. A scriptis postremo meis ad te literis neque legere neque scribere quidquam omnino potui. Ante dies octo visus rediit, sed velut per nebulam. Itaque

additis perspicillis coepi legere. Initio literae ipsae videbantur mihi in formicas errabundas verti, sed tum postea expeditius legebam. Deinde et scribebam quoque per perspicillum, sed paucula et inaequalibus literis. Iam vero [eo] est ventum beneficio Dei, ut et sine perspicillis legere ac scribere rursum coeperim. Sed ex intervallis et legere et scribere adhuc omnino cogor. Ἐπισκοπὴν depositam nondum resumsi neque resumam, nisi aliam rerum faciem videam. De pastoris munere heri dixi Principi, si me velit esse pastorem, ut mihi permittat templi nostri plenam et omnem gubernationem, — aut, si hanc nolit, aut non possit permittere, me etiam in eo templo, in quo mihi gubernatio non permitteretur, non esse usurum deinceps meo ministerio. Iam cras aut perendie mihi respondere debet, qualenam sim responsum habiturus, nescio: sed quale quale erit, ego nullis amplius pollicitationibus capiar. Si utroque pede sequi Dominum volent, libenter illis serviam pro virili mea. Sin minus, alium sibi ministrum quaerant oportet, qui illis pullos conservet. A me non est quod hoc expectent. Dominus auxit rursum familiam nostram pulcherrimo filio ante octavum decimum diem. Caetera bene habent etiam. Si frater meus mihi significaverit, se circiter Io. Baptistae velle venire ad Ducem Prussiae, tum eo proficiscar, si Dominus volet. Expecto autem responsum ad Pentecosten. Si non erit proficiscendum in Prussiam, tum vos forte sub nundinas Francofordienses visam. Plura nunc non habeo. Vale. Salutat te, et mea et Haltelia [3]). Tu etiam verbis meis omnes istic nostros salutabis. Emdae 16 Maii Anno 1546.

[1]) Tydo à Knyphausen, Comitissae consiliarius. [2]) Drusilla. [3]) De Haltelia cf. Ep. 29.

Nº. 38. [Gerd. s. s. Hb. 625.]

Ad Lenthium.

Mi Domine Hermanne! In mandatis Principis rem ipsam, ut se habuit, simpliciter exponendam esse puto, me videlicet noluisse amplius munere superintendentis defungi, propterea quod inter pastores, neque doctrinae consensum, neque ullam item disciplinam observari viderem, et Magistratus in hac parte diligentiam desiderare etiam cogerer. Hic vero Principem non voluisse id mihi permittere, ut ministerium ponerem, sed se ita curaturam esse spopondisse, ut et pastores in consensu doctrinae disciplinaeque observatione contineantur et Magistratus etiam suo hic officio non desit. Proinde Principem omnibus pastoribus mandare, ne quid contra doctrinae hic nostrae consensum deinceps audere praesumant, sed se intra consensum doctrinae contineant atque Ecclesiasticae sese disciplinae subiiciant, si loca et vocationes suas retinere velint. Magistratus vero ne se in curam doctrinae nisi me admonito ingerat, et ne hic parcant pastoribus, qui

vel concordiam doctrinae scinderent, vel disciplinam observare nollent. Haec mihi videretur debere esse summa mandatorum.

Nordae libenter mecum haberem aliquem Principis nomine, aut te, si tibi vacet, aut Barbatum meum, quem non dubitarem facile hoc facturum esse [Emdae f. Maii [1]) A. D. 1546].

Ioh. à Lasco.

[1]) In Ep. 37 testatur se cras aut perendie responsum Comitissae expectare. Idcirco hanc ep., quam continuo post acceptum Annae responsum ad Lenthium datam esse, totus huius ep. contextus docet, ad finem m. Maii huius anni retuli, praesertim quum, ad d. xv Iunii iterum ad Hardenb. epist. mittens, se impetrasse scribit quod rogasset.

N°. 39. [Gerd. s. s. IIb, 626.]

Ad Hardenbergium.

Testabitur tibi Doctor hic noster Westerburgius [1]), quam nunc sim occupatus. Hoc triduum totum scripsi ad tuum, imo ad meum potius communem Principem [2]), sed interruptis vicibus, unde nec ordinem in scribendo potui retinere. Hodie totus dies mihi impendendus erat in scribendas in Prussiam literas: ita vix licuit has ad te scribere. Argumentum epistolae meae ad Episcopum tibi narrabit Doctor Westerburgius. Optarim profecto unanimem doctrinae consensum per omnes ecclesias, neque omnino diffido eum induci posse, si docti, quemadmodum ad Episcopum scribo, convenirent. Libenter ad te transmisissem exemplum epistolae, sed non habebam qui exscriberet. Proinde Iacobum abs te expecto. Nunc recte gratia Dei valeo cum meis omnibus, et Dominus dedit mihi nuper pulcherrimum filium. Hunc nondum baptizavi, expectans ut venires, quemadmodum scribebas. Sed iam, dum non venis, baptizabitur eritque Paulus, atque utinam Pauli sequatur vestigia, sed Tharsensis illius, non eius qui nunc Romae in cathedra Sathanae residet! Hic, mi Alberte! Episcopi munus rursum suscepi, impellentibus me et fratribus et Principe ipsa. Statutum est, ut deponantur omnes pastores quicunque consensum doctrinae observare nolint. Idola etiam nostra tolli iam debent. Habes nostra. De rebus tuis egit mecum Dominus in Cuyphusen [3]), et addidit se tibi curare velle sociam. Percontanti mihi, quaenam ea esset, respondit, esse uxoris suae puellam familiarem, seque de illa tecum verba habuisse, neque te admodum reluctatum esse. Quod si eo sis animo, et intelligeres tibi integrum esse te huc transferre, si vocareris, tum se eius rei curam in se recepturum esse spopondit. Itaque tuum erit aut illi aut mihi animum in hac parte tuum significare. De vetere amico tuo [4]) ponas omnino, mi Alberte! omnem cogitationem. Non possem tibi autor esse prosequendi cum illo negotii, etiamsi posset succedere. Dictum puta [5]). Si Episcopus aliquid cogitabit de in-

stituendo istiusmodi Doctorum coetu, quemadmodum ad illum scribo, non gravaberis nos ea de re facere certiores et Episcopum etiam ipsum urgere. Praeterea causam huius nostri Doctoris Westerburgii commendes quaeso Episcopo et suis, quantum potes. Plura non possum. Vale. Emdae 15 Iunii Anno 1546.

[1]) Gerhardus Westerburgius, Coloniensis, Doct. Theol., scriptis suis contra Canonicos Colon. inclaruit, et tandem Colonia eiectus autore Christoph. Com. Oldenb. transiit ad Comitissam Annam. [2]) Arch. Coloniensi. [3]) Tydo à Knyphausen. [4]) Drusilla. [5]) Et tamen non tam multum post eam duxit in matrimonium.

N°. 40. [Bibl. Brem. Cl. VI. 140. Gerd. a. a. IIb. 628.]

Ad Hardenbergium.

Per Westerbergum scripseram ad vestrum Principem. Vereor ne mordaci nimium aceto aures perluerim. Sed nihil moror, mi Alberte! Si se ipsum suique ministerii functionem agnoscere vere volet Princeps vester, intelliget me vera sibi et dixisse semper et nunc etiam per Westerburgum scripsisse, etiamsi non in tempore scripserim. Non est meum scire, multo minus divinare, quid agat aut moliatur Caesar. Sed quod vestro Principi suadeo, hoc puto ad illius officium proprie pertinere, si quae et Principis et Episcopi Christiani sunt ad se pertinere putat. Et existimavi debiti mei esse, ut a quo sensi beneficium, quod equidem magnifice agnosco, ei rursum pro mea tenuitate, qua parte id mihi licere intelligerem, admonitiuncula aliqua subservirem. Ut ut sit, feci quod meum erat, reliqua Domino permitto. Sed Westerbergium miror et Albertum [1]), quod nihil ad nos scribant.

Hic mihi novum est cum Capernaitis certamen, colligunturque adversus nos consilia Bremae, Hamburgae, Brunsvigae et quam primo loco nominare debebam, Wittebergae. Quid hic futurum credis? Egone Hercules ille, non solum dversus duos iam ut vides, sed adversus tot tam celebria nomina? Sed est invicta veritas neque cedet humanae sapientiae, etiamsi fractus illabatur orbis. Bucerus nondum mihi respondit, vereor ne et is offensus sit libertate mea, quanquam hoc initio inter nos pacti sumus, ut alter apud alterum sua uteretur libertate, citra ullum offendiculum citraque iacturam amoris mutui et charitatis Christianae. Quod si scirem, non aequo animo laturum esse Bucerum nostram libertatem, caverem omnino deinceps, ne quid eiusmodi ad illum scriberem quo offendi posset. Ego enim tanti non facio dissidium hoc de elementis Sacramentorum, posteaquam de mysteriis convenit, ut propter elementa scindi velim societatem et charitatem Christianam. Mysterium porro omnium summum in coena esse puto communionem corporis et sanguinis Christi. In hoc vero nullum usque dissidium video. Omnes enim ingenue fatemur, nos in coena

vero Christi corpori et sanguini, vere etiam communicare, quicunque verbo illius credimus. Quod iam attinet, quo modo id fiat, anxie et curiose disquirere, atque hoc nomine turbas in Ecclesia non necessarias excitare, quam alioqui satis affligi et perturbari ab hostibus nostris videmus, excitent eas, qui volent, me illarum socium non habebunt. Mihi ea corporis et sanguinis Christi manducatio satis est, quam Dominus ipse ore suo nobis ad salutem nostram satis esse testatur, dum illi addit vitae aeternae promissionem, non facta interim mentione ullius alterius manducationis: et certus sum Christum hic mihi mentitum non esse. Quare hanc ipsam et non aliam manducationem coenae usu in animo meo renovo fidemque illius in animo meo ex Christi institutione obsigno, ne mihi excidat unquam, — atque hoc mihi satis est. Qui hic plura quaerunt, id illis per me licet, sed mihi pax est cum omnibus, qui hanc quam exposui manducationem agnoscunt, sive illi postea addant aliquid, sive non addant: modo me circa eam, quae Christo satis est, manducationem manere sinant. Ita ego pacem cum omnibus habeo, quantum in me est, quod quidem ad coenae dignitatem attinet, quandoquidem idem cum omnibus coenae mysterium agnosco, nempe communionem corporis et sanguinis Christi. Sed sunt quibus hoc non satisfaciat, hos ego permitto iudicare quod velint: interim illos pro fratribus habeo, si id patiantur. Certe do operam, ne a me quoquomodo laedantur. Sic sunt nostra, mi Albarte!

Per Iôannem fratrem mittam tibi doctrinae nostrae moderationem Ecclesiis nostris propositam in hac causa. Is brevi apud vos erit [1]). Ego raro recte valeo, indies suppullulantibus novis morbis. Indicium mihi fit brevi solvendum esse domicilium hoc nostrum nosque cum Christo, quod spero, brevi esse futuros. Dominus faciat, quod bonum est in oculis ipsius. Sustulit mihi Dominus infantulum nostrum, Paulum, is est iam prodromus noster futurus apud Christum nosque illum, cum volet Dominus, subsequemur.

Orsus hic sum rem magnam, mi Albarte! Redimere iam debeo bona quaedam [2]) Principis permissione, quater mille et quadringentis taleris, ut uxorculae et liberis meis pro mea tenuitate prospiciam. Ad id cum mea omnia non sint satis, coactus sum conflare aes alienum, non sine et labore magno et magna molestia. Iam tamen res fere confecta est. Adiunxi mihi socios redemptionis, qua parte mihi mea defuerunt, sed ea lege, ut mihi liberum sit semper eos ipsos redemptionis socios submovere, si aliunde det Dominus, ut illis pecuniam ipsorum possim aliquando reddere. Hic vero opus esset arte illa, quam nosti, ut quod conflatum est, efflari rursum posset. Sed metuo ne nos hic folles fallant. Praestat igitur totum hoc quicquid est Domino committere. Is si mihi et meis salutare est, commonstrabit viam dissolvendi quod contraximus. Sin minus, tum et hoc quod dedit adimat, modo ut nos sibi servet. Habes mea omnia. De tuis rebus vellem statueres, num eas tibi mitti velis, nam vestes a tineis arceri nullo modo possunt, etiamsi crebro excutiantur. Vale. Expectamus abs te plaustra litterarum. Iterum vale. Raptim Emdae postridie Michaelis (30 Sept.) Anno 1546.

[1]) De *moderatione* illa v. quae in introitu de Epitome doctr. Eccl. Phr. Or. disputavi. [2]) Praedium Abbingwerum, prope Loppersum situm. [3]) Per iocum ad Hardenberg ipsum scribit, se de Hardenb. nullas hucusque accepisse epistolas et in fine addit se plaustra epistolarum exspectare.

N°. 41. [Bibl. Prov. Cl. VI. 140. Gerd. IIb. 632.]

Ad Hardenbergium.

Postquam relatu quorundam accepi, te nunc Bremam ad Comitem Christophorum, mi Domine Alberte! venisse, multis de causis visum est meas ad te dare literas. Et primum quidem in causa fuit, cur [1]) ad te scriberem, veteris amici tui [2]) necessitas, qui mecum saepius egit per literas, ut ipsius nomine ad te scriberem et mentem tuam quid potissimum ipsi censeres faciendum, expiscarer. Cum enim feceras illi spem adventus tui, mirum in modum angitur, quid potissimum obstiterit, quominus promissis steteris et ipsius negocium tua opera hactenus promoveris.

Aliud erat in causa Ministerii mei, uti saepius ex literis meis intellexisti [ratio]. Cum enim videam (Deo ita gubernante) me propter adversam valetudinem huic muneri satisfaecere non posse, et tu per Principem nostram ad hoc vocatus sis, rogo, ut per eum ipsum nuntium, qui tibi has nomine meo reddet literas, animum tuum quid facere constitueris nobis indices. Res enim, ut fatear ingenue, moram non patitur. Nam non humanum, sed Dei ministerium est. Tu itaque, mi humanissime Alberte! quam primum sententiam tuam nobis perscribas et meam hac in parte molestiam tuis literis subleves.

Caeterum intellexi quoque te Brunsuigae apud clarissimum Melanchthonem nostrum fuisse [3]) et cum eo de rebus multis et gravibus contulisse, quod equidem libenter audio, estque mihi res haec ita grata ut verbis consequi non valeam. Vellem tamen, Alberte mi! ut cum non ita procul absis a Philippo, ad illum nomine meo iterum excurras, ac illi si commode fieri posset persuadeas, ut huc ad nos paululum concederet: fieri enim posse ut ipsi et familiae ipsius in hoc exilio et rerum omnium perturbatione consulatur. Ego, si quodammodo per valetudinem licuisset, ipse libenter ad eum concessissem, ut ipsius dulcissimo conspectu et colloquio me recreassem, quia vero ipsemet spem aliquam fecerat nobis per literas adventus huc sui, persuadeas, mi frater! homini, te multum oro, ut ad nos veniat, quod te pro tua in me humanitate et in Ecclesiam Christi singulari studio facturum haud dubito. Rem sane te dignam et omnibus piis pernecessariam oppido facturus. Quod reliquum est, Deus pater Domini nostri Iesu Christi conservet te diutissime propter Ecclesiae aedificationem incolumem. Valo. Emdae Frisiorum 7 die mensis Iunii Anno Domini 1547.

Iohannes à Lasco, manu languida.

[1]) Gerd. *cum*. [2]) Drusilla Syssinghe. [3]) Post cladem apud Lochavii campos ab Electore Saxoniae susceptam Mel. Witteberga Brunsvigam confugerat.

N°. 42. [Gerd. s. a. Nb. 631.]

Ad Lenthium.

Scripserat ad me Barbatus [1]) noster Principis nomine, mi Domine Hermanne! ut simul atque Gnaphens [2]) veniret, certiorem redderem suam celsitudinem de reditu illius. Is igitur iam rediit et est Emdae apud Petrum Traiectensem. Quod si quid Princeps cum illo volet agere per te aut quempiam alium, id iam licebit, nisi si illum Princeps ad se vocare malit. Significavi illi, me ad te de rebus suis scripsisse, utque abs te responsum exspectet. Respondebis itaque illi, mi D. Hermanne! Haec de Gnapheo. Iam ad nostra, deposuit uxor mea nonnihil siliginis in iis aedibus in quibus hactenus erat Doctor Westerburgius; is vero iam alio migrat, quare te oro, ut Princeps nostra eam siliginem illic esse patiatur per hanc hyemem duntaxat, donec illam vendamus. Reposita est in solario, sic ut nihil incommodet domui ipsi: alioqui non multum cunctabor illam primo quoque tempore vendere. Praeterea valde sum sollicitus de vidua illa Knec. Rogo ut tempestive ab illa syngrapha mea liberetur, nam ego revera non habeo, unde illi aliunde solvam, praeterquam ex ea summa, quam a principe exspecto. Vale.

Ex regno nostro Abbingweerensi [3]) 23 Septembris Anno 1547.

[1]) Eiusdem nominis professor, *Nicol. Asclepius Barbatus* in academia Martpurgensi commemoratur, qui a°. 1567 Lantgravio Philippo parentavit. Cf. von Rommel *Landgr. Phil.* II. p. 550. [2]) De Gnapheo Hagano, v. eius vitam in *Bibl. Brem. Cl.* VIII. p. 112. Bertram, *Hist. Lasci.* 220. [3]) Lasci praedium cf. ep. 40. n. 2.

N°. 43. [Gerd. s. a. Nb. 635.]

Ad Hardenbergium.

Hodie ad te scripsi per nautam quempiam, et tua nonnulla tibi misi, mi Alberte! quae brevi recipies spero. Nunc ecce rursum scribo. Hunc nuntium mittimus Witebergam ad Philippum aut ubi ubi is sit, scribimusque ad illum de vocatione in Angliam, de qua hodie ad te scripsi. Si quid voles ad Philippum scribere, poteris, nam nuncius recta ad nos rursum redibit. Calvinus scripsit, ut audio, contra Anabaptistas. Hunc si habes, videre cupio, hic enim haberi non potest. Nauta per festinationem hodie manticam tuam non accepit, sed hanc propediem mittemus. Vale. Saluta tuam [1]) et meis et meae verbis diligentissime. Te quoque salutat mea. Iterum Vale. Emdae xi Octobr. 1547. Saluta fratres omnes.

[1]) Hard. tunc temporis Bremae iam erat et hac aestate in matrimonium sibi Drus. Syssingham iunxerat. Cf. Schweckendieck, p. 25.

N°. 44. [Bibl. Brem. Cl. VI, 147, Gerd. s. a. II^b. 030.]

Ad Hardenbergium,

Literae tuae, mi Albarte! tum mihi sunt redditae plane, cum Dominum Christophorum nostrum Comitem, qui nobis aliquandin hic iam adfuit, aditurus essem, ita ut nondum eas perlegerim, cum ad ipsum venirem. Cum igitur eas legerem, quaerebat unde venissent. Respondi abs te allatas esse. Ille mox cupiens scire quid scripsisses, mecum nonnihil a turba hominum secessit: exposui ei rem omnem, sed non indicavi, te abitum meditari, si tua sententia Magistratui istic non probetur, neque item ea, quae ad me περὶ μικροῦ ἐκκλησίας scripsisti. Volebat habere literas tuas: respondi, contineri in illis privata quaedam. Tandem petiit exemplum: tradidi, sed his non additis quorum iam memini. Dixit se brevi istic tua causa aut venturum esse ipsummet, aut e suis aliquem missurum, quare scribere ad te hac de re volui, ut scias, quid illi ex literis tuis legerim, aut descriptum tradiderim etiam, quid vero subticuerim, ut si ipsemet forte ad te veniat aut mittat, nihil te ad me de his, quae subticui, scripsisse dicas.

Quod vero ad rem ipsam attinet, meministi opinor, mi Albarte! tibi hoc a me praedictum esse, te istic videlicet sine tragoedia diu mansurum non esse. Ac mirari satis non possum istorum ingenium, qui cum a nobis controversiae suae nomine non iudicentur, imo cum fratrum loco nihilominus habeantur, uos tamen sine stomacho ferre non possint. Si aut Christi domini dignitas, aut salutis nostrae certitudo hac controversia in periculum aut saltem in dubium ullum vocaretur, merito magni facienda esset, et vitandi hi, qui Christi Domini dignitatem salutisve nostrae fidem quoquomodo elevarent. Sed cum horum nihil hic fiat, imo cum et Christi Domini dignitas et nostrae item salutis fides ex aequo a nobis perinde atque ab illis, ne quid hic aliud dicam, illustretur animisque omnium imprimatur, miror unde haec religio, ut propter controversiam, quae neque ad tuendam Christi Domini dignitatem neque ad fidei firmamentum, denique neque ad pietatem alendam magnopere faciat, alii alios iudicemus, scindamus Ecclesias et universam religionis causam apud illius adversarios infamemus. Audio nobis obiici, detrahi uostra doctrina Christi Domini potentiae ac veritati et proinde dignitati quoque, si verba coenae nude simpliciter ac substantive non exponamus. Respondeo, verba coenae, praeter mentem Christi exposita, non esse verbum Dei et proinde ne pro coenae dominicae quidem verbis reputari posse, quemadmodum in Christi Domini tentatione verba a Satana e media scriptura desumpta, non sane Dei, sed Satanae potius verbum erant, eo quod praeter mentem Dei exponerentur, — et quae eius generis in scripturis habentur.

Neque item quaestio est in verbis coenae de Christi Domini omnipotentia, de qua et nos nihil dubitamus, sed est quaestio de mente voluntate et ordinatione Christi. Hanc igitur nobis ante omnia indicari cupimus in ea quam ipsi adferunt verborum coenae interpretatione. Aut, si nos

illam in nostra interpretatione manifeste indicaverimus, idque non ex humani ingenii rationibus ullis sed ex Spiritus Sancti autoritate, hoc est, e perspicuorum scripturae locorum in eodem ipso argumento Sacramentario iusta legitimaque collatione, aequum sane erit, ut isti quicunque tandem sint cedant, siquidem Christiani esse volunt, non equidem nobis, sed ipsimet Spiritui Sancto omnis veritatis doctori, qui sane syllabis atque elementis sive spicibus literarum non alligatur, quemadmodum Augustinus alicubi docet, sed in unanimi totius scripturae recte secatae mente ac sensu conquiescit. Atque utinam id aliquando fiat, ut publice ea de re in charitate et libertate Christiana omissis praeiudiciis omnibus tractetur.

Quid vero si nos e regione ostendamus, nuda illa simplici ac substantiva, quam isti iactant et proferre interim hactenus non potuerunt, verborum coenae interpretatione in dubium vocari et ipsiusmet Christi Domini dignitatem et nostram de salute fidem et omnem adeo scripturae autoritatem? Etiamne in istiusmodi interpretatione mentem voluntatem atque ordinationem Christi agnoscemus? Etiamne illam a Spiritu Sancto proditam esse dicemus? At vero id non tam difficile fuerit indicare fortasse, quam nunc plerisque incredibile videri potest. Quare vellem hic istos paulo modestiores esse. Et cum nos illorum infirmitatem in fraterno Christianaque caritate libenter ferimus, cuperemus etiam, ut nostram illi infirmitatem vicissim ad eundem modum ferrent atque a suis in nos conviciis abstinerent, donec res publica Ecclesiarum disquisitione discuteretur. Id si non impetramus, iudicem habemus doctrinam Christi cui nitimur, quam et appellamus. Haec nos iudicabit olim, cum ante illius tribunal sistemur. Interim feremus humana praeiudicia, feremus et convicia atque adeo in illis gloriabimur etiam, ne dum ut illis commoveamur, parati tamen semper reddere omni poscenti doctrinae ac fidei in hac parte nostrae iustam legitimamque ex verbo Dei rationem in omni mansuetudine et caritate.

In tua sententia, Magistratui tradita, placent quae iuxta Nicenae Synodi, ut scribis, mentem professus es: nos videlicet ore carnali in coena sumere panem et vinum, idque mysticum, hoc est, habens adiunctum coeleste mysterium, quod fide percipitur, nempe veram veri corporis et sanguinis Christi communionem. Estque haec veterum Patrum omnium et catholicae Christi Ecclesiae doctrina, quam et nos sequimur. Placet etiam, quod addis, ad eundem modum panis ac poculi Domini in coena usum esse corpus Christi, ad quem modum ipsemet Christus Dominus apud Ioh. cap. 6, carnem suam cibum et panem esse testatur. Tametsi quod subdis de exhibitione in coena eius, quod apud Ioannem promittitur, haud scio, an quatuor pedibus currere, quod dicitur, hoc est, an prorsus consistere possit. Promittit Christus apud Ioannem daturum se esse pro mundi vita panem, qui sit caro sua. Hoc si in coena praestitit, hoc est, si panem illum carnis suae pro mundi vita nobis in coena exhibuit, quid iam opus erat cruce ac morte sua? nimirum actum egisset, quod aiunt. Quare nos id, quod apud Ioannem promittitur, non equidem in coena

exhiberi proprie, sed in cruce semel vere exhibitum esse dicere malumus, — coenam vero fuisse, tunc cum institueretur, instantis iam illius ipsius exhibitionis, nunc vero demum completae sigillum et contestationem, quemadmodum ipsemet Christus ait: quod pro vobis traditur, — ac rursum: hoc facite in mei recordationem. Caeterum, mi Albarte! assentiri non possum illi comparationi tuae de columba, de inflatione Christi in Apostolos et Spiritu Sancto. Est quidem ingeniosa adeoque et speciosa, fateor, nec ignoro illam vehementer urgeri, scis a quibus. Sed non video, ut quae de spiritu dicuntur, ad ipsam etiam substantiam corporis Christi referri omni ex parte possint. Spiritus iuxta ipsam etiam divinitatis suae existentiam replet omnia, ut scis. De corporis Domini etiam glorificati substantia nihil huius habemus, imo vero diserte habemus „non est hic". Ut igitur demus, Spiritum Sanctum iuxta substantiam suam in columba, in halitu Christi Domini adfuisse, non ideo efficitur interim, ut corporis Christi substantiam iam in coena ad eundem modum adesse seu inesse credamus. Omitto hic discrimen illud, quod Dominus ipse constituit inter Spiritum et iam glorificatum corpus suum.

Hoc unum addam. Si verum est, quemadmodum sane verissimum est, ad eundem modum nos communicare corpori et sanguini Christi in coena, quemadmodum catholica Ecclesia illi communicavit in aliis Sacramentis tam veteribus quam novis, — certe cum in vetere Ecclesia eadem existerit corporis et sanguinis Christi communio in usu circumcisionis et Agni Paschalis, quemadmodum id expresse Paulus docet, ac dubium non sit, substantiam corporis Christi illis Sacramentis nondum tunc ita adfuisse, quemadmodum Spiritus Sanctus columbae et halitui Christi adfuit (non enim tunc adhuc ulla corporis Christi substantia exstabat), — ne nunc quidem facere aliquid potest similitudo illa de columba, halitu Christi et Spiritus Sancti praesentia ad probandam nobis in coena sub pane aut cum pane praesentiam substantiae corporis Christi.

Haec ad tua, et dabis veniam nostrae libertati, mi Albarte! a nostro in te amore profectae. Reliqua quae ad me scribis curabo fideliter, mi Albarte! Sed vellem, semel statueres certe, ubinam [sedem fixurus sis]. Nam ita suspenso animo semper esse, non video quid fructus adferat. Si eo plane es animo ut sis nobiscum, locus paratus est, modo ut dicas „Ja". Et vellem ut faceres, si me audias. Ego non resumpsi ministerium, mi Albarte! sed extra munus hoc ministerii operam meam Principi detuli, tantisper dum hic maneo rogavique ut alium loco meo in tempore quaerant. Nova nulla. Vale.

Et tuam ex nobis hic omnibus diligenter saluta. Salutat te mea, iterum vale. Haberem sane quae tibi in tua ista causa usui essent fortassis. Sed haec in chartis ita dispersa sunt, ut non facile colligi possint, multo minus autem describi. Quin ne id quidem quod nunc scribo describi potuit, imo neque relegi. Iaque ignosces. Tertio vale. Et fac inducas animum ut sis nobiscum. Meministi illorum militum qui se finem in Alexandrum invehendi facturos non dicebant, si non illos vinum defecisset. Ita neque ego

ad te scribendi finem facturus eram, si non me charta haec defecisset, Quarto vale. Emdae 29 Ianuarii Anno 1548.

Ita mihi Dominus restituit valetudinem, ut iam his hac hyeme iter hinc in pagum nostrum pedes confecerim et pedes etiam redierim. Sit Deo gratia. Io. à Lasco, quantus est tuus.

N°. 45. [Gerd. s. a. IIb. 641. vers. Angl. Gorham, o. l. p. 41.]

Ad Hardenbergium.

Gratissimae mihi fuerunt literae tuae, mi Alberte! quas per Gualterum hunc civem vestrum accepi, et habeo tibi magnam profecto gratiam, quod tam frequenter ad me scribas. De tuorum dissidio scripsi et ego ad Philippum et suasi ut illos modestiae et humanitatis commonefaceret, speroque facturum esse. Certe non dubito, quin mihi sit aliquid rescripturus, nam nuntium ab illo eum per quem proxime ad te scripsi expectamus.

Si qui in Anglia de Philippo male sentiunt, hi fortassis sunt, qui Philippum non satis norunt, neque in pretio illic habentur, nam qui rerum ibi potiuntur, optime Philippo omnes volunt. Cuperem tamen videre scriptum illud Anglicum. Reliqui qui sunt vel fuerunt Witebergae, non prorsus bene audiunt, imprimis vero Pomeramus, propter editum libellum de deditione Witebergensi.

De data per te Magistratui tuo confessione proxime ad te scripsi, et puto te tenere nostram sententiam illiusque rationes quae mihi satisfaciunt certumque me de salute mea in Christo mihi delata reddunt. Cum Gualtero hoc tuo egi multis et familiariter. Forte tibi ipsemet narrabit.

De Comitiis imperii, ut sensi semper, ita et nunc sentio, quod quidem ad causam religionis, dum illam humana providentia gubernare et promovere conamur, quemadmodum ab eo mox tempore deterius habere coepit, posteaquam per consilia humanis praesidiis visa est confirmari posse.

Accepi nuper literas a fratre meo qui apud Caes. est legatus Regis mei [1]). Is scribit Cardinalem Tridentinum, qui ad Papam a Caesare ablegatus fuerat, rediisse rursum et nihil potuisse apud Papam impetrare eorum, quam certam et publicam hostilitatem. Hinc vero sperant multi fore, ut Caesar adversus Papam commoveatur, sed ego nihil adhuc boni sperare possum. Certum est tamen, Papam hactenus iam obsidere Placentiam, quae se post occisum Papae filium [2]) Caesaris fidei [3]) credidit et dedidit. Certum est item, Gallum aliquot arces Caesari ademisse recens in Italiae et Allobrogum finibus. Nam haec ita ad me frater.

Quo loco sint res Bremensium, Gualtero retuli, ex hoc audies. Cum Barbato agam ubi redierit, nunc est Oldenburgi una cum nostra principe, quam indies iam exspectamus. Retulit mihi Gualterus, te nobis voluisse mittere cerevisiam et nescio quae alia si non bruma impedivisset. Habeo gratiam, mi Alberte! et perinde gratum est ac si misisses. Utinam tibi

vicissim gratificari possimus. Curavi describi quae de nostris ceremoniis in Angliam misi. Haec simul atque descripta fuerunt, ad te transmittam. Angli iam missam coelibatum et idola e regno suo pepulerunt. Filius electoris habiturus est Ferdinandi Regis filiam, quibus legibus incertum; spes est tamen bene adhuc habituras res Electoris captivi. Et hoc frater. Vale. salutat vos mea. Tu quoque tuam ex me saluta. Iterum vale. Nox non patitur plura scribere.

Emdae 19 Februarii Anno 1548.

---

[1]) Est is frater eius Ladislaus. [2]) Petrus Aloysius Farnesius. [3]) Placentia se dederat Ferdinando à Gonzaga, qui Caesaris copias ducebat.

N°. 46. [Autogr. in Bibl. Lugd. Bat. Il. 8. Papenbr. N°. 2. [1]) Gerd. s. a. II[b], 643. Heiseius. Ep. ill. vir. p. 50.]

Ad Cassandrum.

Mi Cassander! Non vacat nunc multis scribere, sed per hunc amicum meum [2]) facere interim non potui, quin aliquot saltem verba ad te scriberem. Commendo illum tibi ut fratri simulque et comitem alterum ipsius, Martinum. Si qua in re tibi gratificari queam, fat ut sciam, et tibi de me persuadeas idem quod de fratre quocunque tuo. Vale. Plura noster hic Florianus, iterum vale. Aemdae 26 Aprilis a° 1548. D. Cornelium [3]) meum [4]) verbis meis salutes quaeso et me illi commendes [5]).

Io. à Lasco, m. pr.

---

[1]) Cum affixo sigillo [2]) Gerd. *nostrum*. Erat amicus ille *Florianus* quidam, de quo infra v. in ep. ad Calvinum, 51 et 75. [3]) Cornelius et Martinus ignoti prorsus. [4]) Gerd. *nostrum*. [5]) De ipso Cassandro cf. Assink Calkoen, *G. Cass. vitae atque operum narr.* Amst. 1859. Degebat tunc Coloniae. ib. p. 39 et Ep. 48.

N°. 47. [Gerd. s. a. II[b]. p. 644. V. angl. Gerham. p. 52.]

Ad Hardenbergium.

Heri rursum ex Anglia literas accepi, in quibus et de D. Carolo nostro [1]) scribitur. Itaque ad illum scribo et rem illi indico, teque rogo ut literas ad illum perferendas quoquomodo cures. Literae scriptae sunt postridie Ioannis Baptistae. [25 Iunii.] Adhuc omnia bene cedebant Anglis in Scotia, nisi quod tres eorum arces in Scotia per classem Gallicam obsidentur, quibus in auxilium missa sunt triginta millia Anglorum. Inter Gallos tamen et Anglos est pax certa, praeterquam ad littora Scotica.

Contentio Sacramentaria coepit illic exagitari per quosdam estque instituta ea de re publica disputatio, ad quam magnis multorum precibus vo-

cor [2]). Bucerus exspectatur, Franciscus noster Dryander iam adest et de Calvino mussatur, nisi quod Gallus est. Argentinae nulli motus erant, sed illud „Interim" non receperunt, nec recipere volunt. Imo ne Augusta quidem, neque Norimberga. Alia nulla. Vale Emdae 19 Iulii Anno 1548.

Nosti manum.

---

[1]) Fortasse Carolus Regius, martyr († 1557). Cf. Gerd. *Hist. ref.* I. p. 202, 253.
[2]) Ep. qua Craumerus Lascum invitat, 4 Iulii '48 data est. Legitur Ep. Park. Soc. II. p. 421.

N°. 48. [Bibl. Brem. VI. 153. Gerd. s. a. IIb. 643.]

AD HARDENBERGIUM.

Accepi nuper literas e Colonia a Martino meo et has adnexas ad te a Medmanno [1]), quas et aperui, posteaquam mihi eius rei potestatem, si quid eiusmodi ad me veniret, fecisti. Eadem vero Martinus meus ad me, quae et ad te Medmannus, quare nihil habeo quod addam.

Consilium Witebergensium Theologorum de libello interim accepimus, cui praefixa est Philippi effigies. Nolo pronunciare quidquam: sed si ea omnia eiusmodi sunt, ut recipi rursum possint, quae illic non reprehenduntur, ubi erunt illi, qui ea, quae nunc [2]) diserte non impugnant, capitis etiam periculo impugnanda esse docuerunt et multorum mactationi occasionem dederunt? Dominus respiciat suam Ecclesiam. Consilium ne meminit quidem transsubstantiationis, nedum ut illam impugnet, quam tamen Interim constituit et defendit, mitto alia. Quantam vero clamatum est hactenus contra transsubstantiationem? Imo quantum sanguinis fusum pro illius detestatione? Veni Domini Iesu etc. Scripsi ad te nuper [3]) et literas ad D. Carolum nostrum adiunxi, an acceperis nescio.

Philippus dicitur cogitare Magdeburgam et illic velle sedem figere. Hoc narrat bibliopola noster Hermannus [4]), qui Witeberga nuper rediit. Te rogo ut ad illum per occasionem scribas, num literas Cantuarienses [5]) a me ad se per Aepinum [6]) transmissas acceperit, et ut respondeat. Mittit tibi mea vasculum butyri laboris sui et aliquot caseos. Boni consules omnia, vale [Emdae] 28 Iulii Anno 1548.

---

[1]) Petrus Medmannus tunc Electoris Col. Consiliar. Cf. Berg, *Reform. d. Land. Jülich u. Cleve.* 1826. p. 66. [2]) Gerd.: *non.* [3]) Indigitat Ep. 47. [4]) Hermannus à Nurda, bibliop. Emd. [5]) Litteras sc. quibus eum Craumerus una cum reliquis Theologis ut traiiceret mare, invitat. Cf. Ep. 49. [6]) Aepinus Hamburgi in sacro min. erat.

N°. 49. [Autogr. Cod. Bav. 4. 1034. Apogr. Cod. Goth. Chart. B. 15. Corpus Reform. Epp. Mel. VII. p. 99.]

Ad Melanchthonem.

Hodie rursum accepi literas a Cantuariensi [1]), vir doctissime! quibus denuo a me petit, ut tecum agam adhuc de instituenda illuc profectione tua, ac miseram ego quidem illius eadem de re ad te literas in manus D. Aepini [2]), ut is porro eas ad te transmitteret. Mense autem Aprili aut Maio addideram et meas, quibus si forte sumptus non suppeteret, hunc me tibi curaturum esse scribebam, sed nescio an ad te pervenerint. Rogabam postea D. Albertum nostrum [3]), ut is, si quando ita incideret ut ad te scriberet, responsum abs te nobis impetraret. Interim tamen neque per Aepinum, neque per Albertum abs te quicquam accepimus, quod quidem propter turbas vestras factum esse facile nobis persuademus. Nunc porro, cum hoc denuo a uobis bonus hic Episcopus postulet, ut rursum te illius verbis suscipiendi itineris illuc admoneam, facere non potui, quin illi hac in parte obsequerer, ac ad te rursum scriberem et, ut de animo ipsius ipse certior fias, verba illius, quae ad me scripsit, addam. „Cupimus," inquit [4]), „nostris Ecclesiis veram de Deo doctrinam proponere, „nec volumus Cotburnos facere, aut ambiguitatibus ludere, sed semota „omni prudentia carnis veram perspicuam sacrarum literarum normae „convenientem doctrinae formam ad posteros transmittere, ut et apud „omnes gentes extet illustre testimonium doctrinae nostrae, gravi doctorum „et piorum auctoritate traditum, et universa posteritas normam habeat „quam sequatur. Ad perficiendam rem tantam eruditorum hominum prae„sentia nobis opus esse iudicavimus, qui collatis nobiscum iudiciis doctri„nae controversias tollant et integrum corpus verae doctrinae exstruant. „Accersivimus igitur plerosque pios et doctos viros [5]), quorum alios ha„bemus iam, alios vero brevi expectamus. Sed de Philippo Melanthone „nihil adhuc certi habemus, quare te summopere rogamus, ut illum, si id „ullo modo facere possis, ad iter ad nos suscipiendum inducas. Tertiam „nunc epistolam ad illum misi [6]), qua illum hortor, ut ad nos veniat, „quibus epistolis si tuae adhortationes accesserint, non diffido, eum per„suaderi posse, ut toties oblatam [7]) vocationem sequatur. Nullas, ut arbi„tror, insidias hostium nullaque itinerum pericula pertimescet, quae si qua „sunt, minora tamen sunt iis, in quibus nunc est. Adde quod exigui „temporis molestiis multorum annorum quietem sibi, reipublicae vero uti„litatem adferet aeternam. Quod si ei hoc ad nos iter [8]) aut inutile aut „iniucundum fore perspicerem, nemo me certe illi hic vehementius dis„suaderet, sed [9]) cum videam, nihil ab eo aut ipsi aut reipublicae posse „fieri utilius, quam ut hoc tempore ad nos veniat, insto vehementius, „teque oro [10]), ut omnem curam cogitationemque tuam in hoc [11]) convertas, „ut Philippum nostrum plane nostrum facias. Qualis ipsius [12]) hic futura „sit conditio iam ostendi: ita tamen ostendi, ut experientia ipsa potius „quam mea praedicatione Angliam nostram ei placere cupiam."

Hactenus ille. Iam cum videas, mi Philippe! ad quid voceris et quo, item omnium hominum et tui et verae religionis amantissimorum et quanto studio voceris simul atque expecteris, profecto nescio, qua conscientia vocationem hanc negligere possis, praesertim, si nullam istic te certam vocationem iam habere videas, quam huic merito opponere queas. Si in simili vocatione [difficilem] te esse noluisti [13]) sanctissimo seni illi nostro Episcopo Coloniensi, sane ne nunc quidem tibi id licebit in causa multo graviore. Scio, quam inviti sint te istinc dimissuri tui quamque et tu invitus illos relinquas, hoc potissimnm tempore, sed metuo, ne te non omnes istic pro eo ac vellemus audiant. Et ut audiant nondum scio, an tanto cum fructn istic nunc esse possis, quantus ex tua praesentia in Anglia haberi iam posset, qui tamen nobis negligendns temere non est usquam, siquidem nobis Christi Domini gloriam vere et ex animo quaerendam esse pntamus. Quare semel tandem statue aliquid et nos de tuo animo fac certiores. De snmptu prospiciemus aut Bremae ant Hamburgae aut ubi velis. Modo fac sciam quantum et quo loco curari velis. Vale et fac respondeas quaeso. Emdae, 4 Augusti anno 1548 [14]).

T. ex animo I. à Lasco.

---

[1]) Cranmero. [2]) Cf. Ep. 48. [3]) Cf. ib. [4]) Ipsissima Cranmeri verba citat ex ep. ad se dat. 4 Iulii '46. Legitnr ea apud Gabbema, p. 108 et Ienkyns, *Cranmer*, vers. angl. in Park. Society. I. p. 16. [5]) Hic illic Cranmeri verba paullum mutavit. Scripserat ille: *et te et alios quoniam* et in seqq.: qui cum non gravatim ad nos venerint, ita ut nullum fere ex iis praeter te et Mel. desideremus, summopere te rogamus, ut et ipse ad nos venias et M. si ullo modo fieri poterit tecum adducas. [6]) Cf. *Strype, Cranmer.* p. 574. [7]) Orig. *iteratum.* [8]) Ib. *commigrationem.* [9]) Ib. *nunc vero.* [10]) Ib. *hortor.* [11]) Ib. *hoc unice.* [12]) Ib. *et tuo et ipsius.* [13]) Bretschn. edidit *voluisti* inque hiatu *morigerum* supplevit. Quam male, docet contextus. [14]) Ultima Mel. quae praecedit ad Cranm. Ep. dat. est Wittebergae 1 Maii. Cf. Mel. Ep. l. I. 65.

N°. 50. [Autogr. in Scr. Sem. Argent. V. 147. Apogr. in Arch. Tigurinis.]

Ad Dryandrum [1]).

Magno et ego tui videndi desiderio teneor, Francisce mi, dilectissime frater! et proinde te, cnm nuper Londini essem, diligenter quaesivi, speraveramque fore ut te vel apnd D. Episcopum nostrum [2]), vel hic certe viderem. Nunc posteaquam res aliter cessit, id quoque, ut alia, nobis ferendum est, donec semel aliquando nna consociemur, ubi una per Dei gratiam in aeternum erimus. Hic exilii locus est, mi Francisce! nbi nbi sumus, proinde de diuturna uno loco mora solliciti esse non debemus. Hic quae mihi de Ecclesiarum restitutione polliceri possim, nondum video, sed magnum est, posse habere receptaculum hoc tempore, ubi nobis ipsi et nostris, quos eiusdem Spiritus vinculum in Domino nobis coniunxit, in

fidei nostrae confessione vivere possimus. Dominum Episcopum hic ad septimum aut octavum diem expectamus, qui me hic esse vult donec veniat. Quare si tu quoque tum nobis adesse velis, non dubito te illi gratum fore. Mihi certe eris gratissimus quandocunque veneris. Nunc si tu tua mecum communicare cupis, ego sane illa ex te audire cupio etiam, et mea praeterea quaedam etiam addere. Uxorem tuam semel vidi sed vidisse non poenitet. Gratulor tibi illam et opto ut vos una Dominus servet, qui vos una coniunxit. Salutabis illam diligentissime verbis meis. Mea, cum ab illa discederem, te officiose salutari iussit. Incubat iam quatuor pullis, quintum sustulit Dominus. [Ex Anglia] Vale. 21 Septembris 1548.

Tuus quantus est IOANNES à LASCO m. pr.

[In dorso: *Doctissimo Viro D. Francisco Dryandro, Cantabrigiae agenti, fratri et amico observandissimo.*]

[1]) De Franc. Enzinas plura in vita Lasci. [2]) Quinam Ep. ille fuerit, satis obscurum. Coniicio ipsum Cranmerum, qui tunc ad res dioeceseos suae ordinandas saepius aberat. Cf. STRYPE, *Cranmer*. I. 262 sqq.

N°. 51. [Autogr. Bibl. Duc. Goth. A. 405. f. 72.]

Ad CALVINUM.

Nihil magis cuperem, quam hunc nobilem [1]) istic aliquandiu esse, siquidem nusquam tutius (iam enim ut accepi a suis diligenter perquiritur) nec cum maiore utilitate. Et quamvis antea dederam ei ad te litteras, tamen quia verebatur ne antiquitate suam amitteret autoritatem, libenter et has ei misi. Vehementer enim eum amo, nec eo nomine tantum, quod gentilis meus sit et principiis clarus, sed quod non dubito eum profuturum esse olim [2]) Ecclesiae Christi, verum solida confirmatione eget. Posteaquam igitur omnia meo consilio facit, velim, mi D. Calvine observandissime! tibi persuadeas, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si eum omnibus tuis consiliis et auxiliis, sicubi id res illius postulaverint, iuveris. Ego istis diebus gravissimo morbo decubui, necdum vires recuperavi. Vale. Saluta tuos omnes meo nomine, commendo me vestrae orationi. Vindsorae [3]) 14 Decembris 1548.

Tuus quantus est

I. à LASCO m. ex morbo tremula.

[1]) Floriani nomine Cf. Ep. 75. [2]) M. S. *initum*, teste apographo, quod Gotha mihi missum. [3]) M. S. *Vomsoriae*. Ut tamen patet ex Ep. Cranm. ad Mel. data 10 Febr. 1549 à Lasco hyemem illam totam in Anglia egit, quare *Vindsoriae* rescripsi. Legitur Cranm. Ep. in *Park. Society*. I. 21. Cf. UBBO EMM. p. 976—85.

N°. 52. [Gerd. a. s. IIb, 647.]

Ad Lenthium.

Redii [1]), gratia Domino, mi Hermanne! et quanto desiderio Princeps nostra mecum colloqui cupit, tanto ego vicissim studio venire ad illius Celsitudinem cupio. Et iam venissem, nisi me Domini Comitis à Mansfeld praesentia remorata fuisset. Agoque gratias Domino Deo meo, qui me huc reduxit, hoc tempore praeter omnem meam exspectationem. Nam iter nostrum eiusmodi fuit, ut non sane hominem ullum sed Deum ipsum nauclerum habuerimus. Nam ad sesquitertium diem ex Anglia in Amasim ingressi sumus. Plura coram. Cras vero iuxta mandatum Principis Auricam Deo benevolente proficiscar. Noster nuncius illuc cum Comite Mansfeldensi iam abiit et hodie eo pervenire non possum.

Habeo praeterea ipse [quae ante abitum meum curare me oportet] [2]). Raptim. Vale. Aemdae die 19 Martii 1549.

[1]) Sc. Anglia. [2]) Ex coniectura haec restitui. Gerdes se m. s. legere non potuisse testatur et m. s. periit.

N°. 53. [Autogr. Lond. M. S. Lond. II. 30. Strype. Mem. of Abp Cranm. II. 385.]

Ad Cecilium.

S. Cum mihi ad alios scribendum istuc esset, facere non potui quin ad te quoque scriberem, vir clarissime! memor videlicet illius quod te mihi istic delegerim, cui mea omnia nota prae aliis esse velim. Volui itaque tibi de meo huc reditu significare: nempe me felicissimo itinere, gratia Domino, usum, et me ex Anglia in Frisiam Orientalem intra triduum traiecisse. Navis praefectum a domino protectore nobis additum habebamus, virum optimum et fidelissimum, qui dominum comitem [1]) Bremam usque est sequutus, ut certi aliquid, opinor, ab illo vobis adferat. Ego quae scio ad dominum Cantnariensem omnia perscripsi, ut illustrissimo domino protectori exponat, quae tibi quoque incognita non fore puto [2]), Scripturus alioqui eadem ad te omnia, si non id parum necessarium adeoque et supervacaneum esse iudicarem. Nos hic crucem certissimam expectamus et ad eam perferendam mutuo nos in Domino cohortamur, cum invocatione nominis sancti sui, ut per patientiam et fidem ferendo superemus omnia, quaecunque in nos permittere ille volet, ad nominis sui gloriam et nostri probationem: certi illum curam nostri habere et ita potentem esse, ut omnes omnium hostium phalanges, quicunque sint tandem illi, unico oris sui verbo sternat momento uno, et rursum ita bonum, ut ne pilum quidem temere e nostro capite detrahi patiatur, etiamsi nos totus mundus impetere conetur. Tamque nobis male velle non possit unquam,

quam mater infanti suo, quam denique oculi quisque sui pupillae male velle non potest, imo vero quam non potest non esse perpetuo Deus, laudandus in omnibus quaecunque in nos permittit, cum nihil in nos alioqui nisi nostro ipsorum bono iuque nostram adeo salutem permittat. Huic igitur nos totos committimus et cum omni tolerantia expectamus quicquid in nos permittere ille velit. Si nos hinc pelli contingat, scis quinam sit animus meus. Quodsi quid tu interea de mea istic vocatione intellexisti, quemadmodum ad te ex Iermouth scripseram, aut si quid te adhuc intelligere posse putas, quaeso te, vir integerrime! ut mihi per amicum hunc et fratrem meum, Robertum Legatum [1]), gentilem vestrum, civem nostrum, significare velis. Germania fere tota, praeter Saxonicas (quas vocant) et maritimas civitates ac principes aliquot interimizat. Helvetii legatos Caesaris, qui ad repetendum ducatum Subaudiae venerant, finibus suis non auditos, ut dicitur, excedere iusserunt. De me plura hic Robertus noster. Vale. Uxorem tuam, dominum Czechum nostrum [4]), dominum Morosinum [5]) diligenter salvere iubeo: meque vobis omnibus totum ex animo commendo. Raptim. Aemdae, nona Aprilis, anno 1549.

Tui studiosissimus,
Jo. a Lasco, m. pr.

Cuperem scire num fructus aliquid attulerit mea illa nondum absoluta ad herum tuum admonitio, quam tibi a domino Florentio nomine meo traditum esse non diffido, et num putes illam mihi porro absolvendam esse. Doctori Turnero [6]) multam ex me salutem dicito, quaeso.

[In dorso: *Clarissimo viro Domino Sicilio, a consiliis et libellis supplicibus illustrissimi Domini Protectoris, Domini et fratri meo observandissimo.*]

---

[1]) Videtur Comes Mansfeldii indigitari, de quo in seqq. ep. sparsim. [2]) Respicit foedus, quod cum Edwardo VI civitates Germ. inferioris inire contra Caesarem conabantur. [3]) Cf. Strype, *Mem. of Abp. Cranm.* ed 1812, p. 337. [4]) Sir John Cheque, n. 1514, † 1557. Cf. Freherus, II. p. 1456. Parker, *Soc. Or. Lett.* 81, 117, 465 al. Strype, o. l. ed. 1812; p. 231 sq. Gorham, o. l. 229 al. [5]) Sir Rich. Morison Cf. Parker, o. l. p. 147, 391. Strype, o. l. 1009, 1015 al. [6]) De Turnero, Cecilii amico. Cf. Strype, o. l. 336, 394 al.

N°. 54. [Gerd. s. a. N°. 646.]

Ad Hardenbergium.

Hodie huc pervenimus salvi omnes, qui in comitatu eramus, gratia Domino, et intellexi, navem unam aliud nihil, quam ventum expectare, scis quo [1]), itaque aut ipse cum illa, aut res meas mitto [2]), nunc enim scire nondum possum, quia nunc primum de curru descendimus. Sed cras aut perendie plura scribam. Vale mi D. Doctor! et tuam meamque ac reliquos fratres officiose ex nobis saluta, inprimis autem Dominum Iacobum [3])

nostrum, cui me ex toto pectore meo commendo. Raptim ut vides Hamburgae postridie mei a vobis discessus [1]). [12 April. 1549] [5]).

manum uosti.

[1]) Sc. Dantiscum. [2]) Gerd. *mitte.* [3]) Iac. Praepositum. [4]) Sc. Bremã, ubi tunc Hardenb. erat. [5]) Ad hunc annum refer. esse patet ex ep. 55, ad hunc diem ex Ep. 54.: *Heri simul atque veni ad vos scripsi.*

N°. 55. [Gerd. a. a. IIb, 646.]

Ad Hardenbergium.

Heri simul atque veni ad vos scripsi [1]) et uunc rursum scribo mittoque hunc nuntium, ea spe, quod sit istic meam uxorem adhuc reperturus, quod si abest [2]), rogo, ut literae post illam mox mittantur, ut rursum ab illa ad Paschatis [3]) responsum habere possim. Nam postea mox alio [4]) ut scitis, et tamen responsum ab illa habere cogor. Novi hic nihil, nisi quae et vos nostis. Aiunt tamen exercitum, qui ducis Megalopolitani [5]) dicitur esse, indies magis ac magis augeri. Pomeranus Witebergae paulo minus est captus a Mauritio, sed sunt illi interdictae et conciones et lectiones. Philippus, ut audio in Prussiam cogitat. Alia non sunt. Mauritius et praesidio et machinis munit Witebergam et parat exercitus. Me commendo vobis omnibus. Raptim pridie Palmarum Hamburgae. [13 April. 1549] [6]).

[1]) Ep. 53. [2]) Emdam reversura erat cf. Ep. 55 in fine. [3]) 21 April. [4]) Sc. Dantiscum. [5]) Iohann. Albr. von Mecklenburg. [6]) Cf. Ep. 53. n. 5.

N°. 56. [A. Regenvolsc. Hist. Eccl. Slav. p. 242. Gerdes. a. a. IIb, 680.]

Ad Laurentium Prasnicium [1]).

Audio te, aulae opinor pertaesum, abitum isthinc adornare, quod quaeso, mi Frater! ne facias. Vides quanta sit ubique messis et quam pauci, ne dicam, nulli operarii. Abhorres ab aulica impietate: ne igitur ei blandiaris, sed ita eam reprehendas, ut non tam personas, quam vitia ipsa odisse videaris. Sic Deus ipse vitia nostra taxat, nos vero amat et pro filiis suis agnoscit, tantisper, dum illum eiusque gratuitum in Christo Domino beneficium scientes ac volentes non contemnimus.

Ita et tu, mi frater! de abitu ne cogita aulae odio, sed persta in tuo ministerio reprehendendi vitia et indicandi viam ad resipiscentiam, donec propellaris. Nunquam connivebant olim Prophetae ad regum populique in veteri Ecclesia publica praesertim scelera, sed tamen nunquam ministerium suum, etiam apud palam impios Reges, deserebant: imo vero redire ad illos iubebantur, si quando eos deserere volebant.

Quare et tu persta quaeso neque animum despondeas; non sunt adhuc omnes canes aut porci isthic, ut illis sanctum subducas. Et nosti sane, sanctum illud iusiurandum Dei, quo nobis fidem fecit, verbum suum legitime satum uunquam sine fructu rediturum esse. Non est abbreviata manus Domini, modo nos in statione nostra ne cessemus.

Si potens est pythonicus spiritus excitare spectra Samuelitica, quae vulgus admiratur, multo est potentior spiritus Dei ad excitandos adhuc Elias, et Baptistas, qui viam denuo struant domino in Euangelio ipsius, quibus larvae ad extremum Samueliticae cedere prorsusque demum ad illos evanescere cogentur.

Ego tertio iam ad regem nostrum scribo, deferens illi meam operam, si illa in Ecclesiastico Ministerio iuxta doctrinam Christi uti velit, et responsum suae Maiestatis hic apud Illustrissimum Ducem Prussiae Albertum exspecto. Scripsit in causa mea Eduardus Rex Angliae ad nostrum Regem [Regiom. m. Iulii 1549] [2]).

[1]) Regis Poloniae Concionator, v. REGENVOLSC. o. l. p. 212. LUBIENSKY, *Hist. Ref. Pol.* p. 16. [2]) Gardesius hanc ep. ad annum 1552 refert. Citius nimirum quam par esset fidem habuit Regenvolscio, qui l. l. diserte dicit: *Haec Lascus* 1552. Verumtamen ep. ultima verba, quibus Regiomontii se regis Pol. responsum exspectare dicit, imperiosius nos ad iter, quod a°. 1549 illuc susceperat, relegant quam ut dubio locus superesset.

N°. 55. [Autograph. in Arch. secr. Regiomont.]

Ad Ducem Prussiae.

Illustrissime Princeps et Domine! Domine clementissime!

Salutem et officiosissimam servitiorum meorum commendationem!

Dici non potest, quantum mihi voluptatis attulerint litterae Celsitudinis tuae, ex quibus facile est videre quam illi sit cordi religio quantaque cura tangatur retinendae puritatis in doctrina christiana. Utinam hoc studium, non tantum in aliis Principibus, sed in plerisque etiam doctoribus (qui pro columnis interim Ecclesiae haberi volunt) agnoscere possimus, cum ea praesertim modestia coniunctum, ut rationem doctrinae cuiusque et petant amanter et audiant etiam in charitate christiana, priusquam iudicia sua (ne dicam praeiudicia) edant. Quod cum hic Celsitudo tua summa clementia et humanitate faciat, merito sane haec tuae celsitudinis humanitas et modestia a piis amari et praedicari debet. Atque ego sane litteras eas tuae celsitudinis ita adservabo, ut mihi semper monumenti loco sint futurae, ad retinendam apud alios similem modestiam, exemplo celsitudinis tuae. Iam ad rem ipsam venio. Occasio disputationis sumpta erat ex doctrina eorum, qui Dei praescientiam seu praedestinationem, vel (ut alii loquuntur) electionem, falli violarique non posse docent, sed oportere

aut damnari aut servari omnes, pro eo ac quisquam nostrum a Deo ab aeterno, sive ad vitam, sive ad mortem aeternam praedestinatus esset. Hinc vero colligebant quidam: non esse ullum mortale peccatum inter electos, qui propter electionem damnari iam et proinde cadere quoque in peccatum mortale non possent, neque rursum esse inter eos nllum veniale peccatum, qui ad mortem aeternam ab aeterno etiam praedestinati essent, quod eorum praedestinatio mutari nullo unquam modo omnino possit. Hic citabatur Paulinum illud: „Quoniam quos praescivit eosdem et praefinivit, sive praedestinavit" et quae illic suo ordine veluti concatenata habentur. Rom. 8. Citabatur et illud, „Unctio ipsa docebit vos" 1 Io. 2. Deinde et illud Ioannis baptistae de Christo testimonium proferebatur: „Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum totius mundi". Idque ita exponebatur, quod Christus Dominus omne quodcunque, qualecunque item peccatum, etiam illud in Spiritum Sanctum, toto orbe terrarum in electis omnibus sustulisset, et proinde nullum esse inter electos iam irremissibile peccatum, ne illud quidem quod a Christo Domino irremissibile vocatur, cum nemo electorum damnari possit.

Haec porro doctrina durior visa est aliis esse et cum aliis scripturae locis parum consentanea. Hic vero proferebatur, electionem ad totam Ecclesiam in genere pertinere, multorum locorum testimonio quibus universa Ecclesia populus electus, peculium et regium Dei sacerdotium vocatur. In hac autem cum certum sit multos cadere, quemadmodum Paulus de fractis sanctae radicis sanctis etiam proculdubio ramis docet (Rom. 11), perspicuum est, electos etiam posse cadere et damnari, si electionem suam irritam faciant per suam incredulitatem. De privata illa cuiusque in Ecclesia electione, per quam Paulus reliquias Israelis servatas eodem capite esse docet, id quidem verum esse, quod quicunque servantur, electione serventur (solam enim nostri in Christo electionem et quidem ante tempora aeterna destinatam, ut idem Paulus docet 2 ad Timoth. 1, salutis nostrae causam esse), sed hoc inde non effici interim, ut dum fatemur, omnes qui servantur electione servari, — simul necessario etiam fateri cogamur, neminem eorum qui electus est damnari amplius posse. Quemadmodum etsi favore principis fieri dicimus, ut in eius familiam recipiamur atque hanc solam receptionis nostrae causam esse fatemur, non tamen inde efficimus, ut recepti nunquam deinde ipsi familiam in quam recepti sumus deserere ullo modo possimus. Et quanquam multae sint rationes, quae Dei electionem immutabilem esse persuadeant, tamen quoniam nobis illius ratio (quod ad singulos praesertim in Ecclesia pertinet) incognita prorsus est, nobis sane de illa non secundum rationis nostrae iudicium eiusve persuasiones iudicandum esse, sed iuxta verbum Dei. Iam ex verbo Dei perspicuum esse, nos fide constitisse et stare (Rom. 11, 1 Cor. 16, 2 Cor. 1) Quodsi fide stamus et stare non possumus nisi electi simus, equidem, dum a fide excidimus quam habebamus, simul etiam nos ab ipsa electione excidisse negari non potest. Porro a fide nos posse excidere multis locis scriptura ipsa testatur, dum nos qui fide constitimus admonet ne per animi

elationem ab illa rursum excidamus, Rom. 11, ac rursum, dum nostram in Christo reconciliationem certam fore testatur, si in fide, in qua et constitimus, permaneamus (Coll. 1), atque aliis huius generis infinitis testimoniis. Quorsum enim attineret aut admonere ne quo modo excidant, aut perseverantiae conditione astringere eos, qui a fide et proinde ab electione quoque excidere non possint? Quaerebatur praeterea ab istis electionis divinae propugnatoribus, num Adam, priusquam peccasset, electus ad vitam fuerit, nec ne. Negari non potuit electum fuisse, quandoquidem sanctus et immortalis ad vitam proculdubio aeternam conditus erat. Quaerebatur rursum, an vere a sanctitate et immortalitate sua illa vitaque adeo aeterna excidere potuit. Id quoque negari non potuit, nam malo omnes nostro didicimus illum re vera excidisse et proinde excidere quoque potuisse. Inde igitur concludebatur, et nos (qui omnes idem cum Ada sumus) ad eundem modum electionem nostram posse per incredulitatem irritam in nobis ipsis facere, ad quem modum Adam transgressione illam sua irritam facere potuit et fecit, — neque vero ideo mutari electionem Dei, quod nos ab illa excidere possimus. Neque enim incredulitas nostra, evacuat fidem et veracitatem Dei, sed hactenus nos elegit Deus Pater ad vitam aeternam in Christo, quatenus nos per illum sibi reconciliandos esse scivit. Iam Paulus hactenus nos per Christum in corpore carnis suae Deo Patri reconciliatos esse docet (Coll. 1), quatenus in fide firmi et stabiles permanemus, neque a spe Evangelii quod audivimus dimovemur. Igitur nos hactenus duntaxat electos esse, quatenus in fide Evangelii permanemus, neque electionem Dei mutari, etiamsi nos per nostram impietatem ab illa excidamus. Inde vero postea subsequuta est quaestio, an per quodvis peccati genus a nostra electione excidamus, unde demum agi coeptum est de peccatorum discrimine et remissione, mihique id negotii datum ut eam doctrinam conscriberem quam tuae celsitudini exhibui, haecque fuit occasio tradendae istiusmodi doctrinae. Nunc venio ad ea, quorum rationem celsitudo tua in doctrina ipsa postulat. In verbis praecationis Dominicae perinde est sive debita, sive delicta, sive peccata nostra nobis remitti petamus. Quae enim Matthaeus ὀφειλήματα (hoc est debita) vocat, ea Lucas in eadem Dominica praecatione ἁμαρτίας (hoc est peccata) appellat. Et Matthaeus ipse mox post praecationis finem veluti se ipsum exponens, quae antea debita vocaverat, mox παραπτώματα (hoc est transgressiones seu delicta) appellat, dum ait: proinde si remiseritis hominibus transgressiones seu delicta ipsorum, remittet et illa vobis Pater vester caelestis, et quae ibi sequuntur. Unde ex aequo est in Dominica praecatione, sive nobis debita, sive delicta, sive peccata remitti petamus. Scio hic in voce *debiti* argutari quosdam, sed quo id consilio faciant, ipsi viderint. Certe haec vocum apud Evangelistas variatio testatur, illos de verbi huius „debiti" pondere nihil cogitasse, ut interim taceam, minus proprie nos loqui, dum debita nostra nobis a Deo condonari petimus, quam si peccata seu delicta remitti postulemus. Neque enim peccata nostra debemus Deo, ut ea instar debita numeremus, sed fidem pietatem et

obedientiam Deo, nt Domino nostro, debemus. Quo pacto vero ex nobis remitti petamus quibus caremus, ac non potius peccata seu delicta quibus perpetuo obruti snmus? Sed hic peccata nostra debita vocantur, quia nos reos ac debitores mortis aeternae faciunt in indicio Dei, quam a nobis deprecamur. In altero loco illo de sublata per Christum Dominum orbis totins iniquitate nulla est repugnantia: simul enim verum est, ét hominnm nbique omninm iniquitatem per Christum sublatam esse, si modo iniquitas pro adnata hominum infirmitate accipiatur, quemadmodum paulo post explicatur, ét non omnem interim hominnm iniquitatem sublatam esse, si iniquitatem pro rebelli contemptu Dei accipiamus. Utrumqne enim id complectitur iniquitatis vox, nempe et infirmitatem et contemptnm. Volebant antem electionis propugnatores illi hunc locum ita intelligi, ut omne prorsus peccati qualecunque genus, sed non in omnibus, neqne nisi in electis per Christum snblatum esset. Ideo nos rnrsum diximus, huius loci testimonio non equidem omne qualecunque peccati genus, sed omnem duntaxat infirmitatem in omnibus interim toto terrarum orbe hominibus per Christum sublatam atqne expiatam esse, id qnod in sequentibus scripturae testimoniis comprobatnm habetnr.

Haec ita quanta potui celeritate effudi potius [quam] scripsi ad mandatum celsitudinis tuae. Oro ut ea tua elementia boni consulere velit. Ego hinc [1]) perendie Dantiscum cogor solvere [2]), quare rogo obnixe tnam celsitudinem ut litteras quas mihi est missura Dantiscum post me pro gratia sua perferri iubeat. Litterae quas hodie ab uxore mea accepi cogunt me iam Dantiscum proficisci. Scribit ad me nxor, ad meam Principem ex Aula Caesaris allatum esse, quod rex ille Ziraphae [3]) regnum Thuneti totum una cum Goletha [4]), Caesaris munitione, occupasset, ac demum in Hispaniam eum 200000 (*sic!*) hominnm traiecisset et vastet omnia, Caesaremqne Hispanos omnes in Italiam remisisse. Litterae scriptae sunt Emdae 15 Iunii. Alia non habeo, tantum me gratiae tuae celsitudinis totum quam diligentissime commendo. Non vacavit relegere, ideo ignoscet celsitudo tua sicubi quid est peccatum. Raptissime ex Regia Polyphemi [5]), qui et ipse servitia sua humillime celsitudini tuae commendat 11 Iulii Anno 1549.

Tuae Celsitudinis Illnstrissimae servitor addictissimus
Ioannes à Lasco m. pr.

[In dorso: *Illustrissimo Principi et Domino, Domino Alberto, Dei gratia Marchioni Brandemburgensi et in Prussia Duci etc. Domino meo clementissimo.*]

---

[1]) Regiomont. E Polonia redierat. v. Ep. 56. [2]) Solvit revera, ut ex Ep. 56 apparet. [3]) Cf. Sleidan. l. XXI. p. 171b. *Hoc tempore motus fecerunt per Aphricam. Nam Zeriphius quidam, a parvis, ut aiunt, initiis auctus et regnum adeptus vicinum regem Fesanum finibus expulit, qui post ad Caesarem venit Augustam .... opem implorans.* [4]) Goletha et Biserta, in ditione Tunetis, Caesaris imperio erant addictae. [5]) Sub Polyphemi nomine Lautenwald latere posset, qui Regiom. habitans et ipse controvers. Osiandric. sese immiscuit. Cf. Arnoldt, *Kirchengesch. v. Pr.* p. 414.

N°. 58. [Gerd. s. s. lib. 648.]

Ad Hardenbergium.

En ego ad te, mi Alberte! si vales et ego valeo. Et nostrorum metamorphoses audio, doleo, sed aliud non possum quam dolere. Chamaeleon [1]) possit unligdammu, itaque gbaelagk Uni urat emelbatnin et pollicetur multa. Hic adhuo haereo. En paci matio me vocat ad se amantissime. Moltis videtor melle litus gladius. Ego tamen io nomine Dei illuc ibo.

Amasi iuoiori [2]) dio quaeso, cum [apud Duoem] [3]) delatum esse, quod quae inter ipsos [secreta manere] debebant, sint [detecta] et magnam illi invidiam moverint. Valde mirator factum et trium literas mihi super ea re ostendit, neque amplius se vult ullo modo huic negotio immiscere, und will gantz desfals abstehen und unbedacht seyn. His enim verbis plane est usus. Et ea Amasi per me significari voluit. Praeterea [et fratrem suum moneat] quantum potest, ne quidquam omnino agat eorum, quae proposuerat, sed [et ipse se submittat] et huic persuadeat, ut se inclinet [veniamque sibi] procuret. Haec tamen illi anouotia, quaeso. Debebat per te remittere ad meam 86 taleros: si fecerit bene est, sin minus, rogo per te, ut mittat, nam eius eget. Plura tempus scribere non permittit. Vale Prima Augosti Dantisci. Anno 1549.

Salvere iubeo fratres omnes et imprimis tuam. Manum nosti.

[1]) Clavis horum periit et sunt pauciora, quam ut arte detegi possint. [2]) Sub hoc nomine Comes Mansfeldii latet. Cf. ep. 61 B ad Duc. Pruss. [3]) Haec et quae sequuntur ex coniectura apposui. Quo iure videas in Ep. 61 B.

N°. 59. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Tertio decimo post meum e Dantisco abitum die huc (gratia Deo) salvus ac incolumis perveni, ac meos quidem salvos divino beneficio reperi omnes. Caeterum formam religionis prorsus mutatam inveni. Ad haec et ipse morbo protinus correptus: etiamnum langueo, neque pro eo ac vellem omnia tuae Celsitudini per valetudinem perscribere possum. Complectar quae potero igitur et tuam Celsitudinem oro ut meam nunc infantiam boni consulere velit. Exponam autem modum ac progressum caeptae hic mutationis in religionis causa. Cum Princeps mea urgeretur, iam post meum istuc [1]) abitum, ut responderet omnino, num doctrinam et ordinationem Interimisticam in sua liberorumque suorum ditione recipere vellet, erant inter Consiliarios, qui omnia tentanda esse suaderent, si quomodo publica patriae tranquillitas retineri posset. Ita demum assensum est ab omnibus aulicis consiliariis, ut nova quaedam doctrinae et caeremoniarum instituerctur forma, collecto videlicet ex aliunde petitis (pridem etiam factis) ordinatio-

nibus. Ad hanc formandam designati sunt aulici quidam. Tandem vero et aulae huius totius calculis approbatur, adiuncta etiam principis autoritate, quae putabat ministros quoque verbi, collegas meos, una mecum (ubi redirem) facile illi subscripturos esse. Constituta igitur iam apud aulam Principis nova ordinatione, vocantur ad Principem collegae mei, proponitur illis nova ordinatio, ut eam amplectantur, ut tranquillitas patriae retineretur. Illi, lecta ordinatione, negare, quod id tuta sua conscientia facere possent: esse enim in ordinatione, quae cum debito, fide atque officio ministerii ipsorum consistere non possent. Ibi vero collegae mei mox accusari, quod nimium praefracti capitosique essent. Non esse aequum, ut propter eos patria in periculum veniat, et multa id genus. Ad haec contra collegae mei: se dolere, quod haec pro confessionis et ministerii sui fide audire cogerentur, se tamen oportere pluris facere confessionis et ministerii sui fidem ac constantiam, quam istiusmodi convicia (sibi alioqui dudum cum Christo Domino, Prophetis atque Apostolis omnibus in hoc mundo communia) quorum tamen coram Deo nulla se culpa teneri scirent. Hic demum nostri aulici cum meis collegis novas rursum ordinationis suae moderationes quaerere coeperunt. Ad aulam vero Caesaream novum illum suum foetum totum, ut per illos fabricatus erat, per legatum suum transmiserunt [1]), orantes ut sic in gratia Caesaris retinerentur: se enim hanc ordinationem, modo Caesari placeat, modis omnibus observaturos esse. Collegis porro nostris, dissimulata hac tali legatione, talis proponebatur ordinationis moderatio, ut ipsi ab omnibus illius oneribus reliquis liberi essent, sed linea dumtaxat veste extime (Papistarum ritu) in publico verbi et Sacramentorum ministerio iuxta ordinationem factam uterentur, et penes se citra reprehensionem ullam ferrent alium quempiam Caeremoniastam, quem princeps institueret, ut in templo nostro iuxta praescriptam in ordinatione hac nova formam sacra sua faciat, ut ita videlicet Caesari satisfieret. Ita nimirum ex una (quod dicitur) fidelia utrunque parietem oblinere nostri volebant, ut neque collegis meis quicquam Papisticum imperare — vestis enim lineae usum adiaphorum esse aiebant — et Caesari nihilominus satisfacere voluisse in mutanda religionis facie videri possent. Sed cum ne id quidem collegis meis persuadere posseut, qui neque suam cum caeremoniasta illo, qui a principe constitui deberet, societatem in divinis omnino ullam, sine manifesta superstitionis suae reprehensione, neque ipsum lineae vestis usum manifesta impietate vacare dicebant, praesertim cum ad dandum mutatae religionis specimen aliquod, non recte videlicet per nos hacteuus observatae, potissimum urgeretur. Cum iuquam haec collegis meis persuadere non possent, animos civium ab eis alienare tentarunt, illisque convocatis collegas meos apud eos accusare: praetexi ab illis temere offendicula publica, quae tamen vere praetendi non possent. Proinde, ut cives cum ministris, collegis meis, agerent, ne propter se ulla metuerent offendicula, se enim non offendi istiusmodi mutatione. Vocatique sunt ad cives ministri et actum est ultro citroque de offendiculis, ostensumque, non a civibus tantum, sed a peregrinis quoque declinanda esse offendicula, neque aequum esse non of-

fendi nos iis, quae certum est inclinare ad cultus divini prophanationem. Quae cum cives audissent, assensi sunt magna ex parte ministris causamque illorum se apud Principem acturos esse receperunt. Ad extremum missi sunt a Principe, qui templum nostrum collegis meis praecludi illosque a publicis concionibus abstinere iuberent. Responderunt collegae mei, id quidem in Principis arbitrio esse, ut templum claudatur vel non claudatur: sed ipsos ad principis mandatum pro suae vocationis ratione silere non posse. Ita clauso templo, illi vel in caemiterio, si quando coetum hominum aliquem videbant, vel in scholis, convocata eo Ecclesia, docebant, simul ac baptizabant. Qua rei indignitate cives moti, ad tumultum spectare videbantur, si non eos ministri ipsi diligenter dehortati fuissent. Id porro cum Princeps cognovisset, templum recludi iussit ministris, quoties aliqui aut baptizandi, aut matrimonio iungendi essent. Itaque factum est ut circa baptismum et desponsiones iuste semper conciones haberentur. Sub hac porro rerum facie ego redii et collaudata hac in parte fratrum meorum constantia, sedulitate et fide, actisque hoc nomine domino Deo nostro gratiis, in ea ipsa constantia, sedulitate et fide omnes, quantum potui, confirmavi. Principem vero de peccato illius coram admonui, quod in constituenda nova hac sua ordinatione Christum dominum simulque et spiritum sanctum, denique concreditam suae fidei Christi Ecclesiam dignitate sua spoliare conata sit, veluti hostis ipsius, cuius alioqui se ministram esse simularet. Christum dominum spoliari dignitate sua per ipsam, dum ipsum super se commissamque nunc curae suae Ecclesiam regnare iuxta doctrinam et observationem Apostolicam non sinit, sed doctrinam et ritus Evangelio Christi pugnantes Ecclesiis per tyrannidem obtrudit, quod equidem perinde esset, ac si Christum dominum sede sua in Zion deturbare et semet ipsam in illam per tyrannidem collocare vellet. Id porro si per imprudentiam faciat, majorem esse peccato ipsius Dei misericordiam, si illam agnito peccato et facta cum Ecclesia, perturbata iam per se, reconciliatione, imploraret. Caeterum nisi id faceret, tum ut certo eandem Dei ultionem expectaret cum suis omnibus, qua Iudeorum impietatem Hierosolimis propter vocem illam „Nolumus hunc regnare super nos" vindicatam esse scimus. Spiritui porro sancto detrahi per ipsam dignitatem autoritatemque in Ecclesia suam, dum, quos ille per ipsiusmet principis ministerium Ecclesiarum rectores et gubernatores in cultu divino constituisset, eis ipsa eandem gubernationem vi quadam eripere sibique ipsamet arrogare: illis templa praecludere et praeter omnem illorum culpam tumultus, seditionum ac pertinaciae eos insimulare: denique ora ipsorum comprimere, adversariorum vero Christi et publicorum idololatrarum, nempe Monachorum et Monasticorum omnium, adde et sectarum omnium ora laxare conatur. Id quidem videri posse leve iuxta humanae rationis iudicium, sed in Dei iudicio tantum nihilominus esse iuxta ipsiusmet Christi Domini testimonium, ut, si destinato prudentique ac volenti consilio fiat, nunquam in aeternum remittatur. Ecclesiae autem Christi dignitatem atque autoritatem per ipsam violari, dum surrepto illi omnium, quae instituenda essent publico in coetu

iuditio, quod ei apostolus defert, illud ipsum sibi cum suis dumtaxat aulicis consiliariis contra doctrinam Apostolicam sumit, servarique ab Ecclesia praecipit velut domina Ecclesiae quod nunquam antea Ecclesiae in coetu publico diiudicandum proposuisset, quemadmodum id Paulus observari iussit. Horum se igitur omnium intelligeret poenitentiam agere oportere coram Deo, atque etiam sese Ecclesiae reconciliare, si a Domino Deo rursum in gratiam recipi velit. Id si detrectaret, testatus sum Dominum Deum meum et omnes Angelos ipsius, me ipsi annunciasse pro ratione mei ministerii peccatum ipsius meque accusare illam coram tribunali Dei, ad quod tandem sistemur omnes, horum, quae recensui, peccatorum omnium nomine, ut se a Deo olim illorum nomine iudicandam esse sciat. Et proinde me non posse deinceps etiam esse ministrum ipsius, quod ad divina attineret, donec mihi certum aliquod resipiscentiae suae inditium faciat, ne quomodo videar communicare peccato ipsius. Sed etsi minister ipsius esse deinceps in divinis, neque possim, neque velim, donec signa resipiscentiae videam, tamen non ideo ponere me publicum ministerium meum, ad quod videlicet divina ordinatione, non tantum per ipsam, tanquam Magistratum summum, sed per totam etiam Ecclesiam publicis ipsius suffragiis vocatus essem [3]). Haec nisi mihi ultro ipsa denunciet ut abeam, quemadmodum me ultro unanimiter vocavit, me illam deserturum non esse, etiamsi id mihi Princeps cum aulicis omnibus suis iubeat, praeterquam si invitus per illam vi manifesta propellar: huic enim mihi necessario cedendum esse scirem. Haec ita ego cum mea Principe, quae se mihi responsum esse daturam promisit, quod et exspecto in horas. Docemus igitur adhuc solita libertate nostra circa baptismum et matrimoniorum coniunctiones ac funera, donec responsum a Principe habeamus, et ego Synodos meas octavo quoquo die, cum aliarum Ecclesiarum Pastoribus perago, omnesque ad unanimem doctrinae consensum et perseverantiam pro summa virili mea in domino adhortor. Sed et aliunde rursum Sathan me aggredi conatur. Accusatum me gravissime apud Aulam Caesaream esse dicunt, sic ut me aula Caesarea hic amplius ferre in Frisia, neque possit ullo modo, neque velit. Duo autem accusationis meae capita praecipua esse affirmant. Alterum quod falsa mea doctrina, ut putant, multos in Caesaris ditionibus per scripta privata mea seduxerim, quod aula sane amplius ferre non velit. Alterum vero, quod sim apertus hostis Caesareae Maiestatis, ut qui et Anglico nuper et demum Polonico etiam itinere meo, aliud nihil quaesiverim, severim et promoverim, quam novas nescio quas practicas contra suam Caesaream Maiestatem. Data igitur esse mandata ab Aula Caesaris ad meam Principem, ne me amplius in sua ditione ferat, si Caesaris amicitiam retinere velit. Ad haec porro respondi, me non gravatim alio migraturum esse, si me et Princeps mea, et quae me vocavit Ecclesia ferre amplius non possit, etiamsi vanissima sint ea, quorum nomine accusor. Quodque ad doctrinam meam attinet, huius me potissimum ab ipsa Principe, quae me pluries audisset, et ab ipsa adeo Ecclesia testimonium habiturum proculdubio esse. Quod vero ad Anglicum Polonicum-

que iter meum attineret, extare apud me omnes vocationis meae litteras, ex quibus longe aliae, quam a meis accusatoribus fictae sint, itineris utriusque mei rationes clarissime colligi possunt, et proinde me semper declaraturum esse meam hac in parte innocentiam adversus omnes calumnias meorum accusatorum, si qui mihi id inditio obiicere volent, sed tamen me libenter hinc excessurum esse, si ita Princeps et Ecclesia mea velit, hoc est, si me in meo ministerio iuxta permissam mihi libertatem illius non cupiat retinere. Haec ita omnia ut se habent significare obiter volui Celsitudini tuae, Illustrissime Princeps! pro mea in illam observantia, ut artes et conatus Satanae me impetentis secum ipsa perpendat, quae cum causas alioqui suscepti nuper ad Serenissimum dominum meum Poloniae Regem itineris mei non ignoret, facile etiam meae in iis, quae mihi obiiciuntur, innocentiae testis esse potest pro virtute et clementia sua, cum litterae alioqui etiam ipsae, a Serenissimo Angliae Rege ad Serenissimum dominum meum Poloniae Regem scriptae, meam abunde comprobent innocentiam et causas suscepti istuc mei itineris diserte complectantur. Expecto igitur, ut dixi, quid de me Princeps et Ecclesia mea statuat. Ea vero res me hic hactenus detinuit et forte detinebit, ut ante hyemem iter meum, quod institueram, prosequi non possim. Num sub hac Ecclesiae meae perturbatione deserere illam nolo, et si alio migrare cogar, non procul ab illa abero, ut eam subinde exhortari per litteras et consolari possim, donec illa me a se desertum esse recepto altero ministro testificetur. Tum enim ab eius ministerio liber mihi esse coram dei iuditio videbor, sed certa mihi spes est hoc ipsam nunquam esse facturam, sed me, etiamsi per tyrannidem adversariorum abesse cogar, pro suo nihilominus ministro agnituram perpetuo esse. Huius enim rei mihi non obscurum iuditium fecit. Quare hic haerebo adhuc, donec aut propellar vi, aut per Ecclesiam totam cum bona illius gratia dimittar. Ut ut autem res cesserit, non committam quin protinus significem Celsitudini tuae, cuius interea me gratiae et clementiae totum humillime ac officiosissime commendo.

Emdae 18 Septembris Anno a Christo nato 1549.

Illustrissimae Celsitudinis tuae

perpetuus et addictissimus servitor
Io. à Lasco. m. pr.

[1]) Sc. in Prussiam. [2]) Erat legatus ille Wetstenius cf. Ubbo Emm. *Rer. fris. h.* p. 937. [3]) Distinguit inter Superintendentis totius Fris. Or. et verbi divini apud Emdanos ministerium.

N°. 60. [Ubbo Emm. Rer. fr. h. 940.]

Ad Hardenbergium.

.... Adfuturi sunt cives plurimi, qui nunc plane suum in me amorem tantum testantur, quantum non sperabam, sit Deo gratia. Igitur, mi Al-

berto! ego hinc iam cedo, sed nondum scio quando aut quo. Hoc tantum constat, brevi migrandum et ante hyemen, ac forte navigio solvendum .... Collegae mei a principe destituti sunt. Docent interim et baptizant Ecclesia poscente, idque publice in coemeterio, dum in templo non licet .... [1]). Embdae 26 Sept, 1549.

[1]) Nonnisi haec fragmenta supersunt.

N°. 61. A [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Post scriptas priores litteras meas sdferebatur mihi responsum a mea Principe, ac de religione quidem nihil dicebatur, sed tantum proferebantur minae Caesaris, si me Princeps in sua ditione deinceps retineret [1]). Quare Principem petere, ut sua ditione excederem, ne illam periculo una mecum involverem, advorsus quod illa me defendere non posset. Breviter, videbam mihi apud Frisios non amplius locum fore meque de migrando una cum tota familia etiam ante hyemem oportuisse cogitare. Itaque scribere ad tuam Celsitudinem non prius volui quam finem rerum mearum haberem. Iam vero huc me tandem contuli, cum propter hyemis incommoda eo quo destinaram proficisci non possem [2]). Sum autem benigne dimissus cum a Principe ipsa, tum a tota etiam Ecclesia, quemadmodum id litterae Principis testantur. Ecclesia vero tota delectis in hoc centum civibus et totidem matronis piis in gratitudinis suae erga me testimonium publicum mihi et collegis meis convivium instruxit. Adornaverat et munus honorarium pro me tota mea Ecclesia, sed ego illud accipere recusavi. In convivio autem illo post sumptum cibum in exhortationibus ad fidei ac religionis verae profitendae constantiam ac gratiarum actionibus totum diem, sublatis mensis omnibus, transegimus, ac demum non sine multis omnium lachrymis ad aedes meas ab omnibus deductus, dimissus sum tandem ab illis, accepto ab omnibus pacis osculo. Quod equidem gratitudinis Ecclesiae meae erga me exemplum ideo ita tuae Celsitudini commemorare volui, ut haec meorum pietas alios excitet ad observantiam et amorem ministrorum suorum. Equidem hoc ausim dicere, totam meam Ecclesiam proiecturam fuisse bona sua ante pedes nostras, si hoc petiissemus. Quo sane nomine ago gratias Domino Deo meo quod voluerit non esse vanum atque otiosum ministerium nostrum in colligenda sua Ecclesia. Illi laus et gloria in saecula amen. Ego igitur ita a meis dimissus huc me contuli, ut non procul a meis adhuc abessem eosque subinde in confessionis et fidei constantia confirmarem.

Caeterum collegae mei adhuc operi suo instant in docendo, etiam post inhibitionem Magistratus, neque cessabunt, spero, nisi vi aut capiantur aut pellantur. Dominus illos corroboret spiritu suo, et det illis os ac sapientiam ad obturandum ora adversariorum Evangelii Christi. Habet tua

celsitudo rerum hic nostrarum rationes omues descriptas obiter et tumultuarie, dabitque veniam festinationi meae celsitudo tua, quae facile cogitare potest, animis et rebus perturbatis, non posse nisi tumultuarie etiam scribi quidquam. Quod superest me clementiae tuae celsitudinis summa cum observantia commendo. Bremae 21 Octobris Anno 1549.

Tuae celsitudini illustrissimae
addictissimus Io. à Lasco m. pr.

Mitto tuae Celsitudini extremum meum cum Pastoribus Frisiae collegis meis colloquium in publico coetu [3]) et exemplum litterarum meae missionis.

[1]) Cf. Ubbo Emm. o. l. p. 939. [2]) Sc. in Angliam. [3]) Periit.

B [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae [1]).

[2]) Rogo celsitudinem tuam ut [eius] opera a Rege Poloniae impetrare possim in aperto et obsignato ipsius dyplomate, quod in meo ad tuam celsitudinem itinere aliud nihil a Rege [3]) Poloniae petierim quam licentiam conferendi me ad Angliam cum bona Regis Poloniae gratia, si ipse opera iam mea non egeret, qua de re ego quoque scribo, scribo item et ad Reginam Bonam [4]), essetque mihi ea res magno usui ad probandam apud Caesarem [5]) innocentiam meam. In Anglia adhuc sunt turbae magnae. Bis sunt profligati rustici [6]), novus illorum Rex captus et plexus, episcopi quatuor capti, asseclae rusticorum [7]), sed adhuc superest, unus rusticorum exercitus cum quo adhuc confligendum erat [8]). Rex [9]) Galliae iam a Bononia dicitur recessisse communito ita portu, ut nemo vel accedere vel excedere possit: de pace inter Regem Galliae et Regem Angliae nihil adhuc audimus et dolemus [10]). Vana sunt quae de Caesaris cum Rege Angliae contra regem Galliae foederibus iactantur. Praelegi dominis a Mansfeld litteras celsitudinis tuae, per Simonem Loycz [11]) ad me missas. Excusant diligentissime secretum proditum et negant constantissime se cuiquam quidquam omnino revelasse, imo vero neque cum Rege Daniae quidquam voluisse agere, neque illi tuae celsitudinis [litteras] transmisisse adhuc quod metuerent ne res latius invulgaretur. Haec sancte iurant se observasse et queruntur magnam sibi iniuriam fieri ab iis qui illos apud tuam celsitudinem hac in parte detulerunt. Dicunt item se magnum inde damnum accepturos esse, si hic per tuam celsitudinem nunc deserantur. Quare adhuc rogant summa cum diligentia ut eos tua celsitudo ne deserat, posteaquam nullius rei culpam habent, sed ut illos nihilominus adiuvet quemadmodum semel promisit, illi etiam quae promiserunt, omnia praestare volunt. Petieruntque ut haec ita scriberem ad tuam celsitudinem ipsique etiam forte scribent. Quod si mihi liceat aliquid hic dicere apud tuam celsitudinem, plane puto rem secretiorem fore, si illis detur aliquid quam si nihil detur. Urgebunt enim nec finem fa-

cient donec eis detur quod promissum est, et frequentibus istis nuntiis ac litteris res magis ac magis invulgatur. Itaque celsitudo tua secum ipsa statuat quid facere velit, cui me ego totum humillime et officiosissime commendo, 21 Octobris.

Hic iam ero per totam hiemem in Brema.

Post scripta haec omnia accepi litteras Episcopi Cantuariensis. De pace cum Rege Galliae scribit adhuc non esse habendam ab Anglis spem ullam, quia non credunt amplius Gallis. Pro oblata per Ducem Prussiae navi magnam habent Angli gratiam, et gratissimum dicunt sibi fore hoc officium Ducis Prussiae post hiemem transactam. Scribit praeterea omnes seditiones in Anglia sedatas iam esse. Ego tamen putarem cessandum non esse in procuranda pace inter Gallos et Anglos, postquam Rex Galliae a Bononia discessit.

[1]) Praecedenti haec epistola adiecta erat. [2]) Tota fere ep. secretis notis conscripta est. Typis a se invicem paullum disiectis ea excudenda curavimus, quae solitis elementis in M. S. erant exarata. [3]) Apogr.: *meo regi*. [4]) Bona, filia Galeazzi Milani Ducis, vidua Sigism. I, † 1558. Cf. HÜBNER, *Gen. Tab.* tab. 96. BRONIKOWSKI, *Gesch. Polens.* I. p. 58. GRAY, *Gesch. Pol.* p. 419. LELEWEL, *Hist. d. l. Pol.* 1844. I. 112. [5]) M. S. *Anglos*. 6) Profligati erant in Yorkshire et Devonshire. Cf. BURNET, *Hist. d. l. Réf. en Angl.* II. 175. [7]) Praeerat rusticis in Devonshire Arundel of Cornwallis. Ib. p. 176. Capti 4 Episc. erant *Gardiner*, *Bonner*, *Day* et *Heath*. [8]) Sc. in Norfolk. Ib. 182. [9]) Apogr.: *Regi*. [10]) Cf. SCHLOSSER, *Weltgesch.* vers. belg. XIII. 79. [11]) M. S. *Loytz*.

C [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

[1]) Nos Anna ab Oldemborch et Delmenhoirst, Comes Frisiae Orientalis vidua, Notum facimus per praesentes nostras litteras, quod cum Ioannes à Lasko per septennium aut amplius publico Ecclesiarum ditionis nostrae ministerio defunctus esset, atque se cum in pura Evangelli Iesu Christi doctrina promovenda, tum in ipsa etiam vitae conversatione publica, irreprehensibilem prorsus exhibuisset, sic ut nos propter ipsius fidem pietatem eruditionem integritatem ac sedulitatem (cuius alioqui testimonium apud omnes subditos nostros, quibus modo religio vera pietasque Christiana cordi est, longe locupletissimum reliquit) multo libentissime illum toto gubernationis nostrae tempore apud nos tulissemus operaque illius in ministerio Ecclesiarum nostrarum usae perpetuo fuissemus, — sed cum Caesarea Maiestas ipsum apud nos ferre amplius non posset nobisque mandasset, ut ipsum in nostra etiam ditione deinceps non feremus, nosque intelligeremus non ipsum modo Ioannem à Lasko, sed nos quoque ac liberos nostros una cum tota ditione, nisi id faceremus, in certum periculum esse venturos, — egimus cum ipso, ne se ipsemet et nos una cum nostris liberis ac nostra ditione periculo involvere vellet, sed potius voluntatem Caesareae Maiestatis secutus, alio commigraret, quod ipse quidem se non gravatim facturum esse respon-

dit, modo ut illi Ecclesia, quae ipsum in ministrum receperat, abeundi faceret potestatem, ne ipse demum desertae Ecclesiae suae nomine, cum apud Deum in eius iuditio, tum etiam apud pios et Christianos omnes accusari quoquomodo posset. Convocata igitur Ecclesia et exposita coram illa periculorum magnitudine, adversus quae nos ipsum Ioannem à Lasko ditionemque adeo nostram tueri ac defendere non possemus, etsi magno id omnium dolore fieret, tamen evitandorum periculorum gratia, et nos et Ecclesia nostra tota illi abeundi potestatem fecimus actis illi gratiis pro fide diligentia et sedulitate in ministerio ipsius, donec ipse rursum a nobis tanquam ordinaria potestate revocaretur ac citra praeiuditium alterius vocationis redire posset, si forte aliquando Dominus pro sua misericordia tranquilliora rursum tempora Ecclesiae suae restitueret. Proinde hanc esse et aliam nullam abitus hinc sui causam, testificari hisce nostris litteris voluimus, ne quis illum aliquid omnino in nos, aut quenquam nostrorum commisisse putet, quod ei nostram vel minimam indignationem peperisset, aut nobis etiam aliquid in concredito illi per nos Ecclesiarum nostrarum ministerio quoquomodo displicuisset, cuius equidem nomine illi nos cum omnibus nostris Ecclesiis gratiam habemus, adeoque ipsum etiam omnibus, ad quos ipsum venire contigerit, ut cuiusque dignitas ac conditio fert, officiose comendamus per praesentes litteras nostras scriptas et sigillo nostro communitas. Emdae 2 Oct. anno 1549.

[1]) Hoc quoque Diploma, ab Anna Comitissa Lasco, cum a°. 1549 dimitteretur, datum, huic ep. erat adnexum.

N°. 62. [Ubbo Emm. o. l. p. 940.]

Ad Thomam Bramium [1]).

.... Ne dubita, mi frater! non dormit Dominus accelerabitque praeter spem omnium iudicium in illos suum, qui nostram, imo vero Christi Domini unigeniti filii sui Ecclesiam apud vos ita nunc conturbarunt, ut me ab ea avulserint vosque adhuc avellere conantur. Nos quidem meremur graviora, sed vae illis interim qui ad opprimendam tyrannide Ecclesiam fraudandamque ministerio operam consiliaque sua quoquomodo contulerunt. Iam Christo ipsi adversantur, qui Ecclesiae adversantur, et qui id prudentes ac scientes post agnitam veritatem faciunt, durum habent iudicium, si Paulo credimus, nempe ut nullam habeant hostiam amplius pro peccato, sed eos aliud iam nihil maneat, quam vorago illa aeternae ignis inexstinguibilis. Frustra enim praetexunt ignorantiam, frustra infirmitatem. Audierunt et probe norunt adeoque et verbis et scriptis et factis approbarunt doctrinam nostram nostrumque ministerium coenae etiam Dominicae communione agnoverunt, quin et in mea iam missione haec adhuc probant omnia, ut inscitiam praetexere hic vere non possint. Reprehendi eos in

facie omoes institutumque eorum coram damnavi. Obtuli me defensorum esse omoia ooslra ex verbo Dei. Infirmitatem vero si agooscerent, onn utique mioistros odissent. Neque enim odit alterum, sed se ipsum accusat, qui infirmitatem agooscit. Istos vero video noo iofirmitatem suam apud Deum agnoscere eamque accusare et gratiam implorare sed potius consilia excusandi impietatem et culpam io ministerium oostrum coniicieudi, quod tamen in eonseieotia propria reprehendere oou possunt, comminisci. Habebunt igitur iudicem Deum, quem ot Dominum et servatorem suum agnoscere volnerunt. Quid vero adhuc sustinueruot, ut metum causentur? Sc. apnd eos plus possunt homines, quam Deus? et sua ista prudeotia eludent iudicium Dei? .... Leothium admoneto, oe communicatione eonsiliorum se faciat participem peceato istorum. Maior est habeoda Dei, quam hominum ratio. In eaeteris oon recuso, ot operam suam locat iis, io quorum ministerio versatur. Sed in causa religionis opprimeodae oe ioteresse quidem istorum consiliis ego velim, nedum ut eorum minister ullo modo esse velim. Bremâ III Cal. April. (30 Mart.) 1550.

[1]) Thomas Bramius, ad min. Eccl. Emd. voc. a°. 1542, obiit 23 Maii 1553. Cf. I. I. Harckenroth, *Emd. Herderaat*, p. 5. [2]) Sc. aulicos.

N°. 63. [Meiners, Oostvr. K. G. I, 317, Gerd. a. a. Bb, 650.]

Ad Ministros Emdanos [1]).

Ita mihi iter huc menm e Brema maturaodum erat, Fratres in Domino charissimi! ot in meo illinc abitu ad vos scribere oon potuerim. Nuoo vero etiam celerius opinione mea solvendum hinc mihi erit. Facere tameo non potui in ista etiam festinatinue mea, qnin ad vos vel raptim scriberem vobisque ot fratribus meis dilectissimis per hasce literas meas pauois valedicerem, et me vestris ao Ecelesiae nostrae precibus officiose commeodarem.

Neque tameo me ita vnbis aut Ecclesiae nostrae valedicere putetis, quasi oon amplius de vnbis Ecclesiaque istio nostra cogitem. Curam ac sollicitudinem pro vobis, fratres mei! proque nostra Ecclesia pooere ooo possum, neque volo, dum vivam. Et vos oro, ot quantum maxime potestis in officio vestri ministerii et ipsius benignitate persistatis, cootineotes Ecclesiam nostram in officio, adhortautes illam ad constantiam confessionis, et omnem tolerantiam cum mansnetodine et gratiarum actione. Atque utinam id Dominus oobis largiatur, siquidem hoc ad gloriam illius faciat, ut una istuo rursum omnes esse possimus, oeque ego plane diffido adhue id fieri posse. Non enim est futura diuturna haec istic mutatio, quandoquidem Deus brevi pudefaciet correctores istos in eonsiliis ipsorum.

Nicolaus Buschoducensis [2]) nihil mihi respoodit ad meas literas, quarum alioquio exemplum nondum rursus a vnbis accepi, et vehemeoter illo egerem. Puto quod et D. Aepinus [3]) ad ipsum scribet. Curabo tamen ut

Bucerus, Martyr, Bernardinus Seuensis [4]) et Paulus Fagius [5]), una omnes ad illum scribant, siquidem pergat nostram messem invadere.

D. Jacobus Bremensis [6]) testatus est, apud me, sibi consilium Nicolai hac in parte non placere, neque ant se aut symmystas snos, hoc unquam Nicolao suasisse, seque nou bene illi in hac causa ominari.

Et ego, si verum fatear credere adhuc plane non possum, Nicolaum ita esse vel impium vel impudentem ut ita iam per vos et per me admonitus, ministerium meum invadat. Et, si faciat, Dominus illum puniet, ut alii timorem babeant.

Plura nunc ad vos, fratres dilectissimi! scribere non possum. Oremus Dominum, ut misereatur Ecclesiae suae, ita ut videmus perturbatae, nosque in illius ministerio spiritu sancto suo regat ac gubernet, ut olim, cum nostra Ecclesia aggregati, audire possimus optatissimam vocem illam: Venite benedicti Patris mei! gratia et benignitate Domini Regis, Docto:is ac Pontificis nostri Jesu Christi laudandi in secula. Amen.

Salvere iubeo per vos totam nostram Ecclesiam in Domino, meque illius ac vestris simul precibus diligentissime commendo. Commendo item vobis uxorem istic meam cum nostris liberis et oro ut ei officiia vestris ne desitis. Valete. Hamburgae tridno ante Paschatis Anni 1550 [4 Aprilis].

[1]) Th. Bramius, Gellius Faber, Herman. Brassius ministri erant, ad quos data haec ep., ut et ad Ger. tom Camp, Eccl. seniorem. Docet haec inscriptio. [2]) Eius ep. mentionem facit Haackena., *Bibl. Brem.* Cl. VII. 330, ubi haec Lasci verba citat: „*ne invadas meam stationem, ni velis a Deo puniri.*" Mirum est eum ipsam ep. non edidisse. *Nic. Buscud.* frater erat *Henr. Buscud.* Daniae regis Concion. Cf. Bertram, H. Lasci. p. 25 et 273. Gabbema, ep. 31, 44, 45. Hammelm, o. l. p. 1016. Bero, *Ref. d. L. Iul. u. Cl.* p. 110. Goebel, o. l. 1. 404. Ianssen, *Iac. Praep.* p. 237. [3]) De I. Aepino (1499—1553). Cf. Faerraus, o. l. I. 160, Adam, *V. Germ. theol.* p. 243, et A. Greve, *Mem. Aep. Hamb.* 1736. [4]) Sc. Bern. Ochini. [5]) P. Fagius (1504—50), v. Faerraus, o. l. I. 160. Bucer, Martyr, Fagius et Ochinus tunc in Anglia erant. [6]) Iac. Praepositus, cuius vitam a°. 1862 H. Q. Ianssen edidit.

N°. 64. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Iam ante tres hebdomadas hinc solveram, sed ter rursum gravissimis tempestatibus repulsus, adhac febre etiam correptus, coactus huc sum redire cogorque haerere adhuc nonnihil, donec vires rursum utcunque colligam. Video autem, Deum haec ita egisse omnia pro sua misericordia. Nam simul atque huc redii accepi litteras et a tua celsitudine illustrissima et ex Anglia et ab Rege Poloniae quas dudum alioqui expectabam, quae mihi etiam suppe-

ditaot argumentum scribendi ad tuam Celsitudinem, nisi quod valetudo multa scribere non sinit. Sed antequam ad alia veniam primum gratolor tuae celsitudioi de novis nuptiis [1]), et Deum preoor votis ardentissimis, ut eas faustas ac foelices esse velit, largiaturqoe tuae celsitudini eam benedictionem ut videas genitos ex lumbis tuis haeredes tuos, seoectutis demum tuae dulcissimos baculos Ameo. Porro quod ad Gallicum Anglicum et Scotioum bellum attioet, id soribitur oerto compositum esse. Optio est apud filiam Scotiae, ut cum adoleverit possit nubere sive Regi Aogliae, sive Delphino. Quod si nubet Delphino, tum dabitur ipsi Regi Augliae aut filia aut consobrioa Regis Galliae. Interim Angli tradunt Bononiam ipsi Regi Galliae et accipiunt sex ceota millia coronatorum, ut publieatum est. Sed re vera non amplius quam ceotum milia [2]). Caeterum Rex Galliae molitur certo aliquid in Germania per ducem Wirtenbergensem iuniorem, quod qoidem puto tuae Celsitudini oognitum esse. De hoc etiam conveotu Regis Daniae cum Marchione Brandenburgeosi [3]) et oonnullis aliis oon attioet soribere. Ligoa videlioet in silvam ducerem, quod aiunt. Sed iovadendus erat oerto Rex Daniae nisi Deus classem Hispanicam Cesaris mirabiliter dispulisset [4]), qua de re aote hyemem adhuc Celsitudioi tuae uon oihil per Bomelium [5]) sigoificaram. Rex Polooiae ad me scripsit, sed aliud oihil, quam quod testatur, me nihil uoquam apud se contra Cesarem egisse [6]). Noluit [7]) tameo oeque episcopus, oeque Castellanus Cracoviensis eas ipsas litteras mittere ad aulam Celsitudiuis tuae, quod mihi oescio quid portendere videtur, quod celsitudo tua facile secum reputare potest. Et video Regem Polooiae nihil significasse eorum episcopo Cracoviensi, quae mihi per Boianovium scripserat, vultque ut adhoc expectem [8]). Unde oondum prorsus despero, sed tamen iter meum prosequar [9]) volente Domino, ubi paulum modo vires collegero, quas iam (gratia Deo) rursum colligere incipio. Plura iam non possum per valetudioem. Taotum me gratiae Celsitudinis tuae Domino meo clemeotissimo summa cum observantia commendo. Hamburgi 25 Aprilis Anno 1550.

Illustrissimae Celsitudiois tuae
addictissimus servitor
Io. à Lasco m. pr.

---

[1]) Albertus, Prussiae Dux, hoo ipso anno in matrimonium duxit Annam Mariam, filiam Ericis Brunsvicensis. Cf. Hübner, *Gen. Tab.* 1. tab. 180. [2]) Cf. Schlosser, v. b. XIII. 79. [3]) In M. S. tecto nomine scribitur *bāpā*. Dicam, qoo iure in textu *March. Brand.* scripserim. Ioannem, Maroh. Br., inter foedoratos fuisse patet ex opistolis, quas ad d. 1 Dec. 1551 ad eum Londino misit à Lasco. Nunc autem quater aenigmaticum illud *bāpā* in Ep. ad Dnc. Pruss. occurrit (cp. 66 sqq.) et ousquam Marohionis nomen in vicinis apponitur. In op. 5 Ian. 1551 ad Prus-

sine Ducem data diserte foederatos enumerat, quorum unum nota *bäph* indicat et Marchio tamen desideratur. Obiici posset Mauritium Saxoniae quoque a nostro ep. ad d. 1 Dec. 1551 datam accepisse et tamen in foederatorum recensione non occurrere illius nomen. At Mauritium voc. *bäph* indicari non potuit, quoniam in Ep. ad Duc. Prussiae Londini 1 Dec. 1551 data uno tenore nomen *bäph* cum Mauritii nomine coniungitur. Cf. LANGENN, *Kurf. Moritz v. Sachs.* I. p. 467, 9. [4]) Nullibi huius classis vestigium in historia repperi. [5]) Non affirmare ausim, HENRICUM fuisse BOMELIUM, qui, apud Vesalienses diu commoratus, scriptis etiam innotuit. Cf. HAMMELM, *Op. Gen.* p. 160. GERD. *Hist. Ref.* III. 76 et GOEBEL, *Gesch. d. Rh.-Wph. Kirche.* I. p. 433. [6]) Cf. UBB. EMM. *Rer. fr. h.* p. 940. [7]) Apogr. *volunt.* [8]) Sine dubio haec intelligenda sunt de spe, nunquam a nostro deposita, se a Sigismundo tandem tandem in patriam revocatum iri. [9]) Sc. in Angliam.

N°. 65. [Ubbo Emm. a. l. p. 940.]

Ad LENTHIUM.

.... [1]) At vero Deus non illudetur dissipabitque is ut paleas ac pudefaciet etiam omnia ista consilia proculdubio. Hoc videbis. Ego principis vicem doleo, cui alioqui optime volo. Sed cogor tueri dignitatem ministerii mei, quae nunc sub illius nomine, quanquam aliis autoribus, in suspiciones varias vocatur. Putavi igitur mibi admonendam esse ex debito et officio ministerii mei et meas ad illam litteras tibi mitto .... Te vero oro, mi Lenthi! persta in officio et semper memineris illius „usque ad aras." Grave est esse reum corporis et sanguinis Christi. Ab huius vero criminis culpa nemo liberare se poterit in iudicio Dei, qui consiliis ullis adversus Christi Ecclesiam et eius ministerium ita se admiscet, ut ea sibi displicere pro ratione vocationis suae non testetur, nedum ut illis qualemcunque operam suam sciens ac volens locet. Vale. IV Cal. Aprilis (29 Martii) Hamburga.

[1]) Ep. plane periit, his exceptis fragmentis, quae Emmius hist. suae inseruit.

N°. 66. [Ms. Coll. Corp. Christi Cantabrig. n°. 119. Art 35, fol. 103, or. holegr. Gorham, a. l. p. 156.]

Ad BUCERUM.

Valde doleo, quod ne nunc quidem venire ad te cum D. Petro potuerim, vir sanctissime! sed neque tu ipse me nunc abesse hinc velles, sat scio, si rem ut se habet, nosses. Iam enim perendie transigenda est causa Domini ab Heidec, de qua non attinet nunc scribere plura [1]), atque item causa Germanicae Ecclesiae et quidem foeliciter utraque, ut spero [2]). Itaque dabis veniam, quod iam non venio, sed futura hebdomade me habebis omnino. In

novis aliud non habemus, quam paulominus factum esse ut Vintoniensis liberaretur [4]), uuno magnum est de illo silentium et forte loco suu permanebit. Caesar quartadecima Iunii huius Colonia Augustam versus muvit [5]). In mea Polunia turbata sunt umnia, si unquam antea. Habentur et illic Regni comitia, ad quae circiter decies mille equites ex Nobilium duntaxat ordine, ut vocaut, convenerunt resque ad tumultum prorsus spectare omnes videntur [6]). Ita videlicet turbata sunt ubique omnia et nihil usquam tutum. Oremus Dominum ut servet suam Ecclesiam, nosque fideles illius ministros esse velit. Vale, vir integerrime! et me certo futura hebdomade expecta [7]). Lambetae postridie Ioannis bapt. Anno 1550 (25 Iunii).

Tuae praestantiae addictissimus
Io. à Lasco m. pr.

[1]) Sc. Petro Martyre. [2]) Sequens ep. nos docet Dom. ab Heidec una cum Volrade Mansfeldieo comite et I. à Lasco causam foederatorum Principum, qui in Germania reformationi favebant, apud Angliae regem egisse. Cf. Langenn, *Kurf. Moritz v. Sachsen*. I. 460. Hume, *Hist. of Engl.* ed. Paris, p. 357, 65, et Ep. 66. [3]) Ius sacri min. vernaculo sermone instituendi exsules Belgarum nondum impetrare potuerant. Edictum Edw. VI d. est 24 Iulii huius anni. [4]) Gardiner, *B. of Winchester*. Cf. Strype, *Mem. of Abp. Cranmer*. p. 317—26. [5]) Augustam perrexit ad d. 25 Iunii h. a. [6]) Cf. de Comitiis a°. 1550 habitis. Gray, *Gesch. v. Polen*. I. 417. Stan. Orichowsky, *Ann. Pol.* Dant. 1643. p. 131 sq. [7]) Bucerus tunc Cantabrigiae Professoris munere fungebatur.

N°. 67. [Autogr. in Arch. Lond. Eccl. Belg. L. 4. Gard. Nb. 655.]

Ad Ioh. Utenhovium.

Domini nostri Hoperi [1]) adventus est mihi futurus multo gratissimus, quem alioqui cras cunvenire ipse vulebam. Optarim autem et Dominam uxorem [2]) ipsius una adesse, siquidem hoc illi mulestum non esset. Spero enim utrique illurum nostram tenuitatem satisfacturam esse. Caeterum a prandio erit fortassis, quod cum Domino Hopero colloquamur, ita ut nun sit forte commodum futurum alia tractare de nostrae Ecclesiae rebus, itaque putarem melius fore, ut cras ad horam octavam mane in aedibus vestris conveniamus, atque illuc ad vos conveniant olariores utriusque ecclesiae viri, ubi demum, confectis rebus ecclesiae, una cum Domino Hopero ad prandium venire possemus totumque diem reliquum Domino Hopero et eius colloquiis dare. Quod si id vubis non videatur, nou gravabimini id mihi indicare. Si vero ita fieri placeat, ut scripsi, tum nihil opus est indicare quidquam. Nam si nihil huius a vobis hodie accipiam, cras hora octava in aedihus vestris adero, quo et alios collegas meos convocare potestis. (m. Iunii 1550). deditissimus Io. à Lasco.

[1]) Sc. Ioannes Hoperus, tunc Episc. Worcestriensis. V. eius ad L. epist. Parker Soc. o. l. I. 101. [2]) Anna de Tscherclas, v. haud paucas eius epist. Par-

KEA Soc. c. l. 107—115. [8]) Recensui hanc scedulam inter eas epistolas, quas statim post suum in Angliam adventum Lascus noster scripsit, 1°. quoniam de Hoperi adventu ita scribit, ut longum temporis intervallum ab eo abfuisse appareat, 2°. quia de Ecclesia sua constituenda veluti de re etiamnum inchoanda loquitur.

N°. 68. [Ex Arch. Secr. Reg. Region.]

Ad Ducem Prussiae.

Quod post meum huc adventum nihil adhuc scripserim ad tuam Celsitudinem non aliud in causa est, quam quod non prius de rebus omnibus quae ad tuam Celsitudinem pertinerent certior fieri potui, nunc autem factus certior indicare omnia volui Celsitudini tuae. Ac primum exposui Cantuariensi Archiepiscopo petitionem Ducis Prussiae pro mutuanda pecunia, sed is respondit hoc anno id frustra petendum esse propter debita regis Angliae et quia iam [1]) aliis in Brema aliquid datum esset, nempe Comiti Mansfeldico et Domino Heideck [2]). Caeterum si Dux Prussiae et Marchio Brandenburgensis [3]) coniunctim velint favere ipsi regi [4]) Angliae, ut post hunc caesarem habere Imperium possit [5]), tum regem Angliae velle eis non contemnenda auxilia dare ad hunc alterum annum. Haec erat summa responsi quod ad eam rem attinet: nolunt tamen quidquam huius per nuncios agi propter suspitiones, sed per secretas saltem litteras ad nuncios transmittendas [6]). De pace cum rege Galliae nulla est dubitatio, omnia enim ex ipsius sententia sunt confecta. Habet Bononiam, retinet Scotiam usque ad annum XVIII ipsius regis Angliae, ut postea arbitramentorie [7]) res transigatur, et retinet filiam Scotiae, atque pro his omnibus dat sexcenta milia coronatorum; iam dedit quadraginta et adhuc obsides hic habemus pro ducentis milibus: haec certa sunt [8]). De filia regis Galliae [9]) ipsi Regi Angliae danda nihil est conclusum, oblata est quidem ab rege Galliae, sed non prorsus acceptata etc. De Protectore quae ad tuam Celsitudinem perlata sunt, vana prorsus sunt. Est rursum praeses totius consilii regis Angliae primo loco ante omnes, sed propter solam negligentiam duntaxat capiebatur, et quod autoritatem reliqui senatus contemnere videbatur. De Marchione Alberto ne cogitatum quidem est, sed istae sunt technae Caesaris ad fallendum maritimas civitates confictae [10]). Imo vero non est certa spes pacis inter Cesarem et Angliam. Nuper venerat clam ad portum quendam hic in Anglia cum octo navibus ipsius Cesaris Cornelius Scheperus [11]), ut sororem regis Angliae maximam natu, dominam Mariam, furtim abduceret [12]), sed re ad senatum tempori delata mox est prospectum, ut nihil facere potuerit adeoque et vix cum suis navibus aufugerit. Unde demum nova belli occasio expectatur maiorque est nunc hic metus belli cum Cesare quam spes pacis, tantum

abest ut opera Marchionis Alberti rex [12]) Anglie uti velit. Praeterea est huc allatum, in Hispania parari magnam classem missasque eo ab Cesare omnes machinas in Germania pridem acceptas ad instruendam classem illam: hanc classem metuit in se strui Anglia. Sed alii putant contra Maritimas civitates eam instrui, quod ipsum et ego credo. Et metuo ne quid ante hyemem etiam fiat, quod forte non expectatur [14]). Nos hic divino beneficio peregrinis omnibus Ecclesiam impetravimus [15]), cum libertate instituendi ceremonias nostras et disciplinam Ecclesiasticam iuxta verbum Dei et Apostolorum observationem. Huic Ecclesiae me Rex praeesse voluit, itaque nostrum ministerium brevi per Dei gratiam ordiemur. Peragentur sacra omnia lingua Germanica et Gallica, quod hae nationes sunt hic frequentissimae, quibus alii quoque adiungere se poterunt. Et speramus frequentem fore nostram hanc Ecclesiam, quam equidem ita instituere conabimur per Dei gratiam, ut nullis postea mutationibus opus habeat, neque illius institutio facile eos offendat, qui sibi verbi Divini autoritate satisfieri patientur. Alia iam non habemus, nisi quod ego me celsitudinis tuae clementiae totum summa cum observantia commendo et Deum precor ut nobis tuam celsitudinem et eius familiam servet, gubernet et augeat pro bona voluntate sua, ad sui nominis gloriam et Ecclesiae protectionem. Amen. Londini 19 Iulii Anno 1550.

Tuae Celsitudini Illustrissimae Domino meo clementissimo addictissimus servitor IOANNES à LASCO m. pr.

---

[1]) M. S. *eni tam* (notis secretis). [2]) Cf. ep. 65. n. 3. [3]) M. S. biph, de quo supra Ep. 63. n. 3. [4]) M. S. *ipse rex*. [5]) Plane novum est, quod hic tamen fide digno teste ducemur, Edw. VI. imperium Romanum ambiisse. [6]) Cf. LANGENN, o. l. I. 541, et quae infra in vita Lasci prolixius de secreta hac Lasci missione dicentur. [7]) M. S. *arbitram*, in apograph. *arbitramentores;* idcirco et quia praep. *per* in neutro reperitur, conieci quod in textu. [8]) Pax Galliam inter et Angliam publice Londini promulgata est 29 Martii 1549. In articulis hoc tantum discrimen observo, quod vulgo rex Galliae nonnisi 400,000 coronatorum in totum solvisse legitur: Lasco dicit 600,000. Cf. BURNET, o. l. II. 222. [9]) Sc. Elisabetha. [10]) Iam mense Februarii huius anni Dux Sommersethi carcere liberatus et fine mensis Mart. in gratiam apud regem regisque consilium, si Warwickium excipias, restitutus. [12]) Albrecht Marchio Brandenburgo-Kalmbachensis. Rumor, at videtur sparsus erat, eum inter foederatos coöptatum esse, et eventus a. 1558 satis docuit, quantum rumor ille efficax esset ad maritimas civitates terrore percutiendas. [11]) Cornelius Duplicius Schepperus, Caesaris a consiliis rebusque maritimis praefectus. Cf. vitam eius a Barone St. Génois conscriptam o. l. [12]) Maria, posthac regina, quae satis dure custodiebatur ob Cath. rel. amorem. Commemoratur expeditio illa Schepperi BURNET, *H. d. l. Réf. en Angl.* II. p. 261. [13]) M. S. *regi*, [14]) Classis illa hoc anno neque in Angliam neque in marit. Germ. civitates missa est. [15]) Per edict. dat. 24 Iulii.

N°. 69. [Gerd. s. a. Hb. 653. Gorham, Vers. Angl. p. 221.]

Ad Hardenbergium.

Ita accidit, ut simul abitum adornaret hic vir, qui has perfert, et ego de eius abitu intelligerem, itaque tempus non permittit multa scribere. Res illas recte curatas esse gaudio, quemadmodum ex acceptis tuis et alterius literis accepi, tametsi sero et fractis sigillis ad me pervenerint. Sed id factum non est culpa eorum, qui illas transmiserunt, sed nostrorum, qui hic sunt etc. [1]).

De panno Anglico in Frisiam meam mittendo miror, quod ad me scribas, cum scias hoc non esse mearum partium: deinde scis, hoc genus mercium non omnibus patere posse. Proinde nihil hic respondere possum. Caeterum si mei Phrisii mercatum pro panno aliquem facere velint, scribant ad mercatores ipsos et non mihi committant etc., tamen polliceor meam operam, quantam omnino impendere possum [2]).

Audimus vos istic moliri aliquid, cogi milites, equites, pedites et quid non? precamurque bene vobis in Domino, sed vellem ut frequenter ad nos scriberes, aut scribi per illos nostros curares, ut gratitudinis specimen appareret etc. Audimus praeterea de itinere eorum, qui sunt iam in mari. Et interesset mea, scire omnia, ut nosti [3]). Deinde a .... Et nisi id fiat tempori, postea dici poterit illud ....

Nobis iam hodie datum est reipsa templum hactenus promissum, ut illud habeamus, possideamus et gubernemus [4]). Igitur Dominus adsit nobis per spiritum suum. Aliud templum habent Galli, in eodem nobiscum ministerio [5]). Et iam habent ministros cum ministerio ipso. Nos egemus ministro et hactenus exspectavimus aliquos e nostris, sed gaudemus vos illic permanere [6]). Cuperemus tamen aliquem pium et doctum etc. .... non petit ille quem nosti, neque vult omnino. Itaque fac sciam, quid sit agendum, sed ego cogitavi pro iis rogare ut .... uti ipse vos .... [7]). Et ad iuvandam Ecclesiam Germanorum, quae multis revera eget etc. quare tu fac tuum officium. Vale, nam plura non possum. Saluta salutandos omnes. Commenda nos omnibus atque iterum vale.

Londini 12 Decemb. Anno 1550.

Phrisios collegas nostros ex me saluta quaeso et indicanda indica.

Manum nosti.

---

[1]) Hauddubie haec respiciunt secretam Lasci missionem, quam Bremae Hard. curandam commiserat, ubi tunc Comes a Mansfeld degebat. [2]) De his plura v. Ep. 77. [3]) Cf. Sleid. l. XXII. p. 211. *Is* (sc. a Heidec) *et Albertus Mansfeldius apud vicinas civitates, quae maritimae dicuntur, copias conscribunt, ut Magdeburgicis essent auxilio.* [4]) Templum belgarum in Austin-friars. [5]) Templum Gall, tunc temporis erat in Thread-needlestreet. [6]) Exspectaverat ob furias interimisticas. [7]) Hiatus tam frequentes Gerdesio debemus, qui nimis obscure scripta decifrare non potuit.

N°. 70. [Ex Apogr. ed. 1551, quam Bibl. Dublin. asservat.]

Ad EDWARDUM VI.

Epistola dedicatoria Confessionis Ecclesiae Peregrinorum, quae Londini colligebatur.

Legitur ed. nostr. Tom. II. p. 287—292.

N°. 71. [Ex Arch. secr. reg. Regiom.]

Ad DUCEM PRUSSIAE.

Ternas a tua Celsitudine litteras eiusdem argumenti accepi, ex quibus video scripta mea ad tuam celsitudinem aut non pervenisse, aut serius quam oportuit venisse. In quibus ego alioqui plene de omnibus perscripseram ad Celsitudinem tuam, quaecunque ad causam videbantur pertinere. Repetam autem paucis omnia, si forte priora scripta interierunt. Petii quinquaginta milia talerorum ad triennium [1]) sub certa aliqua cautione. Responsum est hoc anno id non potuisse fieri propter debita Regis Angliae et datum auxilium maritimis civitatibus per Comites Mansfeldicos. Deinde ego video promptiores multo esse Anglos ad danda auxilia etiam maiora foederatis simul omnibus, si id unanimiter ab illis petatur, quam id [2]) uni tuae Celsitudini mutuo concedere quod postulavi. Praesertim si res omnium litteris una subscriptis non autem per nuntios, et quidem secreto id petatur. Sed de hoc in tempore cogitandum esset. Foederatos voco Marchionem Brandeburgensem [3]), Duces Pomeraniae, Ducem Prussiae, maritimas civitates et forte Regem Daniae. Cuperent enim Angli cum istis coniuncti esse, sed volunt rogari. Habet breviter repetita omnia celsitudo tua, quae ad causam ipsam faciunt, quaeque antea significaram. Hic nihil habemus nunc novi, nisi de instituta ad Maium Concilii continuatione Tridenti, in quo quid sit expectandum facile est Divinare [4]). Nos hic Divino et Regio beneficio iam instituimus Germanicam, Gallicam et Italicam Ecclesias edidimusque unanimem illarum confessionem [5]) quod ad doctrinae praecipua quaedam capita attinet, quam et Vestrae Celsitudini adiunctam hisce litteris mitto in hoc anni novi initio, quem tuae Celsitudini et toti adeo Christi Ecclesiae faustum ac foeliciem toto pectore precor, et me officiaque mea tuae celsitudini summa cum observantia commendo. Londini pridie Epiphaniorum Anno 1551. [5 Januar.]

Illustrissimae tuae Celsitudini addictissimus servitor

IOANNES à LASCO.

[1]) *ad triennium*, ex altero apogr. addidimus. [2]) M. S. *si*, apogr. *ut*. Rescripsi *id* ex coniectura. [3]) M. S. bāph, v. supra Ep. 63, 67. [4]) SCHLOSSER, v. belg. XII. 184. [5]) Habetur illa conf. Lasci Op. II. 292.

N°. 79. [Autogr. in Scr. Tigur. Gerd. II[a]. p. 467. Vers. Angl. Gorham. 225.]

Ad BULLINGERUM.

S. Iam ter ad te scribere volui, ex quo huc veni, vir sanctissime et frater in Domino observandissime! sed nunquam literas absolvere prius potui, quam illi iam abirent, qui eas perferre debebant, nunc vero committere amplius nolui, ut qui nunc se mihi obtulit nuntius, sine meis ad te literis hinc abiret. Est enim vir pius et vestri studiosissimus, quales hic non paucos habetis. Multa autem mihi ad vos scribenda essent: sed neque est tutum, neque tempus patitur scribere omnia. Istud autem imprimis a vobis istic omnibus peto, ut, quae ad te scribo, ea ad vos pariter omnes scripta esse putetis, qui simul in eodem ministerio collegae estis, nam revera non potui ad singulos scribere. Primum igitur ago gratias Domino Deo nostro, quod Regnum Filii sui per vestrum ministerium istic provehat atque illustret, gratulorque ex animo vestris Ecclesiis de inducta consensione illa doctrinae inter vos et D. Calvinum in re Sacramentaria, et spero plures in dies illi subscripturos etiam esse [1]). Nos hic eandem doctrinam sequimur, etiamsi aliis quandoque verbis illam exprimamus, et brevi, si Dominus volet, nostram omnes confessionem unanimiter edemus [2]). Quin et de Saxonicis quibusdam Ecclesiis optima quaeque nobis hac in parte per Dei gratiam pollicemur. Nos hic Dei et Regis nostri beneficio instituimus Germanicam et Gallicam Ecclesiam publicumque verbi ministerium duobus locis Germanica et Gallica lingua habemus. Nunc de puro, quoad eius fieri potest, Sacramentorum et disciplinae usu tractatur, quem nos brevi habituros per Dei gratiam esse speramus. Ecclesiam porro ita colligimus, ut qui in illa censeri velit, editae per nos confessioni [3]) nostrae subscribat, ut totius Ecclesiae nostrae nomina in catalogo habeamus. Eius porro confessionis nostrae aliquot exemplaria ad te transmitto, ut nostrae doctrinae rationes cognitas habeatis. Vellem autem et D. Calvino unum a vobis transmitti, cui nostra omnia alioqui probari cupimus, atque illius ad Dominum precibus ministerium hic nostrum commendari. Iam vero et Itali suam habebunt Ecclesiam, quibus et templum iam et Minister peculiaris ordinatus est, vir et pius et doctus, et singulari dicendi gratia praeditus, proque Christi gloria plurima passus [4]). Germanorum ministri sunt Gualtherus Deloenus, Regis demortui olim biblioscopus [5]), et Martinus Flandrus [6]), inter vos aliquandiu cum D. Hoopero ni fallor versatus [7]), de quo nobis omnes maiorem in modum gratulamur propter hominis candorem simplicitatem eruditionem et pietatem. Galli habent Franciscum Riverium [8]) et Richardum [9]), bene doctum utrumque et elo-

quentem. Breviter est, quod Divinae benignitati omnes unanimiter gratias agamus pro tanto illius beneficio gratitudinemque nostram nostra resipiscientia et mutuis caritatis officiis attestemur, et oremus diligenter, ut, quod ita hic orsus est Dominus, pro ineffabili sua misericordia, hisce potissimum afflictissimis temporibus, id ut provehat ad finem usque addatque nobis Spiritum suum Sanctum, qui nos nostraque consilia omnia in nostro ministerio regat moderetur ac prosperet, ut Regnum Filii sui dilecti per nos propagari illustriusque reddi possit ad gloriam nominis ipsius, salutem nostram et Ecclesiae suae aedificationem, Amen.

Sensimus iam conatus Sathanae undiquaque nostrum institutum perturbare conantis, adeo ut res ad scissionem Ecclesiarum propemodum spectaret [10]). Sed Dominus iam furias illius compescuit utcunque, et posthac speramus meliora. Iam finem cogor facere propter obruentia me negotia. Opto itaque cum nostris omnibus, vos istic omnes observandissimos nobis praeceptores et fratres recte in Domino aggre et optime valere, una cum tota Ecclesia vestra, cuius nos precibus officiosissime commendamus. Londini VII Ianuarii 1551.

Tuae pietati ex animo addictissimus,
IOANNES À LASCO.

---

[1]) Consensus Tigurinus a. 1549. [2]) Quae de Confessione dicit, intelligenda non sunt de *Conf. Lond.*, quae initio huius anni iam in lucem prodierat. De *Sacramentis* ad B. scribit, quae, in *Conf. Lond.* nonnisi levissime tacta, plenius excusse sunt in *de Sacramentis*. [3]) Sc. *Conf. Londin.* [4]) Michaël Angelo Florio. Cf. I. SOUTHERDEN BURN. *H. of for. prot. refug.* Lond. 1846. p. 226. [5]) De G. DELOENO cf. ib. p. 186. PARKER Soc. II. p. 575, 587. [6]) Sc. MARTINUS MICRONIUS, Flandria oriendus. Cf. GERD. *Hist. R.* III. 234 al. [7]) A°. 1548, cf. PARKER Soc. o. l. p. 44. [8]) FRANCOIS PERUCEL, dit LA RIVIÈRE. cf. SOUTHERDEN BURN. o. l. p. 84. [9]) RICHARD VAUVILLE, vulgo GALLUS dictus. Cf. DE BÈZE, *Hist. Eccl.* I. p. 56. [10]) De illa dissensione cf. *Ep. Mart. ad Buc.* GORHAM, o. l. p. 230.

N°. 73. [Autogr. in Ser. Tigur. Gerd. IVa. 169.]

Ad BULLINGERUM.

S. Ex literis, quas nuper ad Martinum Micronium collegam nostrum scripsisti, vir sanctissime! accepi non sine magna animi voluptate, vestra adhuc omnia istic bono loco esse, quo sane nomine Deo nostro gratias agimus immortales, oramusque votis ardentissimis, ut vos istic Deus cum vestris Ecclesis servet et gubernet. Apud nos nihil propemodum novi habemus. De D. Hoperi liberatione puto vos iam audiisse [1]). Est iam in suo Episcopatu [2]) docetque populum sibi commissum. Stephanus Vintoniensis Episcopus suo tandem Episcopatu exutus est adhucque in carcere detinetur [3]); suffectus est in ipsius locum vir doctus et pietati favens Joannes Ponetus, pridem Rossensis Episcopus [4]). Non multo vero post

D. Martinus Bucerus e vivis excessit [5]). Quo mortuo communicavit mecum D. Cantuariensis consilium de advocandis huc aliquot viris doctis. Proposui itaque Musculum [6]), Bibliandrum [7]) vestrum et Castalionem [8]). Ipse vero addebat et Brentium [9]). Sed, cum illum in caussa sacramentaria non consentire nobiscum dicerem, respondit, illum de hac re iam admonitum esse. Ego porro vehementer optarim, vir sanctissime! nos hic e vestris aliquos habere. Musculum enim inter vestros iam numero. Et Bibliandrum symmystam vestrum esse iam olim scio. Datumque est iam negotium per D. Cantuariensem viro optimo Joanni Halesio [10]) ut Musculo et Bibliandro, si venire velint, de viatico prospiceret. Quod si fieri posse putas, ut Castalioni persuadeatur, ut huc se conferat, quaeso te, ut id sciscitari mihique demum indicare velis. Libellus tuus de sacramentis ante triennium ad me missus iam tandem sub prelo est. Ubi ad me cum reliqua Bibliothecae meae parte nuper advectus esset, exhibui illum D. Cantuariensi. Is vero ubi audisset, nondum esse editum, voluit ut ederetur, etiamsi eum non legisset, hoc addens, tua nulla egere inspectione. Itaque propediem exibit. Dicabo illum sorori Regiae, virgini et doctissimae et pientissimae, Elisabethae. Misissem tibi aliquot exemplaria, si absolutus fuisset, sed hac hebdomade futura absolvetur [11]). D. Bucerus orsus erat tractationem de Sacramentis paulo antequam moreretur, sed eam non absolvit. Ceperat et mihi, ut audio, ad mea respondere, sed nihil eorum vidi, optarim tamen vidisse. Quantum vero intelligo, in sua perstabat sententia de Christi [12]) praesentia et reali cum signis vel in signis aut per signa corporis et sanguinis Christi exhibitione. Mittam ad te brevi, quae ad me ille miserat, et quae illi ego vicissim respondi. Nunc quod restat, me et nostram hic Ecclesiam precibus istic vestris diligenter commendo, et fratres omnes collegas tuos salvere officiosissime iubeo, imprimis vero patrem nostrum D. Pellicanum. Oro te, vir integerrime! da operam, ut Musculum hic et Bibliandrum habere possimus, aut si Bibliandrum habere non possumus omnino, ut aliquem e vestris illius loco habeamus. Viaticum illis non deerit neque conditio honesta, modo ut venire non graventur. Raptim Londini x Aprilis 1551.

Tuus ex animo quantus omnino est
Ioannes à Lasco.

---

1) Hoperus in carcere degit 27 Ian. — Mart. 1551. Cf. Strype, o. l. I. p. 311. 2) Sc. Gloncester. 3) Steph. Gardiner Ep. Vinton. Cf. Strype, o. l. I. p. 324. 4) Dr. Poinet, B. of Rochester † 1556. Cf. Strype, o. l. 325. Gosham, o. l. 245. 5) Sc. 28 Febr. 1551. Cf. Gosham, o. l. 257. 6) Wolfg. Musc. tunc Bernae docebat. Iam a°. '48 Cranmerus eum officiosissime invitaverat. 7) Th. Bibl. Tigurae Theol. prof. munus obibat. 8) S. Castellio s. Chateillon Basileae Oporini tunc hospitio utebatur. Cf. Herzog, *Real. Enc.* in voce. 9) Brentius Christ. Wirtemb. Duci min. locaverat. 10) Iohn Hales. Cf. Strype, *Memorials*. 11. 1. 47. Parker Soc. o. l. I. 189 al. 11) V. titulum nostr. ed. l. 465, ut et quae lectu digna de hoc libello annot. Gosham, o. l. p. 246. 12) Ed. Gerd. *pacti*. Rescripsi *Christi* quod pro eius temp. scrib. rat. non multum a *pacti* differt.

N°. 74. [Gerd. s. a. IIb. 678.]

Ad Annam Comitissam.

Illustris ac Generosa Princeps, Domina gratiosa! salutem et officiosissimam servitiorum commendationem!

Quidam ex ipso senatu Regio mecum egerunt, Generosa Princeps! ut nautam hunc, cui literas istas tradidi, tuae Celsitudini commendarem, rogaremque, ut bona, quae ei istic hoc potissimum nomine adempta sunt, quod milites quosdam ante triennium, opinor, ad Regiae huius hic Maiestatis servitia in navi istinc sua advexisset, Tuae rursum Cels. autoritate in gratiam ipsius Maiestatis Regiae restituantur ac liber illi rursum ad sua reditus per tuam Cels. et illius Magistratum permittatur. Posteaquam nihil hinc tuae Cels. denegari unquam consueverit adeoque et peculiarem semper rationem habuerit Maiestas haec Regia Celsitudinis tuae una cum Illustrissimo senatu suo, et proinde non dubitaret etiam, Tuam vicissim Celsitudinem suae isti benevolentiae paribus ut aequum est officiis responsuram esse. Multum vero id videri posse abfuisse a mutuae benevolentiae pensatione, ut quis eo potissimum nomine Tuae Celsitudinis mandato proscriberetur bonisque suis istic omnibus exueretur, quod Regiae huic Maiestati in transvehendis suis militibus officium suum praestitisset. Neque hic praetendi id posse, quod tua Cels. sub eo bello, quod inter Anglos et Scotos tunc erat, neutrarum partium esse volebat. Qui enim neutrarum sunt partium, hi sane ut neutris adiumento esse, ita neutros etiam in rebus ipsorum agendis remorari aut impedire debent, alioqui non sine suspicionibus id fieri, si alterutrum impediri in cursu suo contingat. Haec ita, inquam, voluerunt, ut scriberem ad tuam Celsit. oraremque, ut et bona nautae huius redderentur et proscriptio ipsius aboleretur. Iam scio, me non esse eum, qui hic aliquid tuae Cels. suadere, ne dicam persuadere debeam. Sed cum tuae Celsit. et toti illius ditioni multum debeam, id saltem meum esse puto, ut tuam Cels. praemoneam eorum, quae video posse evenire ex nautae huius occasione, si non et bona illi sua reddantur rursum, et liber ei ad sua reditus abolita proscriptione permittatur. Nimirum dabuntur illi receptacula, e quibus vestratium naves invadet et depraedabitur, si ad regias literas quas habet tua illi Cels. bona ipsius non reddat proscriptionemque aboleat. Ad eam porro rem neque sumptus neque sodalitium est illi defuturum, ut nunc sunt tempora, modo ut receptaculum illi non negetur. Quod equidem quonam evadere demum possit, tua Cels. pro sua prudentia iudicare ipsamet potest. Ego sane iniquam pacem bello iusto anteponerem atque adeo redimerem etiam, nedum ut propter unius nautae bona subditos meos praedae omnium exponerem. Tua tamen Cels. faciet, quod ei maxime videbitur opportunum atque suis utile etiam fore. Ego tamen eorum praemoneo, quae vereor ne eveniant, si nauta hic cum Regiis literis repulsam, ut dici solet, a tua Cels. patiatur [1]). Commendo

me interim Cels. tuae quam possum officiosissime. Commendo et collegas istic meos eorumque ministerium et oro, ut illud perturbari amplius ne patiatur, qua de re brevi plura.

Loudini 17 Aprilis Anno 1551.

Tuae Celsitudini addictissimus
IOANNES À LASCO m. pr.

[1]) De nautae huius fatis nihil in annalibus annotatur.

N°. 75. [Apogr. Bibl. Duc. Goth. A. 405, f. 73.]

Ad CALVINUM.

Dabis mihi veniam, vir sanctissime! quod nunc ita paucis et tumultuarie ad te scribam. Cogor enim iam equos iter ingressurus conscendere. Facere vero nolui ut tuus nuncius sine meis literis ad te rediret, itaque raptim pauca scribere malui quam nihil. Agnosco culpam temere commendati Floriani illius et factum doleo [1]). Sed quid faciamus? credulitate et bene merendi studio peccatum est, et praestat nos hac in parte falli, quam ut parum officiosi simus. Nunc hominis imposturas damnamus, posteaquam illas novimus. Tu pro tua humanitate fecisti, quod non totum id acceperis quod tibi debebatur. Sed me nihil offendisses, etiamsi totum accepisses: imo vero hoc tibi certo persuadeas, mihi fore gratissimum, si te ullo modo per me adiuvari posse sciam, tuque id mihi indices pro fraterna nostra charitate et libertate mutua. De nostra cum Christo in coena participatione tecum sentio, sed quia verba illa „nos fieri aut effici participes" errores plus in se complectuntur quam incrementa participationis, nisi addatur explicatio, et hac dicendi forma usos vidimus quam novam nobis in coenae usu idololatriam invexerint, maluissem clarioribus verbis rem propositam fuisse, quae aliis rursum explicationibus non egerent. Sed hoc levius est. Ego Deo Opt. Max. gratias ago, quod eo rem deduxerit, quo deductam esse vidimus [2]). Plura brevi de hoc, interim vale, vir animo meo dilectissime! Salvere per te iubeo fratres istic omnes, imprimis dominum meum Falesium [3]), cui me officiosissime commendo, et Pharelum nostrum quem alioquin Basileae novi cum essem apud Erasmum. Londini 24 Aprilis Anno 1551.

Tuus quantus est
IOANNES À LASCO.

[1]) Commendationis litterae, quas d. 14 Dec. 1548 ad Calv. dedit eundem Florianum spectare iam ad ep. 51 annotavi. Polonus erat et Rodolphi Gualtheri amicus. Cf. GORHAM, o. l. p. 285. PARKER Soc. o. l. p. 187 et Lasci ep. 46 et 78. [2]) Respicit *Cons. Tigur.* a. '49. [3]) Iacques de Bourgogne, Sienr de Falais, cuius foemina Iolanda à Brederode, ut et frater eius Dom. à Breda satis noti sunt. Exsul Coloniae, Argentorati Basileaeque hospitio usus, tandem Genevae sedem

fixit usque ad. ann. '51. Cf. eius cum Calv. commerc. ep. ed. Amst. 1774. GORHAM, o. l. p. 264. DYER, *Life of Iohn Calv.* Lond. 1850. p. 273, 280. HENRY, *Leben Calv.* III. p. 65. STÄHELIN, *Ioh. Calv.* II. 298.

N°. 76. [Gerd. a. a. IIb, 672.]

Ad IMANNUM ORTZENIUM [1]).

Forte Fortuna accidit, vir ornatissime! ut cum Domino Oliverio, Cancellarii Cliviae Ducis filio [2]) in tui hic mentionem incideremus, cuius ego alioqui pluries meminisse soleo, intellexique res tuas eo loco esse, ut si alio vocareris, vocationem adhuc libere sequi possis. Quod equidem hactenus ignorabam et scire iam pridem optassem. Frequenter enim tui meminimus, imprimis vero cum D. Florentio a Disceto homine tui amantissimo, deque te huc vocando colloquebamur. Sed cum nobis incognitae essent tuae nunc rationes, neque sciremus ubi esses, non potuimus id tibi indicare. Nunc igitur ubi ad te scribendi occasionem nactus essem, facere non potui, quin te literis hisce meis salutarem ut fratrem simulque abs te sciscitarer, num, si a nobis vocareris, venire huc ad nos aut posses aut etiam velis? Ego enim, cognita mente tua hac in parte, rem ipsam Ecclesiae nostrae hic Germanicae proponerem, ut publica illius auctoritate vocareris. Gratum nobis feceris igitur, si nos de tuo hac in parte animo facias certiores.

Faciem ipsam nostrae Ecclesiae Germanicae cui hic praesumus cognosces ex ipsius Oliverii, cui has tradidi, literis, ne nos tibi ipsi nostra laudare videamur, quae tamen nostra non sunt, sed immensa Dei bonitate nobis praeter multorum opinionem concessa. Utque specimen aliquod habeas nostri hic Ministerii, mitto tibi eius doctrinae compendium [3]), in qua et Germanica et Gallica et Italica Ecclesiae colliguntur. Usum Sacramentorum purum ac legitimum brevi per gratiam Dei habituri sumus. Plura nunc non vacat scribere, sed exspectabimus, ut nos de tuo animo facias certiores, idque quanto celerius facere possis. Vale. Dominus te servet, frater charissime! tuaque consilia gubernet et provehat ad sancti nominis sui gloriam et Ecclesiae aedificationem. Amen.

Londini ultima Aprilis Anno 1551. Tuus ille qui et olim.

---

[1]) Imannus Ortzenius, Zelandi cognomine, e pago Ouds Tonge oriundus, (1505—1571), Dusbergâ Vesaliam vocatus huius urbis Eccl. restauravit, donec a°. 1549 ob furias interimisticas in Dithmerschâ feliciorem Eccl. statum exspectavit et a°. demum 1560 Vesaliam rediit. Cf. GERD. *H. ref.* III. p. 179 n. HAMMELM, *Op. Gen.* p. 1016 sq. GOEBEL, o. l. I. p. 405, 411. BERG, *Ref. d. l. Iül. Clev.* Hann. 1826. p. 110. [2]) Cf. HAMMELM, o. l. p. 1016 „*qui* (sc. Imannus) *ibi evocatus ex Dusberga iam antea haeserat apud Cancellarium Oliesleger um.*" [3]) Male Gerd.: *Intelligit Catech.* (s. a. IIb. 674 n.). Conf. Lond. ei misit, quae sub tit. *Comp. Doct.* prodiit Lond. 1551.

N°. 77. [Gerd. s. a. IIb. 674. Gerbam. v. a. a. l. p. 262.]

Ad Hardenbergium.

Dici non potest, mi Alberte! quam mihi doleat panni illa Anglici tractatio, non tam, quod ita turpiter direpti sint, quam quod mercatores ea re ita sunt offensi, ut illos vix audeam intueri. Ego sum coactus syngrapham etiam mercatoribus ipsis reddere, non sine gravi illorum stomacho, qui me nunc etiam torve intuentur. Dicunt, non eo loco pannum distrahendum fuisse, sed alio fuisse transvehendum, et potuisse transvehi, si diligentia adhibita fuisset. Quid multis? Nihil deinceps vestris omnibus panni credetur, tantum abest, ut quidquam omnino amplius tentetur. Tri.... accusatur, quod non suo loco pannos exposuerit. Cum Denkio Tr. accusatur quod [*fraudulenter pannum divenderint*]. Breviter, non video spem ullam obtinendi hic apud mercatores panni amplius ullo modo [*si culpam suam*] non vult agnoscere, neque [*dare pensationem*]. Haec certa sunt. Ita Deus adhuc forte cohibebit istorum furias. Literae [*regiae*] de pendendo panno in usum hominum [*extraneorum*] quinquennio quoque lectae sunt publice contra [*fraudulatores*]. Da[*tae erant*] praesente .... die Mercurii nona mensis Martii Anno 1530. Hoc illic omnibus notum est. Et ne ipsemet eas [*ignoraret aliquis e mercatoribus, eas mihi*] in manus tradidit missas-[*que ad ipsum curavi ipsas*] [1]). Literas per Villherum missas accepi.

Hic magna est librorum advectitiorum copia, sed est summum omnium pretium. Est Calvinus in totum Paulum et omnes Canonicas Epistolas, sunt Bullingeri quinque decades Sermonum utilissimae, et Musculus in totum Psalterium, opus ingens, Calvinus in Esaiam, item de Scandalis, Brentius in Esaiam, Bibliander de ratione temporum. Brevi habebimus Pet. Martyrem in Corinthios [2]), sed haec incompacta non minoris emuntur, undecim taleris iuxta monetae nunc huius elevationem. Gallia nobis plurima Graeca mittit e veteribus Auctoribus Ecclesiasticis. Gallus publico edicto cavit, ne deinceps contra Anglicam religionem in Gallia aut scribatur aut declametur. Haec initia. Quid! si Burlando forte scaramata daretur [3]). Nosti caetera.

De panno ad vos mittendo, dubito, post talem aliorum direptionem, tentabo tamen si videatur, sed mandatis opus est ad mercatores, alioqui non est consilium. Miror Denkium affirmare rem de pannis mittendis per alios coeptam fuisse. Haec gratia scilicet. Tu ipse scis, quid per alios sit praestitum, sed bene habet, mittamus illa.

Andreas Hovemannus [4]) est apud nos, sed ut video ad negotiationem magis quam ad studia propendet. Non esset illi igitur utile esse mecum, alioqui libenter illum in patris gratiam apud me habuissem. Curabo antem ut sit bono loco apud bonum aliquem mercatorem Anglum, ut et linguae huic et negotiationi assuescat.

Mitto tibi Buceri Epitaphia et narrationem de morte eius. Nihil est ab illo editum. Caeperat tractare rem sacramentariam, sed non absolvit. Me-

cum egit scriptis, quae forte utraque prodibunt, et tandem ad me scripsit, se assentiri doctrinae meae, quam in Frisia reliqui. Mitto tibi libellum quem hic edidi de sacramentis, cui est adnexa mea vetus quaedam eadem de re Epistola, quam tu nosti [5]). Mitto et Domino Iacobo [6]) et Domino Danieli [7]).

Cantuariensis meus nonnihil languet ex pruritu, neque hic est. Domus ipsius in qua nunc est septem hinc millibus passuum una cum toto pago gravi terrae motu concussa est hoc die Lunae praeterito, nempe 25 Maii, libri omnes e thecis in terram decidebant, fenestrae omnes fractae, sed domus tamen salva permansit. In pago tamen aliquae domus corruerunt, duravit fere terrae motus duabus horis ab hora prima pomeridiana usque ad tertiam. Redditus est illi Eberi libellus [8]), sed nihil adhuc respondit. Et ego illum nunc convenire non possum, videbo tamen, si quomodo responsum ab illo habere possim. Mitto tibi Catechismum Flandricum nostrae hic Ecclesiae [9]). Non vacavit exemplaria legere, nedum compingere libellum, tamen D. Danieli in scriptum correxi, ex hoc corrigetis reliqua. Hunc alterum fasciculum rogo Emdam transmittas ad D. Quaestorem [10]). Vale.

Londini ultima Maii. Mea languida vos salvere iubet. Videtur in hecticam propendere. Vale. Anno 1551.

---

[1]) Ex coniectura haec restitui. V. decretum illud regium in *The Statutes of the Realm*. Lond. 1817. vol. III. p. 388. ch. 1. e°. Henr. VIII 22° dom. 1530 „that no mañperson in any wise after the firste day of Marche nexte comying shall bye or bargayne any manner of wolle within this realme for any merchant strañger, nor take any permyse of bargayne or sale of any wolle for any merchant strañger." Cf. de panni Angl. apud Emd. mercatu BRENNEISEN, *Ostfr. Hist. u. Landesverf.* T. I. B VI. § 12. p. 287. [2]) Prodiit Ian. 1552. [3]) Coniici posset, an forsan *scacamata* scriptum fuisset? *Scacamatam dare* quid esset lusiores latrunculorum amat non facile fugiet. *Burlandi* nomen frustra ubique quaesivi. [4]) De Hovemanno cf. ep. 79. [5]) Sc. BULLINGERI *de sacram. tract.* cui ep. Lasci annexa erat, quam reperies ed. nostr. I. p. 465 sq. [6]) Sc. I. Praeposito. [7]) Daniel Burenius posthac apud Bremenses Consul. Cf. GERD. s. a. IIb. 676. [8]) P. EBERI (1511—69) *Calendarium historic.* Viteb. 1550. Cf. GRÄSSE, *Allgem. Litt.* V. 1084. [9]) *Catech. Lond. maior.* [10]) *Herm. Lenthius.*

N°. 78. [Autogr. in Scr. Tigur. Gerd. IVa. p. 471. Gorham. v. s. 261.]

Ad BULLINGERUM.

S. Scripsi non ita pridem ad te per Doctorem Brunonem [1]), qui se literas Argentina ad te transmissurum esse pollicebatur. Deinde et libellum ad te tuum de Sacramentis, quem ante triennium ad me miseras, et nunc demum quintae decadi tuae inseruisti per manus Domini a Breda, fratris Domini Falesii [2]), ad te misi, hic me autore, sed valde incorrecte excusum.

Non putaram enim, te istic illum editurum esse, cum tanto tempore apud me praeter meam interim voluntatem delituisset. Adieci illi unam e meis epistolis eadem de re ante sex annos scriptam, ut doctrinae consensum attestarer, neque dubito, tibi haec omnia reddita esse. Quod ad domesticum Coenae dominicae usum attinet, nos hic a vobis, ut puto, non dissentimus, sed docemus vobiscum in coenae usu publicum coetum et publicam Ecclesiae convocationem requiri, siquidem id fieri possit. Sed, cum aut non licet aut non est ex usu publico Ecclesiae publice in unum convenire toti Ecclesiae ad coenae usum, non negamus Coenae usum aliquot fratribus illum postulantibus et privatim convenientibus, exemplo Apostolorum panem per domos frangentium, modo ne ulla adhibeatur superstitio, et privatus ille eiusmodi usus non remoretur neque obscuret publicum illius usum illum in publico totius Ecclesiae coetu. Alioqui Paulum hic protinus et nos audimus „An non habetis domos ad edendum" absitque ut nos, quod dominicum est, ut inquit Chrysostomus, privatum facere velimus.

Quod ad Florianum [3]) illum attinet, vehementer doleo, te quoque in eorum numero esse, quos ille pios et sanctos viros hypocrisi sua fefellit. Facilius fero quod me fefellit, sed quod ad fallendos alios meo sit abusus nomine, denique et mea manu, id mihi magis dolet, quam ut dicere possim. Quod vero te quoque circumvenerit, omnium maxime ut verum fatear doleo.

Ego vero iam a biennio et amplius nihil ab illo accepi, neque ubi sit scire possum, aliudque non suspicor, quam quod se alicubi in antrum forte monasticum detrusit, tametsi neque huius quidquam scio. Ex mea patria nemo quidquam de illo ad me scribit, ut illic eum esse, plane non putem. Sed, etsi ubi ille sit prorsus nesciam, neque quidquam ab illo aut mihi aut tibi aut aliis etiam expectandum esse credam, ego tamen, posteaquam in nominis mei gratiam tantum in illum beneficium contulisti, magnam tibi habeo gratiam, et in me id totum abs te pro tua virtute collatum esse putabo daboque operam, ut sub nundinas Francofordienses tibi, vir sanctissime! satisfiat. Nolo enim, ut tibi fraudi sit etiam fucus ipse mei nominis, tibi, inquam, quem ego non alio quam patris loco amo veneror et colo. Quintam tuam Decadem non licuit hactenus revera totam perlegere, sed quae legi omnia placent, et pro donis in te collatis gratias ago Domino Deo nostro.

Quae Bucerus ante mortem de re Sacramentaria mecum egerit egoque illi responderim, nunc non habeo: sunt enim apud D. Cantuariensem, qui nunc hinc abest [4]). Ubi rursum habuero, descripta ad te transmittam. Miraberis, sat scio, ubi perlegeris. Scripsi ad te nuper de Musculo, Bibliandro et Castellione, si quomodo induci possint, ut huc veniant. Idem vero et nunc optarim, sed audio, neque Musculo neque Bibliandro nostro licere, ut hoc faciant. Ego sane optarim illos adesse, sed, si id fieri non potest, saltem da operam, quod in te est, ut Castellionem et Coelium Curionem [5]) hic habere possimus. Si de illorum animo hac in parte certior

essem, curarem ut et viaticum illis daretur et honestam demum hic conditionem haberent. Cuperem nos plurimos esse qui idem in Domino sentiremus et doceremus. Domino à Breda, fratri D. Fallesii, dedi quaedam in mandatis ad te et ad D. Calvinum, credes igitur aut alteri illorum aut utrique. Vale, frater in Domino dilectissime! et me quaeso apud fratres, quod non singulis scribam, imprimis vero apud patrem nostrum D. Pellicanum excusato. Deus Opt. Max. servet et gubernet vestras Ecclesias vestramque istam mutuam consensionem per Spiritum suum provehat et corroboret ad nominis sui Divini gloriam Amen. Dominus noster Hoperus strenue suo munere fungitur. Nostra etiam Ecclesia gratia Deo! multiplicatur, non tamen sine magna Pharisaicorum reluctatione. Iterum vale. Londini VII Junii 1551.

Tuus quantus est
IOANNES à LASCO.

---

[1]) Dr. Bruno commemoratur LANGENN, *Kurf. M. v. Sax.* I. 469. [2]) Cf. ep 75 n. 3. [3]) Cf. de impostore illo ep. 51 et 75. [4]) Etiamnum haec supersunt et m. s. asservantur in Corp. Chi. Coll. Cambr. 113. f. 391—407, quorum in vita Lasci fragmenta quaedam dabimus. [5]) Coel. Sec. Curio (1503—1569) tunc Basileae eloquentiam docebat. Cf. PARKER Soc. o. l. p. 85, 595.

N°. 79. [Gabbema, o. l. 500 sq. Gerdes, o. l. IIb. 656 sq.]

Ad CRANMERUM.

Oro te per Christum, Reverendissime Domine! ne offendaris mea ista, non sane temeritate, id novit Dominus in cuius conspectu sumus, sed potius sedulitate quadam probandi tibi nostra omnia, ad quam me alioqui et candor tuus tuaque rara haud dubio humanitas invitat et mei etiam ministerii fides plane compellit.

Nollem profecto pertinax videri, ne dicam temerarius aut capitosus, sed nihil dubito quin videas, fidem mei ministerii hoc omnino flagitare, ut in nostra hac Ecclesia pleno, non autem mutilo ministerio iam tandem fungamur, post eam praesertim Domini quam nuper sensimus admonitionem.

Si quid peteremus ad nostram gratiam, esset forte cur non audiremur, sed dum id petimus quod nostri ministerii fides in nobis requirit quodque a pio et Christiano Magistratu negari nobis non debere putamus, equidem nihil nobis temere videmur postulare. Imo vero hoc solo imprimus nomine gratam vobis debere esse existimamus nostram hanc postulationem, quod in ea aliud nihil petimus, quam quod Christi Domini eiusque Apostolorum doctrina institutione et exemplo manifeste approbari possit, cum in istiusmodi petitione dubium non sit, non tam nos nostramque Ecclesiam vel audiri vel reiici, quam ipsummet Christum Dominum potius, quem nos potissimum sequi optamus in sua doctrina ex-

emplo atque institutione, utque id nobis per vos liceat summa cum observantia postulamus.

Abs te vero imprimis, mi Domine! petendum id nobis esse videtur, quem nostri alioqui ministerii summum antistitem habemus, quod id non minus tua certe, quam nostra interesse putemus, ut pleno, non autem lacero ministerio in concredita nobis tuis auspiciis Ecclesia fungamur, imo vero quod te omnem nostrae hac in parte negligentiae culpam sustinere debere arbitremur in iudicio Dei, si per nos admonitus officium nobis tuum praestandum non esse putes.

Ostendi autem nostra hac postulatione nullam dari occasionem neque varietatis in cultus Divini observatione neque item offendiculorum aut dissidiorum aut praeiudiciorum, sed viam commonstrari potius omnium certissimam ad tollendam omnem varietatem omniaque offendicula, et quae inde demum dissidia praeiudiciaque nascuntur, nisi si Christum Dominum varietatis offendiculorum dissidiorum ac praeiudiciorum autorem in doctrina exemplo et institutione sua facere velimus, quam nos ante omnia sequi cupimus, et ut nobis id liceat, omni nostro studio postulamus. Alioqui praepostera est offensio in Christo doctrinaque et institutionibus ipsius et proinde in nostra quoque petitione, quae aliud non continet, quam ut Christi eiusque Apostolorum doctrinam et observationem in nostro ministerio sequi possimus. Neque vero tanti sunt facienda semper praepostera haec offendicula, ut propter illa Christi Ecclesiam sub tanta illio cruce praesertim ministerio suo fraudare debeamus.

Videor praeterea mihi etiam ostendisse, nos iustas habere causas, cur et publicum Ecclesiae consessum in Coena administratione optemus et Vestium item illarum usum detrectemus, quibus in vestris adhuc templis uti soletis, atque item vanum esse eorum metum, qui ex nostra erga Deum obedientia pericula nescio quae ominantur. Vana item illorum consilia, qui sua se prudentia manum Dei, quam propter verbi haudduhie sui contemptum — quod in se Sacramentorum alioqui usum etiam complectitur — extentam esse videmus, evitare posse putant.

Hic vero tu, mi Domine! neque in consessus postulatione, neque in vestium detrectatione tibi satisfactum esse dicis, et, posteaquam certum non est, ad quemnam modum Christus Dominus tum ad mensam suam accubuerit cum suis Apostolis, nos etiam de hoc consessu in coenae administratione sollicitos esse non oportere. Rursum, quod ad vestes attinet, cum nullum sit illarum interdictum et publica hic authoritate sint receptae, aequum tibi videri, ut illis utamur potius, quam ut illas detrectemus. Tibi enim persuasum non esse, ut quae in ipso cultu Dei, etiam ab ipsomet alicqui Deo instituto, praecepta non sunt pro interdictis haberi debeant. Et cum res videatur fore mali cuiusdam exempli, si nobis diversae a vestris ceremoniae permitterentur, te adhuc haerere in nostra ista postulatione.

Haec tu, inquam, ita mecum, mi Domine! et quidem ita amanter (quo quidem nomine magnam tibi habeo gratiam) ut me quodammodo ad maiorem

consilii hac in parte nostri approbationem invitare videreris. Id mihi igitur faciendum esse putavi, si quomodo tibi ut patrono et patri meo satisfacere queam.

I. Quodque ad Consessum imprimis attinet, equidem pium magis religiosumque esse puto, ut Christum Dominum nihil tum ociose egisse putemus in tota illa novae actionis suae mysticae institutione, cuius exordium accubitum esse videmus, quam ut illum vel superflue aliquid vel ociose egisse arbitremur, — et proinde neque accubitum ipsius cum suis discipulis ociosum fuisse neque a nobis negligendum esse intelligemus, quatenus assentimur, illum nihil tum superflue aut ociose egisse. Deinde, si negari non potest, Christum Dominum mensae accumbentem accumbentibus etiam suis Apostolis coenam suam administrasse, sic ut accubitus ille a parte totius actionis illius mysticae excludi non possit, quae ratio nos movet, ut eam actionis Dominicae partem ab ipsius institutione in mandato illo „hoc facite" excludere quam includere malimus? Equidem rectius fecerimus, si id mandato huic includamus, quod Evangelistae ipsi in parte actionis numerant, quam si id nulla authoritate nullaque iusta ratione innixi excludamus. Tertio, cum sciamus horribilem esse in Papae Ecclesia Coenae Dominicae profanationem, atque ipsius doctrinam ali confirmarique genuum ista in Coenae usu flexione, quam adhuc plerisque locis observatam fuisse videmus, et nostri officii sit, publice testari, modis omnibus nos ab ea idololatria abhorrere adeoque et illi adversari quantum omnino possumus: nulla vero esse possit aptior testificatio alieni animi ab illa idololatria, quam publicus in coena Ecclesiae consessus, ab ipso praesertim Christi exemplo Apostolicaque observatione petitus, merito illum sane instaurare observareque deberemus.

Nec refert, quod certi non simus ad quem modum Christus Dominus cum suis Apostolis tum ad mensam accubuerit. Usus est procul dubio Dominus vulgari accubitus more, qui tum in usu erat, quemadmodum et Paulus vulgari apud Corinthios more accumbendi usus est, nulla illius nova forma inducta. Si igitur Christo satis erat vulgari Iudaeorum more in coena sua accumbere, si item Paulus apud Corinthios de populari accumbendi more nihil mutavit in coenae observatione, cur nos hic anxii sumus de forma accubitus Iudaici, cum et Christo et Paulo vulgarem tam Iudaeorum quam Corinthiorum accumbendi morem satis fuisse videamus. Neque vero certi, quae panis forma fuerit, sumus, in prima Coenae institutione. Neque etiam Paulus novum panis genus, ne dicam formam, Corinthiis praescripsit, sed, quemadmodum Christo Domino satis erat, eum panem Coenae suae adhibuisse, qui tum apud Iudaeos iuxta ritum illorum cibarius panis erat, ita et Paulo satis fuit eum panem apud Corinthios mensae Dominicae adhibere, qui tum illis vulgo cibarius erat, etiamsi azymum fuisse non constet. Nimirum et Christus Dominus et Paulus non tam solliciti fuerunt de modo ac forma symbolorum in coena, quam ut propositis vulgaribus omnino symbolis (ut eas quaeque gens haberet) animos hominum ad coelestium mysteriorum, symbolis vulgaribus adumbrato-

rum, considerationem excitarent. Praeterea, quid facerent gentes illae, quae neque panem ex ullo frumenti genere habent et vino prorsus carent? An vero illas propter panis azymi inopiam aut vini penuriam a Coena Domini excludemus, donec aut panis azymi aut vini usum habeant? Equidem Christus Dominus, ut est agnus mundi totius, ita totius etiam mundi Ecclesiae victimae suae memoraculum in Coena sua reliquit, neque gentes ullas, quae modo nomen ipsius invocant, a Coenae suae usu propter panis azymi aut vini inopiam excludi voluit, estque illi satis, si mortis memoria quocunque tandem pane aut potu celebretur, modo ut sine ullo contemptu riteque ac decenter omnia [a]) agantur. Ad eundem igitur modum non moratur Dominus, ut in forma aut modo consessus nostri nimium anxii curiosique simus. Satis est illi, si quietem conscientiae nostrae in morte Christi, Sabbatismum inquam nostrum in Christo, consessus nostri recepti Symbolo contestemur ad totius Ecclesiae consolationem, praesertim cum noster consessus perinde est symbolum quietis apud nos, atque apud Iudaeos olim accubitus ipsorum, qualiscunque is tandem fuerit, quietis symbolum erat. Satis igitur et nobis esse debet receptum more publico consessum retinere in Coenae administratione, ut nostram in Christo Domino quietem contestemur, illiusque hoc symbolo admoneamur, etiamsi de forma illius primi ad coenam accubitus certi esse non possimus. Atque de consessu tantum.

II. Iam quod ad vestium detrectationem attinet, in hoc fere esse videtur status causae totius: num cultui publico, ab ipsomet Deo in eius Ecclesia certis ceremoniis instituto, adhiberi aliquid debeat, de quo Deus nihil praecepisset. Hic vero tu, Domine mi! quaedam esse dicis quae sunt praecepta, quaedam vetita, ut quaedam neque vetita neque praecepta. Praecepta igitur observanda esse omnino, vetita item vitanda omnino. Sed quae neque essent vetita neque praecepta, ea sane cultui illi ab ipso Deo instituto libere adhiberi posse, etiamsi de illis nihil praeceptum esse legamus. Proferebas huc Davidis exemplum, qui Cantores in templo olim instituit, de quibus ipsum mandatum aliquod habuisse doceri non possit, et multa alia in eam sententiam proferri posse dicebas. Ego autem pro vetitis habenda esse dicebam in tali cultu Dei omnia, de quibus Deus tali huic cultui adhibendis nihil omnino praecepit. Cui tu quidem sententiae assentiri te non posse respondebas, quod ego unico duntaxat scripturae loco meam sententiam tueri coner, qui interim apud te adhuc dubius esset, tuque illum adhuc excutere diligentius velles, tu vero ad confirmandam tuam sententiam plurima scripturae tum testimonia tum exempla haberes.

Haec ita inquam inter nos sunt acta, mi Domine! nisi me mea alioqui memoria fallit. Iam vero dudum optavi ego, et nunc vehementer optarim, videre rationes et testimonia ex scripturis, quibus tuam sententiam defendi posse putas. Quis enim non libenter ea amplecteretur, quae minorem sustinent invidiam, prae iis quae hominem et odiis et invidia et suspicionibus variis gravare manifeste videmus? Equidem non sum is, qui odio

haberi quam amari, quiquo invidiam sustinere quam benevolentia hominum frui malim. Sed ante omnia id spectandum et mihi et piis omnibus esse puto, quod ad divina praesertim attinet, ne quid nobis permittamus, quod certi omnino non sumus, nos tuta tranquillaque nostra conscientia iuxta verbum Dei facere posse. Ita ego, cum mo non videam tuta tranquillaquo mea conscientia vestes illas in nostram Ecclesiam inducere sub meo ministerio posse, haerere hic cogor tantisper dum meam conscientiam laxari videam Verbi Divini authoritate, qua sola illam et laxari et astringi debere puto. Alioqui si mihi mea conscientia praeter Dei verbum laxanda esset, alibi illam commodius multo laxare potuissem, [3]) sed ago gratias Domino Deo meo, quod me ab eiusmodi laxatione servarit, et oro, ut me deinceps quoque servare adhue per suam gratiam velit.

Ut autem non temere meam hac in parte conscientiam astrictam esse ostendam, adferam tibi, mi Domine! plures quam unam consilii huius mei petitas ex verbo Dei rationes. Illud tamen praefabor, me hic non agere de ritibus iamdudum in aliqua Ecclesia usurpatis, qui, dudum invecti, tolli simul non possunt et proinde aliquousque tolerandi adhue videntur, non sine tamen digna eorum reprehensione, si quando id tempus aut res ipsa postulare videtur, — sed loquor do invehendis in aliquam Ecclesiam novis ritibus praeter Verbum Doi, qui in illa nunquam antea observati fuissent. Redigam autem rationes meas, quas alioqui etiam attigi in nostra postulatione, in certas argumontorum formas, nt res tota clare et perspicuo cognosci possit.

a. Primum antem argumentum ad sententiae meae confirmationem petam ex interdicto Dei illo do non edendo fructu arboris vetitae primis parentibus nostris dato, de quo in nostra alioqui postulatione multa, quo videlicet Deus abunde nobis declaravit, quod nostra potissimum obedientia coli velit. Atque huic interdicto adiungo regulam illam, a Samuele ad Saulem Regem prolatam, gratiorem esse Deo obedientiam in cultu ipsius, quam victimas, ot ex hisce locis, tanquam e fontibus, sic argumentor: 1. Qui in cultu suo obedientiam vult rebus aliis omnibus anteponi, is sane extra praecepti sui fines coli se nolle manifeste testatur. 2. Deus et interdicti illius primis parentibus nostris dati et regulae item a Samuele proditae testimonio, mandati potissimum sui obedientiam vult in cultu suo rebus aliis omnibus anteponi. 3. Ergo Deus extra praecepti sui fines nolle se coli manifeste testatur. — Perinde est autem, sive Deum contra, sive extra fines praecepti sui colere velimus. Obedientiae sane est, nt nos intra praecepti fines contineamus. Est igitur inobedientiae, fines praecepti quoquomodo transcendisse, si extra aut contra illos aliquid faciamus, ut iam vetitum esse in cultu Dei ab ipso instituto intelligamus, de quo nihil praeceptum habemus.

b. Aliud argumentum sumo ex mandato Dei, cuius otiam in nostra postulatione memini, Deut. XII cap., quod alioqui pluries alihi etiam repetitum habemus, „Quod tibi praecipio, hoc tantum facies Domino, non addes quidquam neque adimes.“ Inde vero sic argumentor: 1. Ubicun-

que nihil neque addi neque adimi potest praeceptis traditis, ibi sane praeceptorum fines transcendere nullo modo licet, ut aliquid vel contra vel extra illos omnino faciamus. 2. In cultu publico, ab ipso Deo in sua Ecclesia instituto, neque addi neque adimi quidquam potest praeceptis traditis iuxta hoc Mosis testimonium. 3. Ergo in cultu publico, ab ipso Deo in sua Ecclesia instituto, fines praeceptorum transcendere nullo modo licet, ut aliquid vel contra vel extra illos omnino faciamus. — Est autem certum, Mosem toto eo capite de cultus Divini observatione potissimum agere, quem Deus tum voluit in sua Ecclesia observari.

c. Tertium argumentum colligo ex eodem Mosis lib. cap. XVIII. Ibi loqui aliquid, de quo Dominus non praecepisset, in parte impietatis ponitur, et Propheta qui id faciat morte damnatur. „Propheta", inquit Moses, „qui impie egerit, ut loquatur de quo non praecepit Dominus etc., — moriatur Propheta talis". Inde porro sic argumentor: 1. Quidquid Verbi Divini testimonio in parte impietatis ponitur et capitale esse censetur, id equidem pro vetito haberi oportet in Ecclesia Christi. 2. Loqui aut tradere aliquid sub nomine Domini (in cultu potissimum ab ipsomet Deo instituto) de quo ipse nihil praecepisset, ponitur a Mose in parte impietatis et capitale esse censetur iuxta temporis sui politiam. 3. Ergo loqui aut tradere aliquid sub nomine Domini, de quo ipse non praecepisset, in cultu potissimum ab ipsomet Deo instituto, id equidem pro vetito haberi oportet omnino in Ecclesia Christi. — Nec refert, quod quidam locum hunc Mosis ad rerum duntaxat futurarum divinationes referendum esse putant. Est enim illic antithetica veri Prophetae ad falsos Prophetas collatio, in qua eandem doctrinae generalitatem, ut ita dicam, comprehendi oportet in altera ipsius parte, quam et in priore eius parte contineri constat. Alioqui esset vitiosa collatio. Et cum prior antitheseos pars, qua de vero Propheta (nempe Messia nostro) loquitur, omnes Propheticae functionis partes complectatur, non possunt procul dubio etiam ullae Propheticae functionis partes a secunda antitheseos parte excludi, in qua de falso Propheta tractatur, ut non ille tantum Propheta pro impio sit habendus, qui ventura solummodo pronunciet, de quibus Dominus non praecepisset, sed qui in omnibus etiam Propheticae functionis suae partibus, hoc est, in omni sua doctrina omnibusque suis traditionibus Propheticis, id loqueretur et traderet, de quo nullum a Domino praeceptum haberet. Sed esto, donemus hunc locum de rerum duntaxat venturarum praedictione loqui, adhuc consistet nihilominus desumpta ex illo nostra argumentatio, dum a minore, ut vocant, ad maius argumentamur. Etenim si in rebus venturis praedicendis impietatis damnatur Propheta, qui id eventurum praedicit, de quo nihil praecepit Dominus, tanto sane magis impius erit Propheta, qui de mysteriis Dei salutaribus salutarique cultu ipsius sub eius nomine loquitur sine praecepto ipsius, quanto doctrina de salutaribus Dei mysteriis cultuque ipsius maior excellentiorque est rerum futurarum praedictione. Et certum est, sub nomine Domini doceri aut tradi quidquid ministerii nomine in Ecclesia tradimus aut docemus. Pro Deo enim, non pro hominibus, Ec-

clesiis in ministerio nostro ministramus, quicunque ministri in Christi Ecclesia sumus. Manet ergo firma et immota nostra haec, ex Mosis loco citato petita, argumentatio.

d. Quartum argumentum sumo ex Hieremiae Prophetae Cap. XXIII, ubi multa de Prophetis conquestus ad extremum ait, „Ne audieritis verba Prophetarum, qui vobis prophetant, visiones cordis sui loquuntur et non ex ore Domini." Hic sane visiones cordis nostri vocari videmus quidquid non petitur ex ore Domini. Videmus item vocari et imposturas, dum ait, „Vanos vos reddunt" (vel decipiunt vos aut dementant vos sive imponunt vobis, quemadmodum Vatablus adnotavit) et videmus expressum mandatum, ne eos audiamus, qui non ex ore Domini loquuntur, etiamsi contra os Domini loqui non videantur. Inde vero ego argumentor ad hunc modum, adiunctis ex eodem Prophetae capite aliis praeterea, quae eis ipsis Prophetis attributa sunt, qui non ex ore Domini loquuntur: 1. Nulli Prophetae, qui dementant populum, qui visiones cordis sui loquuntur quique per illas lucem verbi Divini a proximo suo suffurantur, denique qui Ecclesiae Dei paleas pro tritico obtrudunt, audiri in Christi Ecclesia debent. 2. Omnes Prophetae, non ex ore Domini loquentes, dementant populum, visiones cordis sui ipsorum loquuntur lucemque Verbi Divini a proximo suo suffurantur et Dei Ecclesiae paleas pro tritico obtrudunt. 3. Ergo nulli Prophetae, praeter os Domini loquentes, audiri quoquomodo in Christi Ecclesia debent. — Neque hic locus Prophetae ullis interpretationibus eripi nobis potest, quin fontes nostrae argumentationis in eo extent, quemadmodum et in proxime citato Mosis loco Deut. XVIII eos extare diximus.

e. Quintum argumentum deduco ex Dei mandato Mosi dato de cultus Divini observatione, Exod. XXV, cuius alioqui mandati meminit et Stephanus in sua concione, Actor. VII, et Paulus Hebr. VII. „Vide", inquit Dominus ad Mosem, „ut facias omnia secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte". Ad omnes enim Ecclesiarum ministros hoc pertinet, quod hic ad Mosem dicitur, qui modo fideles ministri Mosis exemplo esse volunt. Inde igitur ita argumentor: 1. Ubicunque iuxta praescriptum exemplar aliquod omnia facere iubemur, ibi sane non solum contra exemplar, sed neque extra exemplaris praescripti fines facere quidquam licet. 2. In instituendo publico in Ecclesia cultu Dei sub Mosis nomine iubemur omnia iuxta praescriptum nobis exemplar facere. Exemplar vero est Verbum Dei, in quo nobis Deus cultus sui formam patefecit 3. Ergo in instituendo publico Dei cultu in eius Ecclesia, non solum contra exemplar verbo nobis Divino patefactum, sed neque extra praescriptos illius fines, facere nobis quidquam omnino licebit.

f. Sextum argumentum colligo ex verbis Christi Domini apud Ioannem, Cap. V et VII in unum iunctis. Capite quinto negat Christus, eos posse habere fidem, qui gloriam ab invicem captarent, ac rursum capite septimo, suam ipsorum, non autem Dei gloriam quaerere eos docet, qui a semetipsis loquuntur, et omnes tales mendacii atque iniustitiae accusat, dum illos duntaxat veraces et iniustitiae expertes esse affirmat, qui eius a quo miss

essent, nempe Dei, non autem suam ipsorum gloriam quaerunt. 1. Quicunque in ministerii sui functione suam ipsorum et non Dei gloriam ante omnia quaerunt, cum et mendacii et iniustitiae a Christo Domino notentur, in Christi sane Ecclesia neque ferri neque audiri debent. 2. Omnes qui ab invicem gloriam accipiunt et a semetipsis, non autem ex ore Domini, loquuntur, suam ipsorum, non autem Dei gloriam quaerunt, iuxta hoc Christi Domini testimonium. 3. Ergo omnes qui ab invicem gloriam accipiunt, a semetipsis, non autem ex ore Domini loquuntur, (cum et mendacii et iniustitiae a Christo Domino notentur) in Christi sane Ecclesia neque ferri neque audiri debent.

Horum ego argumentorum omnium fontes attigi in nostra postulatione, producturus plures, si hos satis non fore putassem. Adieci praeterea exempla duo severitatis Divinae in eos, qui adversus hanc doctrinam, non tam contra, quam extra patefacti Verbi Divini fines progrediendum sibi esse putabant, alii in adhibendo igne Divino cultui, de quo nihil Dominus praecepisset, alii vero in anteponendis carnibus pani coelesti, quem eis Dominus in cibum dedisset. Et sane eiusmodi sunt haec exempla, reverendissime Domine! ut eorum commemoratione exhorrescere deberemus, quoties ad observandum aliquid sine ullo verbi Divini testimonio sollicitamur.

Neque hic subsistit commentum eorum, qui Nadab et Abihu propter ebrietatem a Deo punitos esse docent, eo quod vini usus Aaroni et filiis eius interdicitur. Nam et alia multa eodem mox loco Aaroni et filiis suis praecipiuntur, adversus quae peccasse illos oportuerat etiam, si horum duntaxat admoniti fuerunt adversus quae peccarant. Admonitus quidem est Moses tantae severitatis Divinae exemplo ut certas leges Aaroni et filiis eius constitueret, ne facile postea adversus Dominum peccarent, sed caussa punitionis illius in ipso contextu diserte exprimitur, dum legimus, Nadab et Abihu ignem thuribulis adhibuisse, cumque alienum, de quo Dominus nihil praecepisset. Et demus, illos per ebrietatem id fecisse, quod equidem non abs re adnotatum esse fatemur, non ideo tamen efficitur, illos propter ebrietatem potissimum ita punitos esse. Etenim, si ebrii erant, ante iniectionem ignis alieni in thuribula ebrii proculdubio erant. Ante iniectionem igitur ignis puniendi fuerant, siquidem propter ebrietatem potissimum puniendi erant. Nunc, cum non ante iniectionem ignis puniti sint et hanc solam scriptura ipsa exaggeret, fieri quidem potuisse non negamus, ut ebrietas flagitio illi occasionem dederit, atque ideo etiam vini usus sit Aaroni et filiis eius interdictus, sed culpam puniti flagitii praecipuam esse dicimus in ignis alieni iniectione, quemadmodum verba ipsa eius loci testantur, de quo nullum praeceptum extabat. [Lond. m. Augusti 1551][4].

[1]) Ad Cranmerum scriptam esse hanc epistolam, bene vidit Gerdesius. [2]) Gerd.: *omnino*, Gabb.: *omnia*. [3]) In Polonia et Phrisia orientali. [4]) Ad hoc ferme tempus eam retuli, quia sub initio non obscure noster ad pestem alludit, quae medio mense Iulii praesertim vehementissime Londini saevierat.

N°. 80. [Gerd. s. a. II^b. 677.]

Ad Hardenbergium.

S. Literas tuas scriptas septima Iulii, ego hodie primum accepi, mi Alberte! et quidem peregre, hoc est non domi meae, sed apud Dominum Cantuariensem septem milibus passuum a Londino, ita ut ad notulas [1]) meas pervenire non possim, sed neque tempus patitur, ut multa ad te scribam, scribam tamen ut possum. Ac primum, quod ad mercatores pannorum attinet, illi nunc suum procuratorem mutarunt inter sese, et eum constituerunt, quicum mihi nulla intercedit consuetudo. Si tamen Radus noster mandata a vestratibus omnibus habeat mercatoribus, forte aliquid impetrabit, alioqui vix quidquam spero.

Osiandri neque doctrinam, neque institutum probo, quod quidem ad causam iustificationis et editum ab illo libellum in Witebergenses attinet. Est nunc tempus scilicet, unva serere doctrinae dissidia et scholam Witebergensem traducere, per quam universus orbis in Evangelii cognitione profecit! imo, cui Osiander ipse, si quod res est fateri velit, multa se debere negare non potest! Sed haec sunt nostrorum temporum fata [2]).

Dolet audire et Hamburgensium ministrorum inter sese controversiam. Amo certe et veneror D. Aepinum ut fratrem, sed maluissem non fuisse ab ipso motam eam controversiam de poena gehennae per Christum a sua morte gustata [3]).

Comitem Viduam, quam ego adhuc pro mea principe agnosco, gaudeo bene erga me adfectam esse, sed neque ego mihi quidquam adversus illam egisse videor, quo merito offendi possit. Doctrinam nostram nunquam me praesente impugnavit, proinde illam et nunc ab ea probari credo, neque ignoro, quinam sint, qui illam sugillent, sed gaudeo me non alios adversarios habere. Convitiis et maledicentia facile me ab illis superari patiar, caeterum scripturae auctoritate doctrinam nostram nunquam poterunt refutare, sed, etsi Princeps ipsa doctrinam nostram non probaret, non ideo sane minus esset vera, alioqui absit, ut Principum auctoritate doctrinam nostram communire velimus.

Ego nunc publice tracto argumentum Sacramentarium, sine magno Patrum apparatu, sed simpliciter rem iuxta scripturas expono. Videbis forte postea. Apologiam meam remoratus est maxima ex parte Hermannus [4]) noster, qui mutari quaedam voluit, liberius paulo ut illi videbatur scripta. Alioqui summa doctrinae nostrae praeter causam sacramentariam habetur in Compendio Doctrinae Ecclesiarum hic nostrarum [5]), quod hic edidimus et ad te transmisimus. Heic si quem aliquid offendit et me huius quispiam admoneat, conabimur doctrinam nostram tueri, sed tamen et Apologiam edi curabo, saltem quod ad historiam abitus isthinc mei attinet, ubi etiam doctrina nostra de sacramentis inseretur [6]). De Ebero commonefeci Dominum Cantuariensem, indicata etiam tua epistola, sed nihil respondit: submonebo

tamen illum adhuc per aliam occasionem [7]. Quae hic scribuntur sunt fere Anglica omnia, quae si habere cupias, mittam.

Nos hic sudor pestifer paulo minus extinxit. Uxor mea prima omnium illo corripiebatur, postridie ego, ita ut pariter decumberemus, sed Dominus nos servavit. Nunc vero uxor mea in eundem morbum denuo recidit apud Dominum Cantuariensem, ac periculum quidem illud contagii iam evasit, gratia Domino! sed virus adhuc morbi in febrem desiit, qua etiamnum affligitur. Alias ex mea familia nemo aegrotavit.

Andream Hovemannum [8] eo loco constitui, ut melior illi optari non posset: si ad literas propensior fuisset, apud me illum servassem, sed cum diceret, patris sui voluntatem esse, ut se ad negotiationem adplicet, locum illi procuravi quo melior optari non possit. Erat apud me priusquam illi locum procurassem supra duos menses, sed videbam illi non fore utile, ut apud me maneret, posteaquam animum ad mercaturam vult applicare. Breviter, est eo loco, ut si fratrem haberem ea aetate, meliorem ei locum optare non possem. Puto autem ipsummet ad patrem scripturum esse.

Pauuum lineum et farinam missam accepimus gratiamque habemus. Scripsi ad Egidium, uxoris meae fratrem, ut sine mora ad vos pecuniam quam expendistis remittat, et non dubito, quin sit sine omni mora facturus. Iam a scribendo abripior, mi Alberte! Valebis igitur et tuam ex me et mea uxore decumbente salvere iubebis. Raptim [Croydon] [9] 23 Augusti A. 1551.

[1]) Secrete scribendi instrumentum intelligit, v. Ep. 84, male Gorham „my notes". [2]) Lasci de Osiandro sententiam v. in Ep. ad Duc. Pruss. ord. n°. 82, al. [3]) Cf. Arn. Grevius, *Mem. I. Aep.* p. 91 sq. [4]) Hermannus Lenthius, cui fasciculum se per Hardenb. misisse ipse testatus est sub fine ep. 76. [5]) Conf. Lond. peregrin. Eccl. [6]) Numquam haec apologia prodiit, nisi sint Ep. ad Brem. intelligendae. [7]) Cf. ep. 76. [8]) Cf. ep. 76. [9]) Ipse in initio testatur se apud Cantuariensem commorari, quo ob pestem haud dubie confugerat.

N°. 81. [Autogr. Lond. Lansdown MS. N°. 2. Art. 67.]

Ad Cecilium.

Putabam me iam fore liberum a molestiis istis aulicis, vir clarissime! posteaquam causa legati absoluta iam esset [1]). Sed rursum incidit casus quidam, cuius nomine tuam humanitatem interpellare adhuc cogor. Hoc die praeterito Veneris ibat legatus ad navim quandam videndam, in quam se conferre vellet, si commode illic recipi quiret. Ibi nonnihil moratus serius domum redibat inter quintam fere et sextam horam iussitque famulo suo, ut nauclero, quod illum cimba a navi advexerat, solveret. Et videbatur nauclero parvum iniqnumque nauli precium, quod famulus legati dabat: contra famulo videbatur nimium quod nauclerus postulat. Breviter legato

nonnihil longius progresso, inter famulum illum et nauclerum, a verbis ventum est ad verbera, coelo iam obscuro, ut quidnam ageretur, non satis videri posset. Et forte fortuna iuvenis quidam nauclero sese adiunxit famulumque legati pugno in inguine percussit. Is vero demum ita percussus gladio, non evaginato, sed una cum vagina, iuvenem illum in caput feriit. Nunc quia pauci norunt, legatum esse, cuius famulus id designavit, et legatus ipse per laesam partem ad carcerem deposcebatur, adii itaque ego eius loci praefectum — vulgo Contestabilem vocant — et cum illo egi, ne quid praecipitanter ageret. Ila vero postulavit, ut a tua humanitate scedulam aliquam ad Vicecomites Londinenses impetrarem, ut cum ipso mitius agerent. Oro itaque humanitatem tuam, ut eiusmodi scedulam ad Vicecomites habere possim, qua hic Contestabilis apud illos excusetur. Ego vero dabo operam ut eum parte laesa aliquo modo transigatur. Commendo me humanitati tuae officiosissime. Londini 23 Novembris. Anni 1551.

Tuae humanitati addictissimus
Io. à Lasco, m. pr.

[1]) Legatum intelligit, quem foederati Germanici Lond. miserant, nomine *Ioh. Fuss*, March. Brand.-Cüstrin. à secretis. Cf. Langenn, *Kurf. M. v. Sax.* II. 238 sq.

N°. 82. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Litteras Celsitudinis tuae 20 Augusti scriptas ego vigesima prima Septembris accepi. Sum autem vehementer admiratus, quod meae litterae tam sero pervenerint ad tuam celsitudinem, cum is, cui illas tradebam, tuae Celsitudini se familiarem et huc a tua Celsitudine ad Maiestatem Regiam cum falconibus missum esse dicebat. Quod porro ad causam illam, de qua scribit, attinet, acceptis litteris adii mox archiepiscopum Cantuariensem remque illi omnem diligenter exposui [1]). Sed diebus ferme decem plus minus, priusquam litteras tuae celsitudinis accepissem, venerat huc nuncius cum mandatis Ducis Saxoniae Mauritii, March. Brandeburgensis [2]) et Ducis Ioannis Mekelburgensis, et potestate tractandi de foedere [3]). Actumque est de subsidiis pecuniariis, non parvis, quemadmodum non dubito notum esse celsitudini tuae. Itaque Cantuariensis non putabat utile fore ut mentio eius causae fieret, donec ille nuncius absolveretur. Priusquam autem id fieret, intervenerunt turbae gravissimae. Captus denuo qui protector fuerat [4]), captus et Pagetus [5]), capti praeterea tres primarii consiliarii, et circiter quatuordecem alii insigues viri [6]). Quae res nostra omnia plane perturbavit, neque ille nuncius tale responsum habuit quale optabamus, sed res tota dilata est in

aliud tempus. Interim tamen cum optima spe in qua ego nihil omnino dubito, nam ipsemet rex Angliae promovet et sollicitat causam totam et incipit habere eam autoritatem, ut quae ille serio se velle ostendit, negari ei non possint. Sed haec tacenda sunt. Et puto tuae celsitudini omnia nota fore. Iam vero turbatis ita nunc rebus et causa foederis ita suspensa nihil plane video nos posse efficere ullo modo, etiamsi maxime vellemus, et Cantuariensis non putat quidquam tentandum esse in causa Celsitudinis tuae ante foedus confectum, ne et nos nihil impetremus et foedus coeptum impediamus. Quare visum est rem totam differre in aliud tempus etc. Libellum confessionis nostrae gratum Celsitudini tuae fuisse valde gaudeo [2]), nunc sub prelo est tractatio de Sacramentis, quam etiam tuae Celsitudini mittam, simul atque absolvetur. Ecclesia nostra, gratia sit Deo! multiplicatur, in qua publicam iam instituimus disciplinam, non sine maximo fructu multorum. Vehementer autem scire cuperem, quaenam istic turbae sint exortae in doctrina Theologica. Multa enim dicuntur et scribuntur passim, quibus ego credere non possum. Interrogatus tamen a multis, non habeo quod respondeam. Dolerem certe, vera esse, quae dicuntur. Et proinde, summo cum desiderio expecto id, quod tua Celsitudo in litteris pollicetur, nempe ut me certiorem pro gratia sua reddat, quo in cardine res istic theologica versetur. Ingens fama est et iodies magis ac magis litteris multorum confirmatur, Osiandrum nova istic quaedam prorsusque paradoxa dogmata serere, quae nova rursum dissidia pariant. Quin et tuam quoque celsitudinem non omni prorsus ex parte, ut verum fatear, liberant, quod tamen cum bona tuae celsitudinis gratia dictum esto. Putavi vero id tuae celsitudini significandum esse pro mea in illam observantia et fide, quandoquidem video nomen tuae celsitudinis in nescio quas suspiciones vocari, a quibus interim tuam celsitudinem liberam esse omnino et spero et opto. De Osiandri eruditione nihil dicam, qui meam ipse inscitiam satis agnosco, sed ingenium hominis multis et piis et doctis viris suspectum iam olim fuisse non ignoro. Non putassem tamen, illum hoc praesertim ita turbulento tempore novos de doctrina motus excitaturum esse, non admonitis privatim reliquis Ecclesiis, quas Evangelium Christi profiteri et hoc nomine multa iam passas esse, non ignorat. Ut ut autem id se habeat, optarim nomen tuae celsitudinis tragoediis istiusmodi non praetendi, pro mea in illam observantia, quod quidem in optimam partem a tua celsitudine accipi postulo, ut qui nihil aliud hic spectem (id novit Dominus) quam tuae celsitudinis

primum salutem, deinde dignitatem et existimationem [8]). Hic novi nihil nunc propemodum habemus, nisi quod classem Caesaream, quae Maximilianum Ferdinandi Regis filium ex Hispania reducebat, denuo per Gallos in mari mediterraneo profligatam esse aiunt [9]) ipsumque Maximilianum aegre se se periculo subduxisse, amissis interim omnibus thesauris quos secum vehebat, et omni adeo supellectili sua. Videtur bellum indies magis incrudescere. Non desunt tamen qui divinent brevi componendum esse, ut coniunctis demum viribus Papa, Caesar et Gallus haereticos invadant, ipsis scilicet Turcis etiam nocentiors. Venetorum nuncius narravit Regi Angliae, Turcam a Venetis in futuram aestatem postulare tantum commeatum quantum per tres menses ducentis hominum millibus sufficere possit. Quod reliquum est commendo me gratiae et benignitati celsitudinis tuae officiosissime, et Deum oro ut nobis tuam Celsitudinem diu incolumem servet. Londini, prima Decembris. Anno 1551.

Tuae Celsitudini Illustrissimae addictissimus servitor,

Io. à Lasco, m. pr.

---

[1]) Aut simpliciter de nummis mutuandis, aut de petitione quadam intellige, ut Duci Prussiae Consiliarii Angliae Regis titulus cum stipendio deferretur, ut haud ita raro tunc fieri solebat. [2]) M. S. bŭph v. s. [3]) Fuit nuntius ille *Iohan Füss.*, de quo iam ep. 81 n. 1 egimus. [4]) Sommersethus captus ad d. 17 Oct. '51. Burnet, o. l. II. 271. [5]) M. S. *paietus*. Haudubie *Lord Paget* intell., qui brevi post in carcer. coniect. est. Cf. Burnet, o. l. II. n. 272. [6]) Recenset eorum nomina Burnet, o. l. II. 271, 2. [7]) Cuius exemplar miserat, v. ep. 68 et 71. [8]) De hisce cf. Gray, *Gesch. v. Preussen*. p. 619 sq. D. H. Arnoldt, *Kirchengesch. Pr.* V. 12, 2 sq. [9]) Classis Caesarea revera m. Sept. huius anni gallica classe, duce Barone de la Garde, in mari medit. profligata est.

N°. 83. [Ex Arch. Secr. Reg. Berolin.]

Ad March. Brandenburg. et Electorem Saxoniae.

Illustrissimi et excell. principes et Domini, Domini mei colendissimi!

Officiosissimam et diligentissimam mei commendationem! Accepi literas utriusque vestrae Celsitudinis et intellexi ea omnia, quae mihi vestrae Celsitudines pro sua in me gratia exponi voluerunt [1]), egique gratias Domino Deo nostro, quod animos vestros ad suscipiendam curam verae religionis in Ecclesia conservandae sub hac fatali quadam rerum et divinarum simul et humanarum perturbatione excitavit. Oramus etiam assiduis cum nostra Ecclesia precibus, sine ullo interim cuiusquam nomine, ut Deus Optimus

Maximus causam hanc totam provehere et gubernare ita velit, ut in ea agenda nihil aliud quaeratur quam gloria divini sui adorandique nominis, in conservanda Evangelii puritate et Ecclesiarum ipsius pacificatione, quas nunc propter nostram erga Deum ingratitudinem perturbari gravissime misereque affligi et dissipari videmus. Alioqui si quid aliud hic quaeratur, quam Evangelicae atque Apostolicae doctrinae conservatio et Ecclesiarum illam profitentium pacificatio, metuo ne iis ipsis consiliis exitium nobis ipsi accersamus, quibus nos sublevari posse putamus. Neque vero de vestra hic pietate quidquam dubito, sed dum priora exempla in similibus consiliis mecum reputo, non temere mihi huius mentionem facere posse videor, ut aliorum exemplis admoniti nobis diligenter caveamus. Deus non illuditur proculdubio et nomen suum adorandum nostris affectibus praetexi impune non sinit. Quodsi ad conquirenda nobis humana praesidia animam adiicimus, postposita interim cura placandi Dei, quem gravissime offendimus, equidem haud scio an non nostram ipsorum magis, quam Dei gloriam in nostris consiliis quaeramus. Atque utinam tantum adhibitum fuisset haetenus studii ac diligentiae in placando Deo, quantum laboris in quaerendis humanis praesidiis adhibitum fuit, nimirum et doctrinae dissidia fuissent composita, quae adhuc extare in Ecclesiis adeoque et vi augeri indies, ne dicam componi videmus, et disciplinae Ecclesiasticae usum restitutum utcunque iampridem habuissemus, nunc quum et dissidia gliscere, etiam inter restitutas Ecclesias et omnem disciplinae usum negligi, denique et rideri passim videmus. Vestrarum sane partium fuerit, Illustr. principes! dare operam, ut pari studio ac diligentia et dissidia doctrinae omnia ex verbo Dei componerentur, et usus rursum disciplinae legitimus in Ecclesiis institueretur, quemadmodum in quaerendis humanis praesidiis cessandum vobis non esse putastis. Id porro si faciatis, nihil dubito, Deum Optimum Maximum fortunaturum esse coepta et consilia vestra omnia, qui causae et gloriae filii sui in conservando eius Evangelio deesse handdubie non potest. Quid vero hic interea sit actum a die quartadecima Septembris, qua literas vestras accepi, in hunc usque diem, qua item diligentia acta sint omnia et quid ad rem institutam pertinere adhuc videatur, id totum utraque vestra Celsitudo facile intelliget ex eodem ipso homine [3]), a quo ego literas vestras accepi. Quodque ad me attinet, optarim, si ullo modo possim, non dico satisfacere, hoc enim non est tenuitatis nostrae, sed tamen aliqua saltem ex parte respondere vestrae de me expectationi. Et utrique vestrae Celsitudini gratiam habeo, quod me dignum esse iudicaverint pro sua clementia consiliorum suorum benigna et confidenti communicatione [4]), deferoque vicissim utrique vestrae Celsitudini summa cum observantia operam meam studium diligentiam ac fidem pro mea tenuitate et me utrique diligentissime commendo. Londini prima Decembris. A°. post Chr. nat. 1551.

Utrique vestrae Celsitudini Illustrissimae addictissimus servitor,

IOANNES à LASCO m. pr.

---

[4]) Litterae illae credentiales in Arch. Berol. etiamnunc in apogr. asservantur.

Datae sunt 5 Iunii 1551. [3]) Ad d. 6 Sept. Lond. legatus Fuess. pervenit. [3]) Ioh. Fuess. [4]) Cf. de missione illa quae supra in litteris ad Duc. Pruss. et opere ibidem citato Langennii leguntur et in Lasci vita accuratius excutienda mihi erunt.

N°. 84. [Ex Arch. Secr. Reg. Berolin.]

Ad Marchionem Brandenburgensem.

Praeter communia mandata illa, quae et tuae Celsitudinis et Illustrissimi simul Domini Mauritii Ducis nomine mihi exposita fuerunt, accepi quaedam praeterea etiam, quae ad tuae duntaxat Celsitudinis personam ottinebant [1]), et dedi sane operam sedulo ac diligenter, ut res ex sententia confici posset. Sed sub id plane tempus, quo omnia optime absolutum iri sperabamus, intercidit gravissima forte fortuna perturbatio, quae nostros conatus maxima et parte impedivit, quemadmodum id, qui mihi literas tuae celsitudinis reddidit, facile narrabit. Eo tamen res est deducta, ut ego de utriusque causae successu — nempe et communis et privatae [2]) — dubitare non possim, nisi quod nonnihil protracta sit propter causas, quas tua Cels. cognoscet. Et quod ad tuam Cels. attinet, iussus sum bene sperare ac rem in memoriam rursus reducere, mox ut videro turbas quae nunc sunt exortae [3]) aliqua ex parte conquievisse, quae res mihi alioquin iudicium fuit, rem bene adhuc successuram esse, egoque dabo operam, ne quid de mea hac in parte fide et diligentia a tua Cels. desiderari possit. Equidem dudum aliquam mihi occasionem dari optabam probandi studium meum Cels. tuae, quo iom pridem erga illam teneor: ab eo videlicet tempore, quo de animi tui magnitudine et constantia apud Caesarem ipsum declarata quaedam intellexi [4]) et in certa spe fui, fore, ut per tuam Cels. vera adhuc religio istic conservetur et defendatur. Iam vero vanam non fuisse video spem meam et hoc sane nomine Deo Optimo Maximo gratias ago, ac non tuae modo Celsitudini, sed et universae Christi Ecclesiae gratulor, flectoque genua coram liberatore nostro Christo Iesu, ut tuam Cels. eiusque consilia omnia gubernet provehat et fortunet. Ac scio quidem a mea tenuitate nihil eiusmodi praestari expectarique posse, quod tua Cels. dignum ullo modo videri queat. Sed quantulumcunque id sit, cui mea tenuitas ad praestandum ullum Cels. tuae officium par esse possit, id totum ego tuae Cels. summa fide atque observantia diligentissime offero et commendo. Quia vero incidere potest, ut ad tuam Cels. aliquando forte scribam, quod tamen non ab omnibus legi vellem, visum est notulas quasdam formare, quibus tuto omnia indicari et tamen non ab omnibus intelligi possint: eos itaque inclusas Celsitudini tuae mitto [5]). Caeterum illud celare nolui tuam Cels. Illustrissimam, nos non sine maximo animi mei dolore audisse, Illustrissimum Dominum meum Prussiae etc. Ducem, non solum approbare paradoxa quaedam Osiandri dogmata, sed etiam adversus omnes alios tueri velle. Id si verum est, metuo,

ne ea res magno sit futura nocumento coeptae causae, itaque danda erit opera Cels. tuae apud optimum illum principem ut omnium tragoediarum finis fiat, quae alioquin nomen suae Cels. revera graviter infamant [6]), qua de re atque aliis item nonnullis plura, qui has est literas tuae Cels. redditurus. Commendo me iterum atque iterum clementiae Cels. tuae Illustriss. Londini prima Decembris Anno 1551.

Illustrissimae Cels. tuae servitor addictissimus,

Ioannes à Lasco m. pr.

---

[1]) Perspicuum est eum mandata haec a legato Ioh. Fuess. accepisse, v. s. ep. 81 n. 1. [2]) De privata March. causa idem suspicari licet, quod de Prussiae Duce cf. ep. 82 n. 1. [3]) De turbis illis anglicis v. ep. 82 et n. 3, 5, 6. [4]) Intelligit indefessam constantiam, qua liber *Interim* a March. reiectus fuit. [5]) Istiusmodi secrete scribendi instrumento in commercio ep. c. Duc. Pruss. et Hardenb. frequenter usus est. Cf. Ep. ad Duc. Pr. N. 64, 68, 71, 82, ad Hardenb. N. 80. [6]) Cf. Ep. 82, simul cum hac missam.

N°. 85. [Ed. Lond. a°. 1552]

Ad Edwardum VI.

Ep. est nuncup. eius „de Sacramentis" libello praemissa.

Legitur in ed. nostra Tom. I. 99 sq.

N°. 86. [Ex Arch. Lond. Addit. MS. 4277. n°. 4. Strype, Mem. of Cranm. II. p. 390.]

Ad Cecilium.

Tametsi eiusmodi nunc sit valetudo mea in eo luctu meo in quo me Dominus mihi adempta altera mei parte, uxore inquam mea, constituit, ut neque mihi liceat neque etiam magnopere libeat multa ad multos scribere, Vir clarissime! tamen fratribus et amicis id a me postulantibus negare non potui, ut in fratris huius gratiam, qui has perfert, paucis te pro tua in me benevolentia meaque in te observantia interpellarem. Est vir pius et verae religionis studiosus totius Ecclesiae nostrae Gallicae testimonio, cuperetque instituere typographeiam Gallicam in usum earum insularum quae subsunt Maiestati Regiae, ut Anglica, quae ad religionem pertinet omnia Gallice versa pro insulis illis excudat. Hac itaque in parte tuo patrocinio iuvari postulat et a me petiit ut se tuae humanitati commendarem, ut tuis auspiciis diploma Regium in eum usum obtinere possit. Te igitur oro, vir praestantissime! ut illi hac in parte tua autoritate adesse velis, cum mea, tum

vero multo magis promovendae religionis causa. Plura non permittit valetudo. Commendo me tuae humanitati officiossissime. Londini, 24 Augusti 1552.

Tuae humanitati addictissimus
Io. à Lasco.

N°. 87.

[Ed. Lond. Steph. Myerdman. 8 Oct, 1552. Exempl. Asservat Bibl. Menn. Amst. Theol. VI. c. 336.]

Praef. Cat. Micronii.

[Christiane Lector! Minori hoc Catechismo hoc non agimus ut e manibus vestris maiorem illum deponatis, qui in Ecclesia nostra quovis die Dominico serie solet explicari, sed iuventuti potius breviorem Catechismi formam offerimus, quam facilius ediscere queaut, priusquam ad Coenam Domini admittantur. Intelligant igitur parentes, sibi iuxta suum erga Deum debitum incumbere officium, diligenter eum liberos suos docere, qua in re vel sic tamen eos sui quoque memores esse oportebit. Neque enim idcirco *puerorum Catechismus* appellatur, quasi eos tantummodo spectaret, sed quoniam fas esset, provectiores aetate ad unum omnes eum memoria tenere, ad eius normam vitae cursum instituere suosque, quos dederit ipsis Dominus, erudire. Qui igitur inter adultos imbecilliores sitis etiamnum, nolite, vos obtestor, in ignominiae parte habere unâ cum parvulis Christi Christum cognoscere, ne ob destinatam praefractamqne nescitiam reiiciamini in aeternum (Lond. 8 Oct. 1552)] [1]).

Io. à Lasco.

---

[1]) à Lasco belgice hanc ep. conscripserat. Ipsissima eius verba sic habent:

Ian à Lasco tot den Godsalighen Leser.

Christelicke Leser, met desen kleynē Catechismo, willen wy wt uwe handen niet nemen den gronten, die alle sondage ordentliek verklaert wert tot onser ghemeynte: maer alleenliek dye ionckheydt een korte forme voorstellen, de welckē sy te beter van buyten leeren eerse tot den Nachtmale des Heeren toeghelaten werden. So sullen dan de ouders haer ionckheyt hier in (so sy voor God schuldich zijn) neersteliek onderwijsen, sonder nochtans haer seluen te vergheten.

Wāt dese leere wert een kinderleere ghenaemt, niet omdat se den kinderen alleen aengaet, maer om dat deselue een ieghelick mensche eer hy volwassen is behoorde te bekennen, ende daer nae zijn leuen te stellen, ende oock zijn kinderen te leeren. Die dan vulwassen zijnde, hier in noch niet geoeffent zijn, dat ze haer niet schamen mit den kinderen Christi Christum te leeren, opdat ze van Christo om haer opgezette onwetēschap niet eeweliek verwurpen werden.

N°. 88. [Autogr. Lond. Lansd. M. S. II. 94. Strype. e. I. II. 386.]

Ad Cecilium.

Rursum perturbantur quidam e nostra ecclesia tam in maiore, quam in minore Sudwerk, vir clarissime! et carceres illis intentantur, nisi ad suas paroecias veniant. Faciunt autem id non pastores ipsi, sed aediles qui praefecti ecclesiarum vocantur, qua de re cum domino reverendissimo cancellario [1]) heri egi. Et ille iussit, ut cum tua humanitate agerem, ut ipso praesente in senatu hodie a prandio res per tuam humanitatem proponeretur, pollicitusque est, se nobis adiumento esse futurum in senatu, ut mandatum in scripto ad omnes paroecos et ecclesiarum praefectos in Sudwerk et sancta Catharina obtineamus, ne nostri ab illis deinceps hac in parte molestentur [2]). Sed eiusmodi mandatum obtineri oporteret, quod per nos illis offerri, qui nostros molestant, et demum per nos etiam adservari possit, ne deinceps novis rursum mandatis impetrandis, si forte ita incidat, molesti semper et senatui ipsi regio et tuae humanitati esse cogamur. Venturus eram ipse ad tuam humanitatem, sed per gravissimum capitis dolorem profecto non licuit. Mitto tamen ad tuam humanitatem hunc fratrem nostrum, qui est unus e senioribus nostrae ecclesiae [3]). oroque ut illum benigne audiat et absolvat. Commendo me diligentissime humanitati tuae. [Novemb. 1552.]

Tuae praestantiae addictissimus,
Io. à Lasco m. pr.

---

[1]) Peregrini saepius ab officialibus ecclesiae Anglicanae, quorum parochiam inhabitabant, ad Ecclesiam invitabantur: ni adessent, sollicitarentur ad carceres. Praesertim sub initio m. Nov. 1552 Germ. Eccl. membra, qui in Southwark sedem fixerant, gravissimis afficiebantur molestiis, quas praevertere conatus est à Lasco. Cf. Strype, *Mem. of Cramn.* I. p. 341. [2]) Sc. Goodrick, bshp. of Ely. [3]) Haud-dubie Utenhovius.

N°. 89. [Ex Arch. Lond. additional M. S. 8°. 21524. f. 69.]

Ad Regem Poloniae.

Sacra Maiestas Regia et Domine, Domine Clementissime! Perpetuam fidei et observantiae meae commendationem!

Etsi scio meam commendationem plus forte invidiae istic, quam gratiam habituram esse sub hac temporum nostrorum iniquitate, Serenissime Rex! atque ipsemet potius aliorum istic commendatione egeam, quam ut alios commendandi partes mihi quoquomodo sumam, qui praesertim tot iam annos istinc abfuerim et vix sim notus tuae Maiestati, praeterquam in pueritia ipsius, tamen inhumanum esse putavi, nolle agnoscere apud tuam Maiestatem

collata hic in me hominem ignotum ac peregrinum beneficia, atque eorum commemoratione illorum quoque benevolentiam atque officia praedicare, qui me hic hac mea peregrinatione pro sua virtute atque humanitate adiuverunt. Equidem gratitudinis officia vel hostibus ipsis probari solent, nedum ut ego ingratum id fore putem tuae Maiestati Regiae, si et collata hic in me beneficia et eorum qui me adiuverunt officia apud illam agnoscam ac praedicem, ad contestandam gratitudinem meam quam alioqui in me desiderari nollem. Quodque ad beneficia ipsa in me hic collata attinet, ea notiora sunt iam quam ut longa oratione egeant, siquidem ego, alibi contemptus atque invisus, hic vero homo, ut dixi, ignotus ac peregrinus, ita interim sum acceptus per gratiam Dei, ut Regis pientissimi beneficentia et gentis adeo totius humanitate adiutus, non solum non egeam ipse, sed et aliis utcunque etiam prodesse possim [1]). Qui vero suis me hac in parte officiis adiuverunt, etsi plures fuerunt, quam ut hic numerari nunc commode possint, tamen inter illos non postremus omnino fuit is, cui hasce meas litteras ad tuam Maiestatem perferendas transmisi [2]), qui cum Germaniam totam intra hoc biennium peragrasset, istuc quoque se iam iter suum instituere velle, per litteras mihi indicavit, ut nostram quoque Poloniam videat et tuam Maiestatem Regiam salutet. Est autem vir praeter non vulgarem eruditionem se summam pietatem ea prudentia et dexteritate ingenii praeditus, ut quantum in recessu habeat, non facile ex verbis aut fronte ipsius, quod dicitur, deprehendi possit: quanto magis verborum parcus est, tanto plus habet iudicii et gravitatis, et est eo alioqui hic loco, ut et consiliis Regiis intersit et thesauris etiam Regiis magna ex parte praesit. Cum igitur illum ego proficisci istuc velle intellexissem, hac mihi ratione meam erga illum gratitudinem ei utcunque approbandam esse putavi, ut ipsius in me officia apud tuam Maiestatem agnoscerem et praedicarem, qui equidem tanta erga me humanitate hic semper est usus atque etiamnum absens per suos utitur, quantum non semper fratres a fratribus experiri solent. Quare si id ullo modo tuae quoque Maiestati gratum est, quod ego, illius alioqui subditus, ita hic exceptus sim, quodque is optimus atque integerrimus vir tanta me sua benevolentia sit complexus, tuam etiam Maiestatem Regiam, Dominum meum clementissimum, summa cum observantia oro, ut qualecunque tandem eius ipsius gratitudinis inditium illi pro Regia sua virtute ac clementia facere dignetur, et quidem non mea tantum unius causa, sed et aliorum qui hac forte aliquando istinc sunt venturi, ut intelligat, officia subditis tuae Maiestatis hic praestita tuae etiam Maiestati, Domino nostro clementissimo, grata esse. Quod superest, ego me ipsum etiam, quantumvis fere reiectitium, tuae interim Maiestati omni meo studio fide atque observantia diligentissime commendo, et Deum oro, tuam Maiestatem servet et gubernet, mihique hoc tribuat, ut meum erga illam studium fidem atque observantiam declarare aliquo modo possim. Londini 16 Decembris anno 1552.

Tuae Maiestati sacrae Regiae addictissimus servitor et subditus

Ioannes à Lasco m. pr.

[1]) Sic, ut de aliis taceam, Nicolaum Forstium potenter invit (Cf. STRYPE, *Mem. of Cranm.* I. 343) et Melauchthoui quidem profuisse videtur, qui ab extra epist. suae (ed. *Lugd. Bat.* 1647, p. 321) eum *patronum suum colendum* iutitulavit. [2]) Indicis pauciora suut, quam ut uomen ipsius expiscemur.

N°. 90. [Aut. in Bus. Doct. Aegidii Succi.]

Ad Princip. Nic. Radzivil.

[Huius litterae autograph. recensetur in „*Catalogue d'une collection de lettres autogr. de personnages illustres depuis le XV siècle composant le cabinet de Mr. le Doct. Fr. Egidi Succi de Bologne*," divend. Lutetiae-Paris. a bibliop. Charavaio m. Aprilis 1863. Mala fortuna autem is cui litteram illam emtionis iure mihi procurandam mandaveram, levius obtulit pretium, quam istiusmodi pretiosum documentum iure sibi vindicare poterat, adeoque in alias manus ep. transiit. Plus semel quidem Parisianum Bibliopolam Charavainm, ut apographon saltem mihi procuraret, officiosissime precatus sum: at quoties scripsi toties repulsam tuli, nescio illius ne an vero beati possessoris culpa. Nihil igitur restat quam latine hic apponere, quae gallice de Ep. summa in catalogo indicabantur.

„N°. 632. LASCO (IOANNES à) Ep. autogr. sigillo ornata ad Principem „Nicolaum Radzivil, data Lond. 16 Dec. 1552. 1½ fol. Summi pretii epist. „qua respondet ad invitationem sibi oblatam revertendi in Poloniam, ut „Euang. in patria sua praedicaret. „*Nemo nescit*," inquit, „*habere me et „semper habuisse ingens patriae meae serviendi desiderium. Haec Celsitudini „Tuae indicare volui, quod audio rumorem spargi, nolle me accipere vocationem, „quam regia maiestas deferre mihi dignaretur.*"]

N°. 91. [Autogr. in Scr. Tigur. Gerd. s. a. Nº. 174. Gorham v. Angl. 295.]

Ad Bullingerum.

Dabitis mihi veniam omnes istic, in primis vero tu, Vir sanctissime! quod tanto iam tempore nihil ad quenquam vestrum scripserim. Nihil sane decessit de mea erga vos et vestram Ecclesiam observantia et per omnia vobiscum in Domino idem sentimus nosque mutua vobiscum consensione maiorem in modum consolamur, sed caussae mei tanti silentii fuerunt graves quaedam meae perturbationes et curae, quas mihi Dominus pro bona sua Divina voluntate immisit, meque nonnihil, illi sit gloria, exercuit. Deinde etiam turbae quaedam, quas Satan adversus me et nostras hic Ecclesias concitavit et etiamnum concitare non cessat.

Quodque ad perturbationes meas attinet, scio te non latere, Dominum

mihi ante annum fere ademisse priorem vitae meae sociam, uxorem meam inquam, cuius memoria apud me intermori nunquam potest, cum propter pietatem ac probitatem illius, tum propter susceptas ex illa proles, quae ob oculos meos assidue versantur. Quam mihi grave igitur fuerit vulnus hoc iuxta carnem adeoque et nunc sit, tecum ipse facile cogitare potes, ut de cura rei domesticae taceam, quae in illam reiecta tota fuerat, et in me unum, illi alioqui alienum, a morte ipsius recubuerat. De valetudine nihil dico, quae ita iam alioqui est attrita, ut, cum optime mihi valere videor, nunquam tamen recte valeam, et agendis rebus seriis nonnisi matutinas fere horas sine valetudinis incommodis impendere possim. Quae res mihi etiam in caussa fuit, ut, cum sustinendae curae domesticae parem me esse non posse viderem, ad secundas nuptias animum adiecerim. Nunquam enim et curae domesticae et meo ministerio in mea illa valetudine sufficere potuissem. Quin et nunc aegre sufficere possum novis subinde turbis exorientibus, adversus quas perpetuo est decertandum. Sed quemadmodum me Deus morte prioris meae uxoris probare voluit, ita rursum animi mei dolorem data mihi altera uxore pro sua Divina benignitate levavit. Dedit enim rursum et piam et fidelem, quod spero, vitae sociam, in qua nihil officiorum hactenus desiderare possum [2]), sic ut mihi iam melius multo liceat invigilare meo ministerio per gratiam Dei, si modo valetudo ipsa non obstet.

De turbis hic nostris longum esset omnia recensere, sed nihil non tentat in nos Sathan propter restitutum utcunque in nostris Ecclesiis disciplinae usum: nimirum hinc sentit locum praeripi hypocrisi suae inter nos, quae observato disciplinae usu ipsamet sese prodit neque diu consistere omnino potest. Volunt enim sancti videri hypocritae omnes, et laudari quam redargui malunt, cumque usus disciplinae aliud in se nihil habeat quam reprehensiones, per quas simulata illa ipsorum sanctitas oppugnatur corruptelaque naturae nostrae omnium accusatur, fieri sane non potest, quin hypocritae simulatam sanctitatem illam suam oppugnari, cuius nomine alioqui in pretio haberi volunt, gravissime ferant, sursumque ac deorsum misceant omnia, si quo modo usum disciplinae invisum reddere omnibus hypocrisimque suam adversus illum tueri possint. Atque hic non dormit sathan, sed artes omnes suas expedit ad impediendum disciplinae usum.

Mira est autem hic hypocritarum nostrorum vafrities. Nolunt videri contra usum disciplinae quidquam agere, sed, dum se per usum disciplinae pudefactos vident, severius secum, quam cum aliis agi clamant, cupiuntque secum omnes eodem carbone notari, ut aiunt, et in hoc toti sunt, ut in quam plurimos novas semper accusationes comminiscantur. Quodsi illis non obsequimur, protinus clamoribus implent omnia et nos personarum acceptores esse vociferantur, etiamsi accusationes quas proferunt comprobare non possunt. Ita hic quidam nobis molestus est, qui e publico verbi ministerio propter flagitium quoddam Magistratus mandato submotus [3]), conquiescere non potest, donec socium pudefactionis suae aliquem sibi inveniat.

Et quia in vita ac conversatione omnium utriusque nostrae Ecclesiae ministrorum nihil quod merito traducat reperire, gratia Deo! potest, rimas quaerit serendi dissidia in doctrina et multa adfingit, quo magis invisum reddat nostrum ministerium. Sumit autem occasionem traducendi nostrum ministerium a praedestinationis controversia, quam mire exaggerat. Et ut paucis rem totam tibi perstringam, docui ego, eos non recte de praedestinatione disserere, qui per illius doctrinam meritum ac dignitatem mortis ac sacerdotii Christi extenuare elevareque conantur, idque ideo potissimum fieri, quod vis ac condemnatio peccati nostri in Ada non satis diligenter a plerisque explicatur, et proinde, nos non assentiri iis, qui loca quaedam scripturae de praedestinatione ita urgent, ut negent omnino Christum pro omnibus mortuum esse. Hinc bonus ille vir occasiones omnes quaerit committendi nos cum D. Calvino, qui plerisque nimium dure de praedestinatione scripsisse videtur, et nos accusat passim, quasi nomen ac doctrinam Calvini damnaremus. Quia vero ex me nihil unquam audivit, neque ipse, neque alius quisquam, quod ad traducendum Calvini nomen, quem ego alioqui ut virum Dei veneror atque amo, detorqueri possit, alium reperit, unum e nostris collegis, quem multis nominibus accusare cepit, si quo modo efficere queat, ut quemadmodum ipse propter suum flagitium et ministerio suo submotus et ad publicam paenitentiam agendam adactus erat, ita hunc eodem adigere etiam possit. Solatium est scilicet socios habere poenarum. Protulit autem tria accusationis capita. Primum, quod collega noster quidam dixisset, peccatum Adae non esse sufficiens ad generis humani condemnationem. Alterum, quod aliquis servari possit, etiam sine ulla Christi Domini cognitione. Tertium, quod in doctrina praedestinationis diversum a Calvino docuisset et nomen Calvini traduxisset. Haec tamen accusationis capita nullis testimoniis approbare potuit, sed ad suam duntaxat accusationem collegam nostrum adigi per nos cupit ad publicam poenitentiam ac ministerio suo submoveri. Ego vero, etsi in eo ipso collega nostro quaedam desidero, quorum est iam semel atque iterum admonitus in coetu seniorum omnium, culpam tamen eorum, quorum nomine accusatur, agnoscere in illo non possum. Nam priora duo capita accusationis nullo modo agnoscit, et accusator illa nullis testimoniis approbare potest. Tertium vero ita agnoscit, ut se a Calvino dissentire fateatur, sed tamen non ideo aut nomen aut scripta Calvini ullo modo traducat. Habes unius controversiae exemplum, Vir doctissime! paucis adumbratum, cuius alioqui nondum finem habemus [4]).

Sed est et aliud multo adhuc gravius, si circumstantias spectemus. Unus e verbi ministris in nostra Germanorum Ecclesia [5]), non tamen Martinus noster Micronius, de tribus nobis capitibus tragoediam in Ecclesia movit, idque non modo inconsultis nobis omnibus, sed studio etiam hac in parte vitatis, eo quod suspicaretur, nos sibi reclamaturos esse. Primum, testes Baptismi puerorum in Ecclesia non esse admittendos docuit, quos vulgo susceptores vocamus. Deinde omnes Ecclesias, quae consessu publico in coenae usu non uterentur, idololatriae et violationis Dominicae institutio-

nis palam in concione damnavit, et quicunque genuflexionem in coena quocunque tandem modo ferendam esse dicerent, omnes chirurgos Antichristi esse pronuntiavit. Postremo, articulum in symbolo „de descensu Christi ad inferos" plantationem a Domino non plantatam et proinde eradicandam esse docuit. Admonitus horum omnium per nos et seniores utriusque Ecclesiae omnes, post longam tergiversationem culpam tandem suam in coetu seniorem agnovit, non tantum quod nova ista dogmata apud populum sparsisset, quae Verbo Dei infundari [6]) alioqui non possent, sed quod etiam concepta de nobis omnibus mala suspicione nobiscum de his prius noluerit communicare. At vero illum iam agnitae culpae huius suae poenitet, et quaeritur, se in agnoscenda culpa sua humanis rationibus potius, quam Verbi Divini autoritate persuasum fuisse, cum tamen manu ipse sua testatus sit, se nostrae doctrinae assensum esse in Christo, iuxta verbum Dei et ex animo. Hisce enim verbis doctrinae nostrae omnium manu sua subscripsit, atque ore ipsemet suo Deo Patri nostro per Christum Iesum in coetu seniorum omnium gratias egit non ita multo post, quod ei errorem suum in hac sua nobiscum controversia per Spiritum Sanctum suum revelasset. Et tamen nihil nunc sunt apud illum haec omnia, et quae se prius in Christo iuxta verbum Dei et Spiritu Sancto autore egisse ipsemet fatebatur, nunc se rursum Spiritu Sancto autore improbare dicit, nosque ea suspicione omnes gravat, quasi nos praeter Verbum Dei ét ipsi doceamus haec omnia in hominum gratiam ét alios nobiscum eadem docere nostra autoritate cogamus.

Habes et aliam turbam nostram, frater in Domino observandissime! per quam parum abfuit, quin utraque nostra Ecclesia, nisi Deus mirabiliter succurrisset, in extremum hic plane discrimen veniret. Neque prorsus adhuc extra periculum sumus, ut sunt hic multorum ingenia, sed Domino confidimus, in cuius conspectu, quod ad eam rem attinet, bene conscii sumus. Ad quintum ab hinc diem exspectamus, ut nobis ultimam mentem suam collega ille exponat. Faxit Dominus ut bonum exitum huius causae videre possimus! Iam et inter has turbas semper oboriuntur alia etiam, quae me plane obruunt, sed non ita tamen graviter afficiunt, Ut de aulicis negotiis taceam, a quibus me totum explicare non possum [7]).

Sed quorsum haec querela, inquies? Primum, ut in vestris precibus nostri Ecclesiarumque nostrarum meminisse velitis: deinde, ut intelligatis, non semper mihi licere ad vos scribere, cum volo. Habeo nunc prae manibus ceremonias nostrae Ecclesiae omnemque illius in nostro ministerio gubernationem. Prodibit spero sub hyemen. Scribo autem non sine Theseo, nostro inquam Micronio, quem nostrae hic Ecclesiae valde gratulor. Rex meus Poloniae dicitur adornare novas nuptias [8]). Putant plerique, illum nonnihil cogitare de restituenda apud suos religione foreque ut et ego ab illo vocer. Sed ego nihil mihi certi adhuc de meis polliceri possum. Rex noster Angliae Serenissimus iam pridem languit, sed rursus iam (sit Domino Deo nostro gratia) revalescit. Libenter scirem, quid ad Hoperum de praedestinatione scripseris. Mihi propter hominis absentiam videre non

licuit, tametsi pluries promiserit, se literas tuas ad me transmissurum esse. Vale, vir integerrime! et me collegis tuis omnibus, inprimis vero D. Pellicano Patri, Bibliandro, Gualtero, Gesnero, diligentissime quaeso commenda. Raptim Londini 7 Iunii 1553.

Non licuit relegere. Parces igitur sicubi male quid est scriptum.

Tuus vere et ex animo quantus est
IOANNES à LASCO m. pr.

D. Calvino, si quando tibi commodum fuerit, nos commenda, et nostras illi hic tragaedias exponas, oresque illum verbis meis, ne quid temere de nobis credat, si quid apud illum de nobis spargatur, donec a me causam omnem cognoscat.

---

[1]) Obierat m. August. 1552. [2]) Secundas nuptias cum Catharina iniit 29 Ian. 1553. Cf. *M. Micr. ad Bulling. ep.* PARKER Soc. o. l. II. 581. [3]) Sc. Mich. Angelo Florio. Cf. STRYPE, o. l. I. 347, v. eius litteras culp. confit. ib. app. II. 388. [4]) Cf. de his controversiis CALVINI *ad Peregrin. Eccl. ep.* BONNET, *Lettres de Calvin.* I. 351. [5]) Gualterus Deloenus. [6]) Gerd.: *impugnari.* [7]) Respicit secretam missionem, quam in gratiam foederat. germ. princ. sustinebat. [8]) Cum Catharina, filia Reg. Ferdin., vidua Fr. à Mantua.

N°. 92. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad DUCEM PRUSSIAE.

Accepi litteras celsitudinis tuae missas per virum clarissimum D. Joannem à Werdeu, Regiae Maiestatis Poloniae Domini mei et tuae pariter Celsitudinis hic oratorem, pro quibus ingentes gratias ago summa cum observantia Celsitudini tuae. Attulerunt enim mihi in tristissimis hisce hic temporibus incredibilem consolationem, praesertim quod tam clementi in me animo mei meminisse tua Celsitudo dignetur, id quod ego quidem, etsi non sum promeritus unquam, Dominum Deum meum tamen supplex orabo, ut eam tuae celsitudinis in me propensionem Divina sua gratia illi pensare velit. Non attinet autem multis nostram hic calamitatem deplorare, quam secum mors immatura Regis istius hic nostri [1]) attulit de qua tuam celsitudinem non dubito iampridem audisse, sed puto, Deum voluisse nos monere, ne in ullo omnino homine spem nostram fiduciamque collocaremus. Erant sane tantae in Rege illo dotes, ut nemo non maxima quaeque de eo sibi in causa potissimum religionis polliceri posset, et magna hominum pars in ipso spem fere omnem conservandae verae religionis ita reponebat, ut plus aequo securior esse quodammodo videretur. Eam vero talem securitatem retundere voluit Dominus Deus et corda hominum ad se solum revocare. Ita ego sane mortem Sanctissimi Regis interpretor et, posthabita omni in hominibus fiducia, a Domino Deo solo et Divina eius potentia conservationem Ecclesiae suae et verae religionis expecto. Quod porro ad me attinet, Princeps Illustrissime! non video ullum hic

mei usum fore et fortasse plerique optabunt me hinc abesse sub ea rerum permutatione. Mihi tamen constitutum est, non prius de abitu cogitare, quam abire iubear, una cum aliis, quos hnc Maiestas Regia vocarat. Atque id brevi futurum esse putant plerique. Et, si id fiat tuaque Celsitudo meam sibi operam alicui usui fore putet, hanc tuae Celsitudini prae aliis summa cum observantia defero, ut meam gratitudinem pro clementibus in me ipsius officiis pro eo ac possum tester, qua de re sum pluribus colloquutus cum Domino Ioanne à Werden, quem non dubito ea quoque de re ad tuam Celsitudinem scripturum esse. De causa D. Osiandri scripsi semel atque iterum ad Celsitudinem tuam, et doleo his temporibus has tragoedias exoriri. Eruditionem D. Osiandri semper ut debui veneratus sum, et fateor, me per scripta ipsius non leviter adiutum esse, sed in eius iudicio quaedam desiderare cogebar, quemadmodum in doctissimis et sanctissimis quibusque viris cogimur desiderare, et ab omni humanitate alienum esse puto, si quis in se aliquid desiderari aegre ferat. Neque miror sane virum illum offensum fuisse illis vocibus, quae passim sine iudicio de iustificatione per fidem iactantur, quod videlicet servemur, si modo nobis peccata nostra statuamus, cum plurimi flagitiossimi alioqui homines itidem perpetuo in ore habeant deque fide istiusmodi sua praeter modum ac finem ullum glorientur, et fidei huius (si diis placet) praetextu omnia et in se et in aliis flagitia alant. Sed non ideo interim, quod fidei et imputationis vocibus plerique abutuntur, doctrina vera de fidei iustitia et imputatione ullo modo reiicienda est, ne dicam traducenda. Gratuita atque aeterna nostri in gratiam Patris Dei acceptatio propter Christum causa est nostrae salutis omnium. Medium vero illius est nostra in Christo iustitia, non autem in nobis, hoc est delata nobis gratuito etiam per Christum Dominum absolutae modis omnibus suae innocentiae ac pleoisufficientiae, sui item salutaris meriti in morte ipsius communio, qua fit, ut in Christi Domini sacrosancto corpore conclusi esse censeamur, et proinde aeque iusti atque sancti atque ipse, contecti videlicet veluti veste nuptiali iustitia ac merito ipsius per delatam nobis horum omnium communionem. Detulit autem nobis Christus Dominus communionem hanc salutarem iustitiae et meriti sui, non ut ea abuteremur, multo minus ut eius praetextu frena vitiis nostris laxaremus, sed requirit in nobis gratitudinem pro tanto suo beneficio, nempe ut illud amplectamur nostramque erga se gratitudinem pro nostra virili contestemur. Iam quia tantum hoc beneficium amplecti non possumus, nisi fide sola, receptum est, ut Christi beneficia fide nobis applicari dicantur, non quod fides efficiat, ut ad nos pertineant (pertinent enim ad nos prinsquam credamus adeoque et ante tempora aeterna quemadmodum Paulus docet) sed quod ea non alia re ulla, quam fide sola, amplecti possimus: sola enim fide fit, ut delatum nobis Christi beneficium ad nos ipsos pertinere sentiamus. Cum igitur gratitudinem in nobis requiri dicimus, simul quoque fidem complectimur, qua fit, ut delata beneficia amplectamur, et ea ad nos pertinere in corde ipsi nostro statuamus. Porro quemadmodum non hypocriticam gratitudinem Dominus in nobis re-

quirit, ita neque fides hypocritica beneficia eius vere amplecti potest. Inter alia autem verae et hypocriticae fidei discrimina illud non postremum est, quod non e nostrae rationis indicio colligi, sed autore spiritu sancto cordibus nostris adflari debeat. Alioqui nisi fidei nostrae in nobis autor sit spiritus sanctus, fides nostra nihil est neque fides vocari vere potest. Et si spiritum sanctum autorem habeat, sane qui otiosus non est in excitandis ad fidem nostris cordibus, idem quoque in nobis indies magis ac magis innovandis otiosus esse non potest, sed edit proculdubio suos fructus in nobis, qui nos interim non sane faciunt iustos, sed Christi beneficia fide amplexos esse et proinde iustos iam beatosque esse testantur propter Christum et in Christo. Iustitia igitur nostra non in nobis, sed in Christo Domino quaerenda est, nempe in innocentia plenisufficientia et merito ipsius, et nos iusti sumus per delatam nobis gratuito horum omnium communionem, siquidem nos tantum Dei beneficium fidei nostrae non hypocriticae testimonio amplexos esse et retinere spiritu sancto autore sentiamus. Haec est mea de nostra iustitia et iustificatione sententia, Princeps Illustrissime! paucis et raptim nunc ut licuit explicata: posthac per otium plura dabo, si Dominus volet, Celsitudini tuae. Iam tempus cogit finem scribendi facere. Commendo me gratiae vestrae Celsitudinis Illustrissimae, et Deum oro, ut tuam Celsitudinem suae Ecclesiae diu servet incolumem, illique gratias ago, quod tuam Celsitudinem auxerit nova prole, nempe filio, quod quidem nunc primum accepi, et precor patrem suum in studio verae religionis suo olim tempore referre possit. Raptim Londini 19 Augusti. Anno 1553.

Tuae Celsitudini Illustrissimae addiotissimus,
Ioannes à Lasco m. pr.

[1]) Edw. VI é vivis excessit 6 Iulii 1553.

N°. 93. [Utenhov. simpl. ac fid. narr. p. 28-38]

Supplicatio Daniae Regi tradita.

Serenissime Princeps, inclite Rex, Domine clementissime! Causae petitionisque nostrae omnis summa haec est: Dederat nobis gratiam Dominus in oculis sanctissimi pridem Angliae Regis Eduardi sexti, quo mundus hic plane dignus non erat, ut peculiares peregrinis omnibus Ecclesias in Regno ipsius obtineremus, quicunque publicum Verbi et Sacramentorum ministerium una cum legitimo Ecclesiasticae disciplinae usu iuxta doctrinam atque observationem Apostolicam habere inter sese observareque volebant. Constituerat nimirum Rex ille Ecclesiarum nostrarum ministros, qui lingua Germaniae inferioris, Gallica item atque Italica Ecclesiastico ministerio publice fungerentur. Templum nobis etiam initio unum sumptibus suis non contemnendis apparatum omnique plane superstitione repurgatum donaverat, ac mox demum illorum numerum auxerat, posteaquam nos

propter linguarum varietatem in uno eodemque templo commode simul esse sine mutua invicem ministerii perturbatione non posse videret. Ceremonias praeterea nobis peculiares concesserat — etiamsi a patriis ritibus diversae essent — quascunque nos modo iuxta verbi Divini doctrinam ad Ecclesiarum nostrarum aedificationem maxime facere atque ad puritatem Apostolicam proxime accedere iudicaremus. Potestatem adhaec nobis fecerat augendi deinceps semper ministrorum quorumcunque nostrorum numerum, pro eo ac id nostris Ecclesiis conducere videremus. Postremo sub suam ipsius protectionem nos nostrasque Ecclesias ita receperat propter nominis peregrinorum invidiam, ut nemo nos omnino in illarum gubernatione ac ministerio impedire ullo modo remorarique posset. Haec sane ita omnia, pro sua nobis pietate concesserat Rex ille sanctissimus, dignus proculdubio vel huius ipsius tanti beneficii nomine, cuius in peregrinos homines propensio ac beneficentia per omnes Ecclesias Christi celebretur memoriaque sui nominis apud pios omnes sacrosancta plane habeatur et immortalitati consecretur. Neque vero id nobis concessisse satis habuit Rex pientissimus, sed eam ipsam concessionem iuxta praedicta capita omnia Regio diplomate ac privilegio suo, quod nobiscum habemus, confirmavit, et adversus nostros adversarios omnes constantissime semper ipsemet ad multorum usque admirationem, ne dicam invidiam, propugnavit.

At vero tantum Dei beneficium nobis invidit Satan, multo magis autem autorem et patronum illius, pientissimum inquam Regem illum, atque ad eum e medio tollendum dissipandasque simul nostras Ecclesias et artes expedivit suas omnes et conatus suos omnes intendit. Accessit autem magna etiam gentis erga Deum ingratitudo pro donata illi opulente si usquam alibi Euangelii luce. Qua equidem ingratitudine provocatus Deus et doctrinam verbi sui et optimum simul eius custodem illi ademit. Unde demum factum est, ut et nostrae etiam Ecclesiae dissiparentur, interdicto nobis aeque atque aliis nostro ministerio publica Reginae autoritate. Sub hac porro tali Ecclesiarum nostrarum dissipatione, cum neque spem amplius ullam illarum illic retinendarum videremus, etiamsi nos omnibus periculis exponere ipsi voluissemus: imo vero ministerium nostrum rebellionis ac perfidiae crimine protinus infamandum etiam, si quid modo contra decretum Reginae tentassemus, nosque pariter omnes non tam propter religionis controversiam, quam propter rebellionem potius capiendos esse intelligeremus, et interim nobis tamen pro fide nostri ministerii deserendae non essent nostrae Ecclesiae, convocavimus seniores ac diaconos omnes, consiliaque nostra demum omnia praestantioribus ex nostris Ecclesiis viris communicavimus, ut quidquid omnino facturi essemus, id totum invocato Dei in primis nomine, deinde etiam unanimi omnium consensu, ad gloriam Divini nominis et Ecclesiarum nostrarum salutem faceremus. Visumque fuit unanimiter omnibus melius longe et ad illustrandam Dei in nostro ministerio gloriam opportunius fore, si sub tanta illic tyrannide, alias potius ubivis alibi sedes nostris Ecclesiis quaereremus (qua equidem in causa nobis Deus proculdubio non esset defuturus), quam si nos illic omnes no-

strasque Ecclesias in discrimen certissimum temere et sine spe fructus ulla coniiceremus.

Ibi vero constantissima de Tuae Maiestatis pietate studioque erga veram religionem testimonia nos plane omnes permoverant, ut te potissimum eum esse iudicaremus, qui afflictis nostris Ecclesiis in publica ista earum calamitate succurrere et velis libenter pro pietate tua et pro dignitatis tuae Regiae praeeminentia facile etiam possis. Ac veniebat quidem nobis in mentem, fore et hic apud Maiestatem tuam multa quae causae nostrae adversari possent — ut nunc fere nihil toto sit terrarum orbe, quod non variis suspicionibus ac calumniis passim degravetur — sed omnes istiusmodi cogitationes facile discussit animisque nostris prorsus exemit sola nostra de Tuae Maiestatis pietate benignitateque persuasio. Neque enim dubitavimus facile cessaturas esse apud Tuam Maiestatem omnes adversus nos suspicione ac calumnias, ubi Tua Maiestas, nobis etiam auditis, viderit nostra (ut speramus) omnia certa ac solida verbi Divini autoritate niti, cui nos semper alioqui nostra ultro hactenus subiecimus, observatis publice in nostris Ecclesiis doctrinae omnis nostrae approbationibus per prophetias publicas ac scripturarum collationes, et subiicere adhuc parati sumus multo libentissime, neque refugimus ulla omnino pia Christianaque colloquia, a quibus modo convicia probra ac calumniae, quae Christianos homines non usque adeo decent, excludantur. Hac igitur de te persuasione freti nobisque etiam bene conscii, Rex clementissime! Maiestatem Tuam nobis potissimum adeundam opemque illius in ea Ecclesiarum nostrarum afflictione implorandam esse existimavimus. Interea vero etiam sese nobis offerebat navis Tuae Maiestatis Regiae, qua sane oblata, nos demum, nihil aliud quam Domino Deo nostrum de instituendo huc potissimum nostro itinere consilium probari omnino, adeoque ad illud etiam prosequendum nos Deo ipso nutore quodammodo invitari, certo nobis persuadebamus. Atque ita demum factum est, ut nostrum hoc iter ad Tuam Maiestatem ingressi simus, quicunque navem ingredi poteramus, ea spe, ut non dubitaremus Dominum Deum nostrum, causae nostrae apud Tuam Maiestatem patrocinaturum esse atque cor Tuae Maiestatis erga nos nostrasque Ecclesias ita inclinaturum, ut quod nobis illic tyrannide Antichristiana ademptum est, id rursum in regno hoc apud Tuam Maiestatem impetrare alicubi recuperareque possimus. Eadem porro spe nos etiamnum sustentamus et Tuam Maiestatem per adorandum Domini nostri Iesu Christi nomen supplices obsecramus, ut vicem Ecclesiarum nostrarum in hac ipsarum dissipatione clementer commisereri, illisque pro tua pietate sedem aliquam in Regno tuo ac publicum ministerium, quali hactenus in Anglia iuxta verbum Dei usae fuerunt, permittere digneris. Neque hic sane quicquam aut indignum tua Maiestate, aut regno ipsius noxium, ullo modo postulare videmur, sed quod petimus, tuae Maiestati honorificum prorsus et Regno ipsius utile et decorum, denique et salutare omnino fore non dubitamus, siquidem id abs te impetrari patiaris. Vere regium est, succurrere afflictis Ecclesiis Christi, quae praesertim propter verae religionis confessionem et

antea relictis omnibus ex patria profugae et nunc rursum tyrannide Antichristiana propulsae, suum apud te suffugium per mare et terras quaerunt. Hoc enim potissimum nomine Reges veros se Ecclesiae Christi altores esse declarant (quae quidem summa est ipsorum dignitas) si vocationem suam recte ut debent intueri velint. Et quo hic minus suo satisfaciunt officio, hoc certe minus suae ipsorum dignitati respondere ipsiusmet Scripturae testimonio censentur.

Quantum autem commodi atque utilitatis secum adferant tam publice quam privatim collata in peregrinos homines beneficia, qui Christi praesertim nomine aliunde propulsi, nova sibi receptacula alibi quaerunt, id equidem pluribus locis scriptura sancta, potissimum autem ipsemet Christus Dominus in Evangelio testatur (Matth. 10. d.), dum sine mercede fructuque suo ne poculum quidem aquae frigidae dari posse uni ex minimis suis docet, nimirum ut intelligamus, tanto plura nobis et quidem certo a Christo Domino expectanda esse, si non aquae modo poculum, sed ipsum etiam hospitium, non uni tantum alicui membro Christi, sed multis in unum mysticum corpus ipsius collectis praebeamus. Atque humana quidem ratio huic Dominicae promissioni non facile assentiri potest, et noxium potius multis nominibus esse iudicat, si peregrinos homines ad nos passim recipiamus. Sed apud Christianos homines ac multo magis Principes, non tantum valere debent quamlibet speciosa rationis nostrae consilia, ut doctrinae ac promissionibus Christi fidem abrogent quoquomodo. Quin potius statuendum est, nihil nobis a nostra industria prudentiaque expectandum esse omnino, nisi illi Dominus ipse benedicat. Non benedicit autem proculdubio nisi iuxta promissiones suas, in quibus sane mentiri nunquam potest. Si vidua illa Sareptana in Helia admittendo rationis suae consilium sequi voluisset, non equidem nisi unius diei cibum cum sua familia reliquum babuisset. Caeterum Helia admisso, nihil illi defuit ac protinus unde se et suam familiam abunde aleret habebat, non equidem ullis rationis suae consiliis, sed gratuita benignitate Dei, eo quod illius Prophetam eumque peregrinum ad se venientem in summa etiam rerum angustia recepisset (3 Reg. 17). Sic et pio illi Pharaoni, qui Iosephum agnoverat, adeo noxium non fuit, Iacobum cum universa ipsius familia in regnum suum advocasse, etiamsi id humana alioqui ratio plane dissuaderet, ut sua omnia in Iosephi manibus supra modum multiplicari prosperarique videret (Gen. 47). Contra vero alteri Pharaoni, qui Iosephum non noverat, exitiale prorsus erat, eandem ipsam Iacobi familiam conduplicata ipsius servitute iuxta prudentiae suae consilium ac nescio quas suspiciones opprimere voluisse (Ex. 1, 2, 3. Act. 7). Ita videlicet potens est Deus adversus omnia rationis nostrae consilia, ut quae illa omnium maxime noxia esse iudicat, ea ipse omnium maxime prosperet, si eum audiamus, ac rursum irrita faciat nostra omnia, denique et nos ipsos ad extremum puniat, si nostra consilia suae voluntati anteponere pergamus.

Iam vero nos non alio ullo quam Christi Domini solius nomine receptaculum quaerimus apud Tuam Maiestatem pro dissipatis nostris Ecclesiis, et ut publicum suum ministerium — quale hactenus iuxta verbum Dei in

Anglia habuerunt — sub tua etiam Maiestate alicubi habere possint. Parati autem sumus et doctrinam nostram et ritus nostros approbare verbi Divini autoritate, nosque piis omnibus per Dei gratiam satisfacturos esse non dubitamus. Parati sumus item, si id praestare non queamus, discere ac sequi meliora, per quoscunque tandem e verbi Divini fontibus proferantur. Non nostram ipsorum, sed Christi gloriam quaerimus, multoque libentissime humana in nobis etiam cum nostri pudefactione agnoscemus omnia, si modo Christi Domini gloriam in sua doctrina, per nostri pudefactionem illustrari vere videamus. Illum enim crescere, nos autem minui oportere, libenter cum Ioanne Baptista profitemur (Joan. 3. d.). Breviter, societatem Christianam expetimus, non schismata, coniunctionem, non dissidia, quae utinam semel aliquando ad Christi gloriam componantur. Tuae vero Maiestati fidem subiectionem atque obedientiam cum Dei gloria coniunctam pollicemur. Haec sane in Anglia ita praestitimus omnia (sit Deo gratia) ut ne adversarii quidem nostri, etiamsi id varie conarentur, nos hac in parte merito accusare ullo modo possent. Eadem vero et hic nos ita praestituros esse per Dei gratiam confidimus, ut nihil et hic in nobis a tua Maiestate desiderandum esse speremus. Atque haec ad causae nostrae commendationem sufficere in praesens putamus, quae eiusmodi alioqui est, ut preces ad Deum potius quam ullum verbosum apparatum postulare videatur. Quod igitur superest, Deum supplices per nomen unigeniti filii sui oramus, ut qui corda Regum omnium in sua manu habet, idem etiam tuae Maiestatis cor excitet, consiliaque illius omnia dirigat ac gubernet in causa hac nostra aliisque praeterea omnibus, ad gloriam adorandi sui nominis Ecclesiaeque Christi aedificationem ot tuam ipsius salutem. Amen. [Coldingae 10 Novembr. 1553]

Tuae serenissimae Maiestatis Regiae humiles et addictissimi,
IOANNES à LASCO, Ecclesiarum dissipatarum Superintendens, manu mea propria.
MARTINUS MICRONIUS, dissipatae in Anglia Ecclesiae Germanicae minister.
IOANNES UTENHOVIUS, eiusdem Ecclesiae senior

N°. 94. [Utenh. o. l. p. 13-18.]

Responsio ad Regem Daniae.

Oramus, ut boni id consulatur, quod et Maiestatis Regiae responsionem nobis datam et nostram vicissim etiamnum in scriptum redegerimus. Memoria nostra est labilis, et sunt eiusmodi nunc tempora, ut nihil fere sit tutum a calumniis usquam. Quare consultius fore putavimus ut scripto nostra omnia ageremus. Praeterea quemadmodum D. Cancellarius ea praefatione usus est, ut aequi bonique consulerentur a nobis omnia, quae Maiestatis Regiae nomine ut minister dicturus erat, ita et nos supplices ora-

mus, ut Regia Maiestas pro sua pietate aequi bonique consulere dignetur, quae nos pro nostri erga Christum Dominum, Regem regum omnium, eiusque Ecclesiam ministerii fide summa cum observantia dicturi sumus. Ac primum, quemadmodum gratias egimus Maiestati Regiae, ita et nunc denuo agimus, quod vicem nostrarum Ecclesiarum clementer indoleat, quodque nobis ad Papismum non relapsis gratuletur. Causas porro negati nostris Ecclesiis publici illarum ministerii in Anglia nobiscum adhuc perpenderamus, sed non putavimus ac ne nunc quidem putamus, nostrae illas postulationi iuxta verbum Dei opponi posse aut etiam debere, ab eo praesertim Rege, qui se non tam mundi iudicium, quam verbi Divini doctrinam potius sequi velle profitetur, et de cuius pietate ac singulari studio propagandae indies magis ac magis verae religionis optima quaeque nobis semper pollicebamur ac nunc etiam pollicemur. Non putamus autem haec nobis ita opponenda esse propter causas infra scriptas. Primum, quod varietas ceremoniarum non obstet, quominus omnes verbo Dei sint consentaneae, modo ut secundum fontes verbi Divini ad aedificationem Ecclesiarum instituantur, semelque institutae, quoties id vel religionis incrementa, vel Ecclesiarum necessitas, vel etiam utilitas postulant, repurgentur mutentur ac corrigantur. Non enim Ecclesiae serviunt ceremoniis in Evangelio Christi, sed ceremoniae Ecclesiis. Est enim Dominus filius hominis etiam Sabbati (Lucae 6). Quare non putavimus primam negati nobis ministerii causam merito nobis opponi posse aut etiam debere, sed cogitabamus Maiestatem Regiam postulaturam esse, ut nostrae caeremoniae cum Regni eius ceremoniis conferri possent, et qua parte aliae aliis puriores essent plusque aedificationis habere ex verbo Dei iudicarentur, hac parte aliae aliis cederent, quatenus id cum pace Ecclesiarum fieri posset, aut saltem aliae alias ad tempus tolerarent. Neque putavimus Regiam Maiestatem in ea sententia esse, ut receptas semel ceremonias nunquam amplius repurgari magis ac magis vellet, propterea quod verbo Dei consentaneae essent. Fit enim non raro, ut dum initio restituuntur Ecclesiae multa permittantur etiam iuxta verbum Dei propter Ecclesiae veluti infantiam quandam, quae tamen postea, iuxta idem ipsum verbum Dei, retinere non licet, id quod in usu circumcisionis sub Apostolis ipsis factum videmus. Ut enim inepte quis cibum solidum infantibus obtrudat, ita non minus inepte etiam adultis lac perpetuo pro cibo offerat. Quod vero ad periculum perturbandae tranquillitatis publicae propter ceremoniarum varietatem attinet, non putavimus ac ne nunc quidem putamus, Maiestatem Regiam aestimaturam esse publicam Regni sui tranquillitatem ex ceremoniarum humanarum observatione, cum huius consilii fontes nusquam in Scripturis reperiantur, imo vero etiam reprehendantur, idque eo minus putavimus, quod nostrarum ceremoniarum diversitatem ad maiorem adhuc cultus divini repurgationem non leviter conducere existimemus, id quod in Regno alioqui Angliae per nostras Ecclesias abunde est declaratum. Nihil sibi a tranquillitatis perturbatione metuebat Iosias, rex laudatissimus, dum receptas anno octavo aetatis suae ceremonias bis atque iterum corrigeret ac repurgaret,

(5 Reg. 13. d. 2 Paralip. 35. d.) et certum est, plagas publicas in Christi Ecclesiam immitti, non propter immutationem, ne dicam diversitatem bumanarum ceremoniarum, sed propter contemptum Dei et Ecclesiae ipsius, cuius sane nos membra esse per Dei gratiam non dubitamus. Quare ne secundam quidem negati nobis ministerii nostri causam opponi nobis merito et iuxta verbum Dei posse putamus. Neque vero haec commemoramus, quod male nos quoquomodo habeat, ita nobis esse responsum. Nos Domino nostra committimus omnia et ex eius manibus omnia expectamus, quae in nos permittere omnino volet. Fatemur nos graviora longe meritos esse et proinde illi alacribus animis gratias pro omnibus agimus. Neque nos pudet contemni rideri ac damnari pro illius nomine, certique sumus, quod ipsius sit terra et plenitudo eius, et rogamus, ne nobis libertas haec nostra vitio vertatur.

Quod autem nobis hic receptaculum permittitur, si doctrinam ac ritus Regni huius observare velimus, nos sane hoc etiam nomine Maiestati Regiae magnam gratiam cum omni reverentia habemus. Ac quod ad doctrinam attinet, libenter omnem doctrinam amplectemur, quae modo e fontibus verbi Divini petatur et deducatur. Sed Maiestati Regiae confidimus, illam pro sua pietate ad nihil nos coacturam esse in doctrinae capitibus, quod certa ac solida verbi Divini autoritate comprobari non possit. Doctrinae enim sanae veritas petenda nobis est, non sane e Regnorum, sed ex verbi Divini certa ac solida autoritate. Quod vero ad ritus ceremoniasque nostras attinet, oramus, ut nostrae cum patriis hic ceremoniis conferantur, et quatenus nobis ostendatur, Regni huius ceremonias nostris puriores esse atque ad aedificationem Ecclesiae magis conducere, multo libentissime illas amplectemur, confidimusque et hic pietati Regiae, nos non esse cogendos a purioribus ad impuriora, multo minus ad ea, quae plus offendiculi quam aedificationis secum adferre possint. Atque haec non dubitamus pietati Regiae satisfactura esse ad attestandam nostram gratitudinem erga suam clementiam, qua nobis et nostris receptaculum hic permittere velle clementer declaravit, neque nos credimus Maiestatem eius id a nobis postulaturam esse, ut praeter certam ac solidam verbi Divini autoritatem aliquid omnino sequi in eius gratiam debeamus.

Non recusamus autem, quin potius expetimus pia modesta et Christiana colloquia cum quibuscunque Maiestas Regia volet, tam de doctrinae capitibus omnibus, quam de nostris ceremoniis. Non enim lucem ullam — bene alioqui nobis conscii — refugimus quoquomodo. Sed interim oramus per nomen Christi Domini, ut per hanc saltem hyemem Ecclesiae nostrae verbi ac baptismi ministerium uno aliquo loco habere possint. Cogitet Maiestas Regia, quam res misera sit, Ecclesiam, quae religionis nomine, pietati suae Regiae confisa, huc venit hoc anni tempore cum familiis totis totaque supellectili, carere verbi ministerio ac consolatione, cum sit rudis linguae huius patriae et sit exposita omnium invidiae. Testetur hic saltem Maiestas Regia eam quam praefert condolescentiam erga nostras Ecclesias, idque propter Christum, qui hoc beneficium cumulatissime rependet, ora-

musque, ut clemens ac benignum responsum primo quoque tempore habere possimus [1]). [Coldingae 16 Novembr. 1553]

[1]) Cum hisce conferantur *adnotata in Conc. Noviomagi* UTENH. o. l. p. 52—73, quae longiora sunt quam ut ad calcem adiicerentur.

N°. 95. [Utenh. o. l. p. 239. Gerdes. o. l. IIb. 682.]

Ad DANIAE REGEM.

Sacra Maiestas Regia et Domine, Domine clementissime! diligentissimam officiorum meorum commendationem!

Mirum forte videri poterit et tibi et tuis, Rex serenissime! quod ita nuper apud te in publica concione proscissus atque iniquissimo cum meis omnibus praeiudicio damnatus, denique et abs te ipso eo loco habitus, ut indignum esse iudicares, cui tantum crederes, ut me ad meam Ecclesiam, cuius nomine ad te veneram, ad meos item liberos, fiducia benignitatis tuae in regnum tuum adductos, et ad meas etiam res colligendas, abs te rursum redire patereris, — scribere iam ad te interim teque quorundam adeo admonere etiam voluerim, ac non potius mihi a scribendo omnino temperarim. Sed ego sane ea omnia quae mihi apud te obtigerunt, non tam tibi quam aliis imputo potius proque omnibus gratias ago Divinae Maiestati, certus, per meam istiusmodi ignominium glorificandum esse et nomen et regnum Christi Domini in Ecclesia ipsius. Ac proinde praetermittendum mihi apud te adhuc non esse existimavi, quod ad debitum officiumque meum pro mea in Christum Dominum et eius Ecclesiam fide intelligo pertinere. Non dubito autem id pertinere omnino, ut cum te eum Regem esse profitearis, qui iusso valere Papismo toto doctrinam Evangelii amplexus sis, eamque te et sequi et tueri etiam velle dicas, eius te sane reverenter quidem ut praecellentem Dei ministrum, sed libere interim atque Christiane ex verbo Dei admoneam, in quo mihi praeter doctrinam Evangelii legemque charitatis Christianae egisse, atque non in eam modo quae ministerio meo est concredita, sed in catholicam adeo ipsam Christi Ecclesiam omnino etiam peccasse videris.

Neque vero ideo quod te ita peccasse dico, commoveri protinus mihique succensere debebis, Rex potentissime! siquidem quod diceris, vere te etiam esse declarare cupis, nempe Regem Christianum: multo minus autem cogitabis, me eo ad te animo scribere, quasi per te offensus tuae vicissim Maiestati atque existimationi Regiae quicquam omnino detractum aut ullo prorsus modo aspersum velim. Equidem pluris est apud me praecellentis tuae vocationis in Ecclesia Christi excellentia, tua item spectata alioqui orbi toti probitas et studium singulare erga religionem, etiamsi indicio circa illam (ut homines sumus omnes) alicubi fallaris, quam ut unius aut

alterius peccati nomine dignitatem existimationem atque gratiam apud omnes tuam elevari quoquomodo, ne dicam labefactari velim. Imo vero gratias ago Domino Deo nostro, quod te talem Regem (quod ad te quidem attinet) suae Ecclesiae nostris hisce temporibus donaverit, et opto, ut alia quoque orbis Christiani regna perinde amantes religionis ac publicae tranquillitatis Reges divino beneficio habere possint.

Sed quemadmodum unum aut alterum peccatum non efficit, quo minus sancti interim et sint et habeantur Principes ipsi suamque nihilominus autoritatem atque existimationem apud pios omnes retineant, si modo pietatem suam studiumque erga religionem alibi rursus attestentur et declarent, ita etiam, quamlibet spectata ipsorum probitas efficere alioqui non potest, quominus peccasse dicantur, si quando contra Deum aliquid eiusque Ecclesiam committunt. Et cum tanto sint maioris offendiculi peccata fere omnia, quanto sint maiore loco qui illa commiserunt, tanto equidem minus sunt etiam dissimulanda, iis praesertim per quos peccata omnium mandato Dei ipsius annunciari debent. In quorum sane numero cum et ego supra omne meritum dignitatemque meam, sed Divina interim ordinatione constitutum me esse videam, quod quidem ad concreditas mihi Ecclesias meas attinet, tuque mihi adversus illas peculiariter peccasse videaris, facile intelligere potes, intelligent et pii omnes, me ex officio meo facere, quod te peccati tui admoneam, — et tui vicissim officii esse, ut me benigne ac clementer audias, non autem commovearis, siquidem tibi peccatum tuum, non sane ex meo ipsius cerebro, sed e verbi Divini fontibus commonstravero. Quemadmodum olim sanctissimi alioqui Reges, etiam de peccatis admoniti, adeo sane aequanimiter tulerunt ministrorum in Ecclesia admonitiones, ut illos et cariores multo deinceps habuerint et precibus eorum sese insuper commendarint. Ostendam tibi igitur, Rex Serenissime! peccatum tuum ex verbo Dei, ut illud agnoscas culpamque illius, non apud mundum, sed apud Dominum Deum in corde tuo depreceris. Duo sunt autem, in quibus mihi graviter peccasse videris. Primum, quod non meam solum, sed catholicam plane Christi Ecclesiam passus sis apud te iniquissimo sane praeiudicio, neque aliunde quam ex calumniis et sutelis nescio quibus collecto, proscindi atque damnari. Deinde, quod dissipatas Antichristiana tyrannide, non meas, sed Christi Ecclesias, fidei duntaxat meae concreditas, ita tractaris, ubi ad te fiducia pietatis tuae confugissent opemque per me tuam supplices Christi Domini nomine implorarent, ut si vel ad Ethnicos venissent, clementius sane illas excipiendas fuisse non diffidam. Hic ergo utrobique, ut te contra Deum et eius Ecclesiam graviter peccasse intelligas, utrumque tibi peccatum hic tuum singillatim ob oculos ponam.

Quodque ad primum attinet, non arbitror te ignorare, quanti Christus Dominus suam in terris Ecclesiam et ipse faciat et ab omnibus, potissimum autem a Regibus ac Monarchis fieri etiam velit. Sanguis ipsius innocentissimus, quo illam sibi consecrare voluit, atque additus ei corporis

eius titulus, nempe ut sit caro ex carne et ossa item ex ossibus eius, ipse sit vicissim caput frater ac sponsus ipsius aeternus. Haec inquam perspicue testantur, quanti Christus Dominus suam hic in terris Ecclesiam faciat, ut qui in illam peccant, culpa se hauddubie profanati pariter sacrosancti et sanguinis et corporis Christi liberare non possint.

Rursus, dum Reges ac Monarchos altorum ac pastorum titulo non frustra proculdubio ornari audimus, conduplicari sane culpam eorum intelligimus, si curam Ecclesiae vel negligant vel ad se non pertinere putent: nec dicam, si illam, antichristiana tyrannide dissipatam longissimisque ac gravissimis itineribus agitatam, adhuc afflictam atque ad se pietatis fiducia profugam, denique et Christi Domini nomine supplicem, aversentur priusquam audiant ac diris omnibus devoveant et condemnent idque sub Euangelii praetextu scilicet, cuius patronos ac defensores esse profitentur.

Hic igitur tuum ego te factum propius intueri velim, Rex clementissime! Venimus ad te dissipati perfugi ac Christi nomine supplices. Tu, priusquam nos audire velles, doctrinam nostram, nosque adeo ipsos, in publica concione ad quam nos deduci iussisti, iniquissime proscindi atque damnari, si non omnino voluisti, ita certe passus es, ut condemnationem illam nostri demum propulsione minime obscure approbaris, — neque ad ullam nostri purgationem nos admiseris quoquo modo. Id totum sane ita actum esse, meminisse te puto, quod quidem ad nostri condemnationem in publica concione attinet. Atque sane, sive nos pro membris Ecclesiae Christi habueris, sive non habueris, — sive nostras Ecclesias pro Christi Ecclesiis agnoveris, sive non agnoveris, utrumlibet hic tibi deligas, utrobique te culpa profanati in nobis et nostris Ecclesiis corporis ac sanguinis Christi liberare nunquam poteris in iudicio Dei, nisi peccatum tuum agnoscas, et culpam illius apud thronum gratiae Dei depreceris.

Etenim, si nos nostrasque Ecclesias pro membris in catholica Christi ecclesia agnovisti, quos videlicet ipse sibi et sanguine suo preciosissimo consecrasset et sacro sancto corpori suo inclusisset, tu ipse tuus hic iudex esto, num Christi Domini corpus et sanguinem in nobis nostrisque Ecclesiis ita honoraveris, ut ab altore et pastore Ecclesiae suae debuerant honorari? cum nos nondum auditos proscindi ac damnari patereris in ea concione, ad quam nos, priusquam te adiremus, deduci voluisti. Neque hic pluribus volo agere, sed tuam ipsius conscientiam hac in parte appello et oro ut illam Domino Deo tuo approbare velis.

Si vero nos nostrasque Ecclesias pro membris Christi non es dignatus agnoscere, gravius multo adhuc dignitatem corporis et sanguinis Christi in nobis profanasti. Ne quaeso hic succenseas! Re ipsa quod dico verum esse videbis, si rem paulo diligentius tecum reputare velis. Graviter sane peccat, qui Regis sui autoritatem contemnit proque nihilo ducit, sed multo gravius adhuc peccat, qui non dignitatem modo atque autoritatem Regis sui pro nihilo ducit, sed Regem quoque ipsum regno suo aut bona eius parte spoliare excludereque conatur. Regnum porro Christi Domini, Regis regum omnium, in terris sunt Ecclesiae ipsius, quibus sane

Christum Dominum spoliare prorsusque excludere conamur, dum eas pro membris ipsius ipsumque pro illarum capite agnoscere non dignamur, etiamsi illas fundamento per ipsummet Christum Dominum posito insistere videamus. Ita cum libelli nostri palam et diserte testentur, nostras Ecclesias huic ipsi fundamento manibus et pedibus, quod dicitur, pro nostra infirmitate inniti, cum nullius item erroris ullo unquam legitimo ordine ab ulla omnino restituta Ecclesia, non dico accusati, sed ne admoniti quidem, nedum convicti simus, imo cum a maxima restitutarum ecclesiarum parte pro fratribus agnoscamur, nosque illas etiam in Domino veneremur, gravius multo profanasti dignitatem corporis et sanguinis Christi in nobis, Rex serenissime! siquidem nos nostrasque Ecclesias pro membris Christi in catholica ipsius Ecclesia non es dignatus agnoscere, priusquam nos etiam audisses, quam si agnitam in nobis membrorum Christi dignitatem contemnendam esse putasses.

Accipe vero et aliud exemplum, quo rem plenius cognoscas. Qui mutuam coniugum aliquorum desponsionem, potissimum autem Regum aut Dominorum suorum contemnunt rident ac traducunt, eos sane quisque intelligit in Reges ac Dominos suos esse contumeliosos dignosque qui a suis illis Regibus ac Dominis proculdubio puniantur. Sed nemo negaverit, infinitis modis gravius peccare illos multoque digniores qui plectantur, qui Regis sui sponsam illi abripere atque ad ganeas propellere conentur. Ita, cum Scriptura, omnes qui sunt in Ecclesia mystici coniugii vinculo Christo Domino ut castam virginem desponsos esse testetur, et nos quoque nostrasque Ecclesias ad hoc ipsum vinculum pertinere constet, Baptismi primum, deinde vero Confessionis nostrae ac Ministerii in Ecclesia nostri testimonio, equidem nullis suffugiis vitare poteris, quominus in tua ipsius conscientia convincaris, te gravius multo in sponsum nostrum Christum Dominum dignitatemque corporis et sanguinis Christi in nobis peccasse, si quidem nos pro membris ipsius in ipso mox adventu nostro agnosere noluisti, quam si agnitum nostrae cum Christo desponsionis vinculum pro nihilo tibi duntaxat habendum esse iudicasses. Enimvero quatenus desponsionis nostrae illud cum Christo Domino vinculum non modo contemnere in nobis nostrisque Ecclesiis agnitum, sed ne agnoscere quidem etiam voluisti, hactenus sane nos sponso nostro Christo Domino — quod in te quidem erat — abripere conatus es, atque in Satanae ganeas propellere, cum eos, quos pro Christi membris agnoscere nolumus, alio sane loco quam pro Satanae membris habere non possimus.

Vides igitur, Rex Serenissime in utramlibet! partem te vertas, culpa te nihilominus utrobique teneri laesaeque dignitatis in nobis nostrisque Ecclesiis corporis et sanguinis Christi per iniquam nostri illam apud te in publica concione condemnationem, sive nos pro Christi membris agnoscebas, sive non agnoscebas.

Quod vero ad alterum peccatum tuum attinet, illud quoque ex iisdem fontibus facile commonstrari potest. Quemadmodum enim publica illa nostri Ecclesiarumque nostrarum apud te facta condemnatio in corpus et sanguinem Christi Domini, ut dictum est, redundat, ita sane omnem nostri Ecclesiarumque nostrarum tractationem apud te Christus ipsemet Dominus

sibi olim, nisi culpam apud illum depreceris, imputare se velle testatur. Neque hic multis opus est ad commemorandam nostri Ecclesiarumque tractationem.

Venimus ad te — ut antea quoque dictum est — dissipati antichristiana tyrannide, profugi, per maria ac terras longissimo ac gravissimo itinere iactati, inedia propemodum confecti, et venimus Christi nomine supplices, pietate ac benignitate tua, multorum testimoniis laudata, confisi. Ibi vero, etsi nondum admissos neque auditos iniquissimo praeiudicio damnari audissemus, nostram nihilominus petitionem de admittendis apud te nostris Ecclesiis supplices prosequuti sumus, sperantes fore ut haec tanta praeiudiciorum iniquitas cum tempore corrigeretur. Expetiimus abs te ad approbanda nostra omnia qualiacunque tu ipse voluisses, sive privata, sive publica colloquia, a quibus modo convicia calumniae et praeiudicia excluderentur, quae Christianos alioqui homines, nedum Doctores, haudquaquam decerent. Subiiciebamus nostra omnia Verbi Divini autoritati atque ad hanc solam omnia examinari postulabamus. Testati sumus, nos multo libentissime cessuros esse docentibus meliora ex verbo Dei, si nostra inde etiam approbare non possemus. Oravimus postremo, ut, positis humanis affectibus, solius Dei gloria in pacificandis Ecclesiis doctrinaeque controversiis omnibus quaereretur. Nos, quemadmodum ubique hactenus pacem, non dissidia, societatem Ecclesiarum individuam, non schismata ulla quaesivissemus, ita non passuros esse nunc etiam, ut quicquam in nobis omnium hac sane in parte desideretur.

Haec nos sane ita egimus omnia, id quod nostra alioqui tradita tibi per me Supplicatio abunde testatur. Sed hisce omnibus adeo nihil efficere apud te potuimus, ut ne receptaculum quidem apud te ad extremum in media propemodum hyeme nostris Ecclesiis, neque nobis reditum ad illas etiam permittere sis dignatus, neque hic preces nostrae omnes per Christi nomen apud te habitae tantum valere potuerunt, ut vel nostris Ecclesiis, in quibus multos valetudinarios, multas item gravidas ac forte etiam puerperas iam esse dicebamus, domicilium per hyemem saltem, vel nobis ipsis reditum ad illas, ut iis pro fide nostri ministerii adessemus, ullo modo potuerimus impetrare. Quid! quod ex tuis palam audivimus, facilius te multo in regno tuo Papistas et quascunque tandem alias sectas laturum esse, quam nostras Ecclesias. Atque id quidem nescimus, tuo ne iusso nobis sit dictum, nec ne, sed de te nobis et quidem a tuis dictum esse scimus, et re ipsa Papistis in Regno tuo domicilium, denique et opes et honores permitti vidimus, cum nos in media hyeme propelleremur. Quid vero eiusmodi admisimus, obsecro, ut cum Papistis ac sectis quibusvis aliis eodem apud te, aut etiam deteriori loco haberemur? Sed si eodem nos cum Papistis apud te, aut etiam deteriore loco ponis, quo pacto nobis per tuos consiliarios eo nomine gratulatus es, quod ad Papismum relapsi non essemus in Ecclesiarum nostrarum dissipatione? Haec enim tuis verbis per tuos consiliarios nobis dicta fuerunt.

Sed ea nos tibi ipsi, Rex serenissime! tecum perpendenda relinquimus potius, quam ut illa pluribus prosequamur. Certe ego summopere doleo,

me tecum de his ita agere oportere, nisi quod pro Ecclesiarum mearum dignitate meique in illis ministerii fide aliud facere non possum.

Ac vellem te hic posse intueri cor animumque erga te meum. Nimirum videres, me tibi revera multo melius in Domino velle, etiamsi te ita peccati nunc tui admoneam, quam illi faciunt, qui tua apud te laudant omnia, tuaque interim probitate et clementia, quod non deberent, indignissime abutuntur, quos ego alioqui etiam maiore haud dubie peccati tui culpa, quam teipsum, teneri puto, etiamsi te quoque culpa tua liberare non possim.

Habes, iam Rex Serenissime! positum tibi ob oculos peccatum tuum, in quo si tibi plus aequo libere egisse videor, cogita me id pro Ecclesiarum mearum dignitate et fide mei ministerii facere oportuisse, sed tamen id totum fecisse, non equidem laedendi quoquo modo elevandive, sed iuvandi potius tui medicandique animo. atque in ipsa peccati exaggeratione, te quidem non excusari (graviter enim peccasti revera), sed eorum potius interim accusari impudentiam, qui probitate hac in parte benignitateque tua regia indignissime certe sibi ad nos infamandos abutendum esse putarunt.

Neque novum est, optimis oculis pessimos quandoque ficos adhaerere. Ita mirum non est etiam optimis quibusque Principibus pessimos ardeliones adesse adeoque et aegre ab illis avelli posse. Sed, si id usquam est dolendum, maxime sane est dolendum apud eos Principes, qui candido simplicique corde animum adiiciunt ad restituendam veram religionem. Ut enim quisque hic minimum fellis habet, ita alios quoque omnes sine felle esse putat, et, ut quisque est optimus, ita maxime est credulus. Fitque ita demum, ut optimi quique facillime etiam hypocritis credant, et facillime demum etiam non quidem suo vitio, sed illorum dolis atque imposturis fallantur, inque multorum ad extremum peccatorum societatem pertrahantur. Possem hic multa eiusmodi exempla nostri iam temporis proferre, si non illa deplorare potius, quam commemorare mallem. Sed optaremus, te quoque inter ea recenseri non posse.

Quod porro iam est proximum, Deum optimum maximum oro, ut te regat ac gubernet liberetque te a ficis tuis, ne gravius adhuc tua probitate abutantur. Equidem dolendum est, nomen tuum per istos infamari, quod alioqui piis ubique omnibus commendatissimum esse oporteret et esset proculdubio longe commendatissimum, nisi isti obstarent. Quanquam nemo est, qui probitatem candorem integritatemque tuam, denique et studium tuum erga religionem, non libenter agnoscat, nisi quod dolemus, te impudentia atque hypocrysi quorundam transversum agi donaque Dei in te per illos infamari. Alioqui probitate atque integritate tua factum videmus, ut, etsi publica unius tui censura damnati essemus, tua tu interim erga nos beneficentia sis usus et tuam peculiariter erga me propensionem clementer declaraveris etiam, dum et liberos meos istic relictos in curam tuam te recepturum esse mihi indicares, siquidem id tibi permitterem, et supellectilem meam istic asservari posse permitteres, donec pro illa missurus essem. Haec sane non levia nobis argumenta fuerunt agnoscendae probitatis ac benignitatis tuae nobisque hoc etiam gratiora, quod

non obscure testarentur, condemnationem nostri illam apud te factam eo apud te loco non fuisse, ut nos eodem plane loco cum deploratis illis haereticis poneres, quibus tamen adnumerabamur: quos alioqui munificentia tua sine piaculo iuvare non potuisses.

Quod igitur munificentia tua in nos sis usus quodque tuam erga me peculiariter propensionem declarare volueris, id sane ex tua ipsius adnata probitate et clementia factum esse non dubitamus, tuaeque Maiestati Regiae hoc nomine summa cum observantia gratiam habemus oramusque ut eo nos animo complecti etiam pergat. Quod vero nos apud te passus sis proscindi ac condemnari, quod item nos nostrasque Ecclesias censurae illius nomine in regno tuo ferendas non esse iudicaveris, id sane totum censoris tui illius impudentiae et sui similium maxima ex parte acceptum referimus, etiamsi te hic quoque prorsus, ut dictum est, non excusamus: peccatum enim gravius est quam ut excusari ullo modo aut debeat aut possit.

Quoquo enim modo assensus es illi condemnationi, non in nostras sane Ecclesias tantum, sed in catholicam adeo ipsam Christi Ecclesiam et proinde in ipsum quoque Christi Domini corpus et sanguinem peccasti, sive dum nos a catholica illius Ecclesia non sine illius pariter ac nostri iniuria rescindis per censoris illius tui condemnationem, sive dum illam nobiscum pariter eius doctrinae nomine condemnas, quam illi nobiscum communem esse perpetuo atque unanimi eius consensu indubitato constat.

Video me prolixiorem esse, quam initio volebam. Finem faciam igitur. Tantum te oro, Rex clementissime! intuere propius factum tuum, quo nostras Ecclesias praeter meritum illarum praeterque doctrinam Euangelicam et praeter legem etiam charitatis Christianae censoris illa tui condemnatione et tua propulsione infamasti, et vide tuam conscientiam, ut illam non mundo huic, neque item tuis censoribus, qui et ipsi falli ac fallere possunt, sed Domino Deo tuo in cordis tui penetralibus approbare possis.

Quod restat, Deum oro, ut dona in te sua augeat illaque per spiritum sanctum suum regat et ornet ad dissidiorum in sua Ecclesia compositionem et ad tuam ipsius salutem. Amen. Meque et meam tenuitatem tuae Maiestati summa cum observantia commendo. Quodsi quid mihi respondere dignaberis, id per D. Henricum concionatorem tuum [1]) tibi licebit, ad quem etiam ea de re scripsi, et non dubito talem esse, cui facile credi possit. Acmdae, undecima Decembris, anno 1553.

Sacrae Maiestati tuae Regiae addictissimus,
Io. à Lasco m. pr.

[1]) Henr. Buscudonensis, ad quem simul epistolam dedit, ut docet nos eius ad Hardenb. Ep. N°. 96, p. 694.

N°. 96. [Gerd. s. a. IIb. 694. Gorham, a. l. 307.]

Ad Hardenbergium.

Indicatum est mihi, te a comite Christophoro [1]) vocatum esse atque hic etiam [*te posse*] [2]) exspectari. Proinde cum certus non aim, te istic reperiondum esse et aimus hic in tui exspectatione, non visum est cur ad te scriberem. Tantum hoc indicare volui, si forte nos exspectatio falleret, mihi Principis [3]) nomine promissam esse omnem benevolentiam, neque mihi tantum, sed omnibus etiam ex meis dissipatis ecclesiis. Ego tamen Principem nondum vidi, nam est apud fratrem adhuc, sed spero non esse mutaturam sententiam, nam id mihi suis verbis indicari iussit. Ubi ad nos veneris, videbis quid ad regem Daniae scripserim et concionatorem ipsius. Dominus me auxit filio Samuele.* Uxor iam melius habet, sed aegrotabat ad mortem usque. Ego etiam valeo utcumque. D. Chrysogonum audio valde mutatum esse, quo nomine valde gaudeo illique gratulor. Dominus confirmet, quod orsus est.

In novis nihil, nisi quod in Anglia noster Cantuariensis capitis damnatus est et publice per Londinum circumductus, plectendus, ut dicebatur, post octavum diem [4]). Caeterum in ipsa circumductione constans alacer et ad constantiam omnes invitans, sic ut publicum fere luctum in populo excitaret. Orabat autem perpetuo, ne quid tumultus excitaretur, patientia vincenda Christianis esse omnia etc. Dicitur tamen quinque ab hinc septimanis exortus illic fuisse tumultus gravis et vix compositus.

Gallus item novis incursionibus infestat Caesaris ditiones. Circa [*Terovanam et Hesdinum*] [5]), octo miliaribus a Lovanio, illic omnia iam exusta direptaque esse dicuntur etc. In Germania habentur Comitia Principum multorum, ad quae et Caesar vocatus adventus sui [*nullum tamen hucusque dedit indicium*]. Exspectatur illinc nescio quid novi et quidem magni, ut audio. Det Dominus ut [*Ecclesiae suae fausta*] sint, vale. Raptissime. Emdae 12 Decemb. Anno 1553. Salvere iubeo tuam, Iacobum [6]) nostrum, Molanum [7]), cuius forte conditionem hic habebimus [8]). Eilardum, sponsum cum quo velim ut ageres, quem nosti [9]), imprimis autem D. Herbertum [10]) nostrum quam officiocissime. Rursum vale.

---

[1]) Christoph. Oldenburgensis, v. ep. 97. [2]) Gerd. hic et passim inferius lacunam habet. [3]) Fovebat spem quam satis solido niti fundamento, docuit eventus, sibi cum dissipatis suis Ecclesiis refugium apertum iri ab Anna Comitissa Phrisiae-Orientalis. [4]) Cf. Burnet, o. l. II. 374. [5]) Etsi longius a Lovanio distent, nil tamen dubito, haec nomina inserenda esse, quippe quae obscurius scripta a Gerd. non intelligebantur. De bello illo cf. Schlosser, VII. p. 213. [6]) *Iac. Praepositus.* [7]) *Ioh. Molanus,* Scolae Bremensis Rector, cf. Gerd. a. a. IIb. 695. [8]) *Eilardus Segebadius,* Eccl. Brem. pastor, v. ib. [9]) Nomen prorsus latet. [10]) *Herbertus Langius,* Canon. Brem., v. ib.

N°. 97. [Bibl. Brem. VI. 156. Gerd. s. a. II^b. 696.]

Ad Hardenbergium.

Exspectavimus te hic magno desiderio, dicebaris enim a Christophoro vocatus esse, ut huc secum una venires [1]). Is ubi venisset, valde amanter nostri meminit apud sororem, cupiens ut ad se venirem. Ac vero, si ullo modo itinera fuissent pervia, ad ipsum profecturus fuissem multo libentissime, sed neque terra neque aqua quoque proficisci licebat.

Gaudeo enim de metamorphosi super modum, de qua tum etiam mihi narrabas, sed hic alii plura retulerunt. Ita vero hic excepti sumus, ut si ad maxime necessarios venissemus, amantius excipi non potuerimus. Pro nulla Ecclesia ita sunt solliciti Nobiles fere omnes, ut eorum studium ac benevolentiam, denique et munificentiam satis praedicare non possim. Dominus Christophorus Eusumanus [2]) veri fratris officia praestare non cessat, cuius ego pietate ita delector, ut meae me inertiae prorsus amantissime referunt, sed et re ipsa nostros ita iuvant, ut nobis omnes in communem quandam patriam venisse videamur.

De Principe quoque omnes nobis omnia bona pollicentur et ipsamet mihi non obscuram eius rei significationem per Dominum in Oldersum [3]) dedit. Breviter, ago gratias Domino Deo meo, quod nos huc reduxerit. A Duce etiam Megapolitano [4]) expecto responsum, et spero melius fore, quam fuit Regis Daniae.

Te autem libenter hic vidissem nunc, si id fieri ullo modo potuisset, ut tecum de Gellii [5]) fratris nostri catechismo coram egissem. Ut enim verum fatear, nollem illum editum, reperi namque in illo quaedam, quae mihi, si exeat, ferenda dissimulandaque non erunt. Statueram itaque de impedienda eius editione tecum agere, et nunc optarim illum ad tempus saltem supprimi, si fieri possit. Et esto ut iam imprimi coeperit et tu efficere ullo modo queas, ut editio interrumpatur, oro te, da operam quantum potes ut id fiat. Nos facile sumptum, si qui iam est factus, persolvemus, modo sciamus quantus sit. Et ut ocius editio interrumpatur, facies nobis rem multo gratissimam et Ecclesiis nostris valde utilem. Sed haec tibi soli [6]).

Gallus obsidet Lucemburgum. Maria Brabantia tractat in Anglia ipsamet coniugium inter Mariam Anglicam et Caesaris filium [7]). Quod si procedat, ego tibi praedico fore funestum. Postea res docebit. Vale. Raptissime. Emdae ipso natalitiorum Christi die Anno 1553. Manum nosti.

---

[1]) Cf. Ep. 96. [2]) *Dom. Chr. ab Eusum*, Senator Emd. Cf. Brenneisen, o. l. l. VII. n. 5. [3]) *Hector ab Oldersum*. Cf. Harckenr, *Oostfr. Oorspr.* 177. Brenneisen, o. l. I. 345. [4]) In eius ditione, sc. Wismariae, exsules appulerant. [5]) *Gellius Faber de Bouma*, Leovardia oriundus († 1564) cf. Reersh. *Ostfr. ref. Prediger-Denkm.* p. 6. [6]) Plura de cat. illo in seq. ad Hard. ep. [7]) Ipsamet tamen in Angliam non traiecit, licet a Maria regina Angliae fuerit invitata. Cf. Burnet, o. l. II. 388.

N°. 98.

Ad HARDENBERGIUM.

Accepi tuas literas 23 Decembris scriptas, unaque et Farraginem Westphali [1]), mendaciis et calumniis plenam, pro qua tibi interim magnam gratiam habeo, brevique ad illam respondebo per Dei gratiam et quidquid huius erit ad te transmittam, priusquam evulgetur [2]). Facile est autem de spiritu Westphali iudicare, dum in consensionibus dissidia comminiscitur et nodos in scirpo quaerit. Christi spiritus dissidia componit et conciliat quae dissidere videntur: iste in consensione quaerit dissidia, ut scindat Ecclesiam suoque errori patrocinetur. Si nobis fuisset studium conferendi interpretationes eorum, quos ille a suis partibus stare putat, facile istiusmodi farragines colligere possemus, et ostendere re ipsa, non mendacibus calumniis, ipsos, non modo inter sese, sed plerosque secum ipsos, et quidem non verbis, sed plane sensu ipso dissentire. Ut si quaeratur, alterutra doctrina ob dissensionem damnanda sit, multo magis ipsorum doctrina, quam nostra, condemnationi obnoxia futura esset, — ut ne dicam interim, nos multo graviores habere nodos in hac ipsorum doctrina, propter quos ea sane, si legitimum de illa Ecclesiae iudicium habendum esset, tolerari inter pios haudquaquam deberet. Ego sane, si alia nunc essent tempora et non tantum Ecclesiae Christi periculum ex istiusmodi libellis impenderet, gauderem tales ab istis libellos edi, nam hac tanta mendaciorum et calumniarum impudentia nihil dubitarem causam nostram apud pios omnes commendatum iri, nedum ut ipsis adiomento esset futura. Sed de hoc in responsione plura, nunc ad nostra.

Scripsi ad te nuper de catechismo Gellii et vellem ut faceres quemadmodum scripsi [3]). De sumptu, quicunque futurus est, nihil erit negotii. Et ita inter nos convenit, ut tres simul catechismos edamus: maiorem, quem hic una omnes formavimus, hunc Gellii, paucis mutatis; et tertium, minimum, pro pueris tenuioribus, mittitque Gellius ipse ad te litteras ea de re [4]).

Spero te conventurum cum Comite Christophoro nostro [5]). Oro te ut causam nostrarum Ecclesiarum illi commendes. Medmannus [6]) tibi exponet omnia. Venissem ipse nunc cum Medmanno, sed mihi ab hoc tanto frigore metuo. Ubi paululum sese remiserit, visam et ipse comitem, de quo sane valde gratulor et gaudeo. Dux Megapolitanus [7]) amanter respondit, sed metuit sibi a fratre suo Ulricho [8]). Spem facere videtur nescio quarum rerum, quas adhuc oporteat expectari etc. Alia nunc non habemus. Vale. Prima anni 1554.

Precor tibi et tuis omnibus faustum ac felicem hunc annum. Salvere iubeo tuum, Iacobum, Molanum et Eilardum [9]).

---

[1]) I. WESTPHALI, *Farrago confusanearum et inter se dissidentium opinionum de Coena Domini ex Sacramentariorum libris congesta*. Magdeb. 1552. [2]) *Responsio* eius exiit a°. 1560. Cf. Tom. I. 271 sqq. [3]) Est haec epist. 97. [4]) Longe diversum exitum hanc rem habuisse, videre est in iis quae de Cat. Emd. praefati sumus.

[5]) Cf. ep. 96, 7. [6]) *Petrus Medmannus*, Coloniensis, qui posthac officia sua Comitissae Annae obtulerat diuque apud Emdanos consulatu functus est. Cf. Ubbo Emm. n. l. p. 948. Haackenroth, *Oostfr. Oorspr.* p. 47. Beao, n. l. p. 85. Brenneisen, n. l. l. VI. n. 7. Hammelm. n. l. 1334. Bertram, *H. Lasci.* p. 270. [7]) *Ioannes Albertus.* [8]) *Episc. Schwerinensis.* [9]) De tribus illis Brem. Cf. ep. 96 n. 6, 7, 8.

N°. 99. [Autogr. in Arch. Tig. C. vol. VIII. 277. Gerd. s. a. IVa. 481. Gorham. o. l. 314.]

Ad Bullingerum et Theologos Tigurinos.

Nihil dubito, fratres in Domino observandissimi! quin magno iampridem desiderio teneamini audiendi de nobis aliquid, posteaquam Angliam, dissipatis illic nostris Ecclesiis, reliquissemus. Sed et vos credere vicissim potestis, non minus etiam nobis fuisse toto hoc interea tempore ad vos scribendi desiderium, si id facere ullo modo potuissemus, non solum ut vestram pro nobis sollicitudinem levaremus, quam equidem summam esse pro vestra pietate non dubitamus, sed ut vestras preces etiam vestraque suspiria cum [*nostris*] tanto ardentius coniuncta habere, denique et instrui a vobis et confirmari praeterea in aerumnis ac certaminibus nostris potuissemus, quibus nos Dominus Deus noster ad Filii sui, quod spero, gloriam probare nonnihil exercereque voluit, illi sit gloria in secula. Amen. Quia vero nobis id hactenus non licuit, et nunc se nobis offerret, qui nostras ad vos literas Argentinam usque perferre posset, neque dubitaremus, facile illinc demum etiam perventuras ad vos esse, facere plane non potui, quin vos pariter istic omnes per meas hasce literas tumultuarie quidem, ut tempus tulit, sed interim ex animo diligenter atque officiose ut fratres dilectissimos salutarem, simulque etiam vos de totius Danici itineris successu ac rationibus omnibus facerem certiores, ut pariter nobiscum iam demum etiam gratias Domino Deo nostro agatis pro Divina ipsius in nos benignitate et misericordia, qui neque in aerumnis neque in certaminibus nostris nobis defuit unquam, sed nobis potenter astitit virtutemque suam Divinam in nostra tenuitate illustravit. Mitto autem vobis silvam itineris nostri [2]), usque dum a Rege Daniae dimitteremur, ne dicam propelleremur, in qua videbitis, ad quem modum nobiscum egerint antagonistae nostri in doctrina de Sacramentis, et facile intelligetis, quod sit ipsorum ingenium, quae integritas et quid ab illis sit piis omnibus exspectandum? Dominus illis ignoscat, et largiatur per suam gratiam, ut semel aliquando resipiscant. Reliquum nostri itineris nondum absolvi, neque absolvere possum, donec qui adhuo alibi sunt dispersi ad nos veniant [3]). Martinus Micronius noster cum bona Ecclesiae nostrae dissipatae parte est Wismariae, in Ducatu Megapolitano [4]): alii sunt Lubecae [5]), alii Hamburgi [6]), sed brevi huc venturi omnes. Ego autem non constitui, an hic manere velim, sed exspectabo, donec nostri omnes conveniant, qui forte hic meo amplius ministerio non egebunt. Adiungent enim sese huic Ecclesiae [7]), quae suos alioqui ministros habet, ita ut me liberum fore sperem.

Hamburgi pastor quidam Ioachimus Westphalus in nos omnes in genere scripsit libellum mendaciis et maledictis refertum [8]), in quo interim nihil habetur, quod non ab aliis dictum sit prius et quidem felicius etiam. Eum vobis quoque mitto, si forte vestrum aliquis istic ei respondere velit, nam mihi nunc re vera non vacat. Vellem tamen illi, non tam propter ipsum, quam propter alios qui ab ipso pendent, responderi. Emisit praeterea etiam farraginem interpretationum super verbis coenae collectam ex scriptis Carolostadii, Zuinglii, Oecolampadii, Petri Martyris, Buceri, Vestrae confessionis adversus Lutherum, Bullingeri, Calvini et ex meo quoque ad extremem libello, sed huic ego cogito respondere, si Dominus gratiam dederit. Quid? quod et hic post meum abitum admisceri quaedam etiam coeperunt per quosdam, quae tamen facile, spero, corrigentur. Urgent Buceranam exhibitionem, quae ne ab ipso quidem Bucero intelligi potuit, nedem ut solidis ullis vel testimoniis vel rationibus comprobari possit, sed de hoc postea plera. Tantae est molis videlicet, tollere prodigiosam illam, omnisque Papisticae idololatriae parentem, imaginationem praesentiae corporis Christi in ceremonia ipsa et elementis Coenae. Spero tamen brevi futurum, ut ex animis piorum omnium tollatur omnino. Sunt rursum, qui me a vobis dissentire putant, eo quod panem et vinum in coena signa coenae esse negem, quae vos symbola esse docetis corporis et sanguinis Christi: quasi vero non aliud sit coena ipsa, aliud vero corpus et sanguis Christi, ut, etsi panis et vinum coenae signa non sint, symbola tamen corporis et sanguinis Christi esse nihilominus possint. Imo vero, cum ego doceo, distributionem ipsam ac participationem panis in coena esse signum coenae, simul quoque doceo, panem et vinum in coena esse symbola corporis et sanguinis Christi. Alioqui distributio ipsa panis ac poculi in coena signum esse non posset communionis nostrae cum Christo in corpore et sanguine ipsius, si panis et vinum symbola non essent corporis et sanguinis Christi. Sed amant venari ac serere dissidia, ubi nulla sunt, cum ipsi sibi nusquam constent [9]).

Plura iam non possum. Commendo me et dissipatam meam Ecclesiam vestris precibus et Vos pariter omnes opto in Domino recte et feliciter valere. Aemdae Frisiorum 3 Martii [10]) 1554.

Vester ex animo quantus est

Ioannes à Lasco, m. pr.

---

[1]) Excidit apud Gerd. [2]) Initio ipse sibi à Lasco proposuerat infortunias Eccl. suae enarrare, quo fine *sylvam itineris* iam obiter concinnaverat. Hanc silvam misit. Quantum scimus periit. Utenh. ea haudddubie usus est in *narratione* sua conscribenda. [3]) Cf. n. 9. [4]) Utenhov. *s. a. f. narr.* p. 120 sq. [5]) Ib. p. 165. [6]) Ib. p. 191 et Gaevius, *Mem. I. Westph.* p. 75. [7]) Quod Belgae inter exules reapse partim fecerunt, qui vero gallico sive anglico idiomate utebantur non ita. [8]) *Recta fides de Coena Domini ex verbis Apostoli Pauli et Euangelistarum demonstrata ac communita.* Magd. M. Lother. 1553. Authore I. Westphalo. [9]) Cf. de hisce in Eccl. Fris. Orient. dissid. Bertram, *H. Lasci.* p. 280 sq. [10]) Hess. in *Cat. Ms. Tig.* II. 77. (non ed.) eam latam esse dicit III Martii. Cf. Gorham, o. l. p. 314. Gerd.: VI *Martii.*

N°. 100. [Bibl. Brem. cl. VII. tot. Gerd. s. a. lib. 699.]

Ad Hardenbergium.

Binas abs te literas accepi, mi Alberte! alteras 12 Martii, alteras per Martinum nostrum Microniam. Scriptas literas, quibus te mihi de libello Gellii respondisse scribis, nullas accepi, neque quomodo interierint scio, sed mihi satis est, si libellus prematur. Consilium meum in mutatione editionis nullum est, nam ut ederetur nunquam suasi, sed ubi intellexissem atque ipsemet postea etiam vidissem, genus doctrinae in libello mutatum esse, atque illic tradi, quae me hic praesente reprehensa semper fuerunt, denique affirmari etiam, quod eiusmodi doctrina hic dudum tradita ac recepta esset, facere pro fide ac dignitate mei ministerii non potui, quin huius Gellium serio admonerem, cum certum sit alioqui, eam doctrinam, quae in suo libello habeatur, nunquam hic in Ecclesia me praesente sine reprehensione traditam, ne dicam receptam fuisse, — et me oportere adversus ipsam scribere, si libellus ederetur. Habes meum consilium, mi Alberte! cur mihi ferenda non sit libelli illius editio. Quod scribis, tibi videri catechismum hunc eundem plane cum priore esse, vellem te id ostendere posse. Ego enim id, ut verum fatear, non video. Imo vero in illo video, quae neque probavi unquam neque probare possum. Neque vero ego mutavi quid in doctrina mea ab eo, quod vel nostris hic Ecclesiis ante meum hinc abitum in scripto meo traditum reliqueram [1]), vel ad vestros istic ministros te autore scripseram [2]). Sed scio, nusquam in utroque illo scripto id haberi, quod in hoc Catechismo habetur.

Exacerbatos esse multos libello meo in Anglia edito [3]) nihil miror, hoc enim in dogmatibus controversis vitari nunquam potest. Sed ego istis alios oppono, et pietate et eruditione pares (ne quid aliud dicam) qui mihi pro meo libello maximas gratias egerunt, adeoque et nunc sollicitant, ut denuo edatur. Et tamen, si causas aliquas iustas habere istos intelligam suae istiusmodi exacerbationis, dabo operam ut illis aliquomodo satisfacere possim. Nam si exacerbationis suae causas nullas proferre possunt, quae quidem pondus aliquod habeant, et nihilominus exacerbari pergant, id mihi ferendum in illis erit, dum corrigere non possum.

Ad tollendum doctrinae dissidium pacificandasque Ecclesias ita sum affectus et fui semper, ut nulli hac in parte sim cessurus, sed sic, ut veritas obtineat, non autem obscuretur aut dissimuletur quoquo modo in hominum gratiam. Alioqui nolo placere hominibus, ut numero servorum Christi excludar, quod in me quidem est. Atque hic mihi bene conscius successum causae totius Domino Deo alacriter et optima conscientia permitto. Qui iis finibus doctrinam de Eucharistia includere volent, quibus in meo scripto, vel istis hic Ecclesiis per me olim relicto vel vestris istic ministris dato, inclusa est, parata est concordia, donec Dominus meliora dederit. Alioqui neque Anglicus liber meus aliam doctrinam habet, sed diversam doctrinam gravius oppugnat. Et tamen vix decimam eorum partem at-

tigi adhuc, quae commemorari possent. Sed forte addito praefamine adiicientur [4]).

Et tum demum Westphalus, verbi alioqui Divini sceptro abiecto, Magistratus in me sceptrum concitabit [5]). Facilius illi nimirum erit ad hunc modum disputare, multoque adhuc facilius, si Papam sequutus ferro ac flammis rem agendam esse clamet. Atque hos te, mi Alberte! placandos esse putas? Ego vero, cum illos nonnisi mendaciis ac calumniis agere videam suamque ipsorum ab illis, non autem Dei gloriam quaeri, ita sum plane de eis placandis sollicitus, ut Christum Dominum video fuisse sollicitum in placandis Principibus Sacerdotum et Pharisaeis. Apud pios ac gloriae Dei studiosos homines gratiosus esse cupio meaque illis opto probari omnia, et ut nos in mutua charitate feramus, — sed cum contentiosis et turbulentis hominibus, non cupio mihi multum esse negotii. Male te istic audire nihil miror, mi Alberte! imo vero te ita bene adhuc audire miror. Quinam vero nostri te flagellent, plane nescio, multo minus, quinam sint, qui te musicam vivere vitam putent, quod ipsum ne ego quidem ipse satis intelligo. Fac ut sciam et videbis me non fore mutum. De me tibi potes polliceri, quod de te ipso, plura iam non possum. Vale. Caetera Lambertus noster. [Aemdae] 28 Martii 1554.

---

[1]) Intelligit sive *Catech.* quo tunc utebantur, sive *Epitomen Doctrinae.* [2]) Ep. illae ad Min. Eccl. Brem. in scr. Brem. desiderantur. [3]) *De Sacramentis*, a°. 1552 ed. [4]) Praefamen illud praemisit libello suo „*Forma ac Ratio*". 1555. [5]) Respicit verba: *Glodius in istos stringendus esset*, quibus Westphalus usus esse narratur Utennov. *s. a. f. narr.* p. 212. Similis eius dictum legitur in eius *de coena* lib. teste Graevio, o. l. p. 87.

N°. 101. A [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Cum iter istuc suum ad tuam Celsitudinem institueret D. Gnapheus [1]), committere nolui, ut sine meis literis ad tuam Celsitudinem veniret, et quanquam nihil fere habeam, quod literis ad tuam celsitudinem dignum quoquo modo videri possit, tamen vel hoc tantum indicandum esse putavi tuae Celsitudini, quod iampridem sim in expectatione literarum ipsius, cum ternas alioquin literas iam dederim ad Celsitudinem tuam. Audio vero tuam Celsitudinem fuisse in expectatione adventus istuc mei, adeoque et de aedibus mihi istic curandis fuisse etiam sollicitam pro sua benignitate ac clementia, quo sane nomine tuae Celsitudini — ita enim rumor hic increbuit — ingentes gratias ago. Atque sane toto meo animo in hoc propendebam, ut ad tuam Celsitudinem potissimum venirem, sed prioribus meis literis tuae Celsitudini exposui, quid obstiterit quominus id fecerim, aut

etiamnum mihi faciendum esse putem, priusquam de Celsitudinis tuae voluntate certior fiam. In causa religionis servus hominum esse non possum, posteaquam semel iugum huius servitutis per Dei gratiam excussi, praesertim dum ea quae docentur, verbi Divini autoritate non video solide atque evidenter comprobari. Deinde hypocritam hac in parte etiam agere non possum, si quis meam sententiam requirat, paratus interim audire alios multo libentissime, denique et discere meliora, quae ex verbo Dei proferuntur. Haec quoniam non facile a plerisque ferri video, et apud tuam quoque Celsitudinem nonnullos id aegre laturos esse vereor (etiamsi de tuae Celsitudinis probitate optima quaeque mihi indubitato persuadeam) putavi mihi expectandum esse, ut de tuae Celsitudinis animo hac in parte certior fiam. Atque hoc ipsum adhuc etiam expecto. Et si scirem, haec in me apud tuam Celsitudinem ferri posse, non multum immorarer in instituendo istuo meo itinere: sin minus, tum alio forte cogitarem. Meo mihi interim tamen officio functus videbor, quod tuae Celsitudini detulerim operam meam. Mitto tuae Celsitudini brevem meam confessionem de nostra cum Christo Domino communione et de corporis item Christi in coena Dominica *exhibitione* [2]), quam hic nunc aedidi propter obtrectatorum quorundam calumnias, qui interim amicitiam simulant et pro fratribus haberi volunt [3]). Commendo me gratiae Celsitudinis tuae quam diligentissime, et Deum oro, ut tuam Celsitudinem una cum illius familia natoque non ita pridem novo haerede [4]) clementer servet et gubernet. Aemdae quarta Iunii Anno 1554.

Illustrissimae Celsitudini tuae addictissimus,
Ioannes à Lasco, m. pr.

[1]) De *Guil. Gnapheo*, alias *Fullonio*, cf. Meiners, o. l. I. 29. De eius cum Duce Pruss. rel. Arnoldt, *Kirchengesch. Preuss.* V. 8, 13—17. [2]) *De Christi incarnatione* v. ed. nostr. T. I. 235 sq. [3]) Respicit ea, quae contra eum moliti erant aulici cum Lutheran. fautoribus, v. infra annot. in Ep. 103. [4]) Mox tamen obiit.

B [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Illustrissime Princeps! Post scriptas litteras allata est mihi disputatio habita nuper in Anglia iam post meum abitum in causa Sacramentaria [1]). Hanc igitur tuae Celsitudini, cum aliud nunc ad manum non esset, mitto. Quanquam autem eam illic libertatem permissam non esse video nostris quam Christiana alioqui disputatio poscebat, tamen ne tantum quidem libertatis nobis est concessum apud eos qui Euangelicissimi haberi volunt, ad doctrinae nostrae approbationem, quantum antichristianae tyrannidis propugnatores nostris adhuc in Anglia permiserunt. Haec est scilicet Ecclesiarum restitutio, ut quod semel tuendum suscepimus, id ne examinari

quidem amplius quoquomodo, nedum impugnari patiamur, cum interim Paulus, omnia examinari ac legitimis Ecclesiarum iudiciis probari velit. Ubi enim unquam est actum legitimo colloquio de Sacramentaria hac controversia? Agi quidem coeperat Martburgi apud Cattorum Principem, sed transigi non potuit. Interim tamen sine fructu non habitum illud colloquium, quemadmodum Lutherus ipsemet agnoscit. Conventum est enim de multis et gravibus religionis capitibus et spes erat Sacramentariae quoque concordiae, nisi illam male feriati quidam rursus homines impedivissent. Quidni vero nunc succederet, quod antea tantum non successit? Utinam vero Deus excitet aliquem Principem qui animum adiiciat serio ad componenda haec in religione dissidia, atque adeo utinam tu is sis, Princeps Illustrissime! qui id semel in animum inducas! Quam enim memoriam nominis tui magis celebrem in Christi Ecclesia relinquere, denique quemnam maiorem Deo cultum praestare posses, quam si doctrinae dissidia tuis auspiciis in Christi Ecclesia componantur? Videmus Papistas adversus nos omnes propemodum concatenatos esse, et inter nos nemo est qui cogitet de tollendis doctrinae dissidiis. Imo non desunt, qui cum abominanda Papae idololatria coniungi malint, quam nos admittere ad doctrinae nostrae approbationem, cum nos interim testemur, atque id etiam praestare parati simus, nos, si nostra solidis ac perspicuis scripturae testimoniis comprobare non queamus, atque adeo catholicae etiam Ecclesiae consensu, et alii suae doctrinae fontes in scripturis commonstrent, multo libentissime nostram sententiam mutaturos esse, etiam cum publica nostri pudefactione. Sed Deus in caelis videt haec omnia, et cum nos nihil aliud quam gloriam ipsius certissimo conscientiae nostrae testimonio quaeramus, expetamus ubique sive publica colloquia (quae modo in modestia et mansuetudine Christiana, semotis convitiis calumniis ac praeiudiciis instituantur), denique et nostra omnia legitimis Ecclesiarum iudiciis ex verbo Dei subiiciamus, — interim vero nusquam, ut saltem audiamur, possumus impetrare, nostro nobis officio functi esse videmur, et Deo, qui, ut dixi, haec videt omnia et ante cuius tribunal olim omnes sistemur, causam nostram commendamus. Haec obiter adieci, Princeps Illustrissime! accepta occasione oblatae mihi huius disputationis, in qua plus aequitatis agnoscere cogimur apud antichristi satellites, quam apud eos qui Euangelii Patroni ac Propugnatores haberi volunt.

Tuae celsitudinis Illustrissimae studiosissimus,
Ioannes à Lasco, m. pr.

[1]) Habita Oxoniae d. 14 April. et seqq. 1554. Cf. Strype, o. l. II. 48 sqq. Burnet, o. l. II. 421. Acta huius disput. ed. Fox in *Acts and Monum.* VI. 439 sqq. et Ridley in op. *Parker Soc.*

N°. 102. [Frankf. Relig. h. ib. 1735. I. 290 sq.]

Ad Ecclesiam Vesaliensem.

Legimus litteras latine nobis redditas, Fratres in Domino observantissimi! quas ad vos pridem et Genevensis et Lausanensis Ecclesiarum Ministri, communes nostri Fratres, scripserunt, probamusque vehementer, quod illorum vobis consilio in vestra nunc causa utendum esse putaveritis: sed veremur, ne non satis illis expresseritis rerum istic vestrarum omnium faciem, quantum quidem ex eorum litteris possumus iudicare. Primum enim existimant unam atque eandem esse et vestram et hospitis vestrae Ecclesiae doctrinam, aut si quid est dissidii, id eiusmodi non esse, ut vos invicem alii alios propter illud ferre non debeatis. Deinde si quae vos in receptis istis ritibus quoquo modo offendunt, ea omnia ad quandam infirmitatem referri volunt [1]), quam vobis alioqui perferendam esse censent. Postremo arbitrantur, vos pro privatis duntaxat membris hospitis Ecclesiae habendos esse, quibus plura sane sunt perferenda peregre praesertim, quam si qui [*in*] [2]) publico Ecclesiae Ministerio versentur. Atque ita demum vos hortantur ad omnium istic tolerantiam cum omni modestia coniunctam, ne a quibus benigne hospitio excepti estis, ab iis demum data illis per vestram temeritatem occasione propellamini, ut homines seditiosi et societatis Ecclesiasticae perturbatores. Haec nobis summa eorum esse videtur, quae in litteris Fratrum illorum nostrorum communium habentur, ad quam reliqua omnia referri facile possint. Nos porro optaremus, ad eum se istic modum habere omnia, ad quem modum Fratres, ut apparet, illi omnia se habere putant, et, si res ita se istic haberent, nullum sane vobis aliud etiam consilium dare hac in parte possemus. Sed cum alia longe ad nos istinc et quidem per vestros Fratres adferantur, quae nobis in caussa sunt, ut in approbanda Fratrum illorum, qui ad vos scripserunt sententia nonnihil haerere et graviora istic metuere cogamur, — visum est, vos quorundam, posteaquam nostram etiam requiritis sententiam, paucis admonere in charitate et libertate Christiana, ut re melius excussa vos demum ipsi perpendatis, quid vobis tandem sequendum esse statuatis, pro eo ac videritis, num vera ad nos istinc perferantur. Primum igitur in eo haeremus, num doctrina quae istic traditur sit una prorsus atque eadem cum vestra adeoque et nostra, denique et eorum ipsorum qui ad vos scripserunt Fratrum doctrina, aut num eiusmodi sint et istic dissidia doctrinae, ut eorum nomine traducantur proscindantur ac diris omnibus devoveantur omnes, qui ab hospite vestra Ecclesia dissentiunt ullo modo. Quod si vestra doctrina ita est invisa istic, ut audimus, et alibi alioqui invisam esse nimium satis experti sumus: nempe ut, non admissis ullis omnino colloquiis, pro deploratis haereticis habendi sitis, si doctrinae istic receptae assentiri protinus nolitis, tum nos sane non videmus, quo pacto istic tuta liberaque vestra conscientia incolumiqus doctrinae vestrae confessione, non dico Ecclesiam vestram instituere, sed pri-

vatim etiam manere possitis. Quo pacto enim Ecclesiasticam eorum societatem vel expetatis obsecro, vel etiam agnoscatis aut feratis, qui vos audire non dignentur et diris mox omnibus devoveant, nisi illis protinus in condemnanda vestra ipsorum doctrina assentiamini, aut certe vos assentiri simuletis. Equidem nihil dubitamus aliter longe ad vos fuisse scripturos Fratres illos communes nostros, si quid huius ex vestris litteris intellexissent. Deinde veremur etiam, ne quod Fratres illi circa rituum varietatem ad infirmitatem quandam pro sua modestia referunt, quae a vobis videlicet perferri debeat, id forte ad pertinaciam potius, cum mira quadam arrogantia et gravissimis praeterea etiam praeiudiciis coniunctam, referri non immerito possit. Non est infirmitatis, nulla colloquia nullasque admonitiones admittere velle, atque, iis non admissis, omnes prae se contemnere ac devovere. Quin et in retinendis propugnandisque eiusmodi ritibus, quos verbi Divini autoritate non dico comprobari, sed ne excusari quidem ullo modo posse constat, imo vero, per quos lucem Euangelii palam obscurari, naturam ac dignitatem Sacerdotii Christi labefactari, superstitionem ad idololatriam spectantem ali et puriores Ecclesias in graves suspiciones vocari videmus, — in retinendis inquam ac propugnandis cum praeiudicio istiusmodi, sive istic, sive alibi ritibus, nescimus an infirmitatis sit, nullam omnino impuritatem velle quoquo modo agnoscere, ac ne ferre quidem ullo modo, ut quisquam alius illam agnoscat atque omnes adeo fanatismi nescio cuius publice condemnare, quicunque illas non perinde retinerent ac propugnarent. Haec sane nobis extra omnis infirmitatis septa, quae a vobis quidem istic perferri debeat, posita esse videntur, neque vobis autores esse vellemus, ut ullam cum talibus societatem Ecclesiasticam, non dico Ecclesiae istic nostrae iuxta receptos ritus institutione, sed ulla etiam publica professione aut consociatione attestaremini. Sed pacem cum omnibus interim istic vobis habendam esse suademus, quatenus vos in vestrae fidei confessione tolerare volunt [3]). Neque haec tamen ita a vobis accipi volumus, ut horum quae recensuimus omnium hospitem istic Ecclesiam eiusque Ministros per nos accusari putetis. Nos tantum commemoramus, quae istinc ad nos sunt prolata et quae alibi ipsimet experti sumus: et quidem apud eos, qui eandem doctrinam, et eosdem ritus cum hospite istic Ecclesia retinent ac propugnant. Optamus interim vana esse, quae istinc audimus, atque utinam vos ipsi vana esse comperiatis! Postremo autem nescimus, an pro privatis istic hospitia Ecclesiae membris habendi sitis, si peculiarem vestram Ecclesiam instituatis. Sane Ecclesia institui non potest sine publico suo ministerio eiusque ministris, sine publico item ac peculiari coetu suo, ut vos quidem cum istic propter linguae varietatem instituere velletis. At vero hoc non est, ita vos hospiti Ecclesiae velle adiungere ut pro privatis duntaxat illius membris habeamini, sed est potius publicam istic eamque peculiarem societatem publicumque illius ministerium ordiri, cuius equidem nomine et ministri vestri omnes et coetus adeo vester universus, non tam privato iam amplius, quam publico potius loco habendus erit, vestraque ratio longe

iam alia est proculdubio futura in recipiendis per vos receptis istic ritibus, qui talia praesertim praeiudicia secum coniuncta habeant, quam [4]) futura alioqui esset, si pro privatis duntaxat hospitis istic Ecclesiae membris habendi essetis. Sed quemadmodum et Ecclesiae ipsae et Pastores earum imprimis ubique omnes in culpa haereant necesse est neglecti sui officii, si non modis omnibus pro sua virili aspirent ad Apostolicam puritatem abususque omnes, quod in ipsis est, tollere non conentur, qui praesertim non tantum remorantur Ecclesiarum aedificationem, sed et lucem ipsam Evangelii etiam non leviter obscurant atque adeo gravant etiam, cum antichristianae impietatis elevatione atque etiam excusatione, — ita neque vos iam istic cum coetu vestro, ministris vestris, eadem ipsa culpa carere poteritis omnino, si quae ab aliis in ipsorum Ecclesiis tollenda esse putatis, ea vos ipsimet in instituenda vestra Ecclesia, in qua alioqui ea omnia abolita iampridem fuisse scitis, amplectenda denuo esse existimetis. Locorum mutatio non mutat Ecclesiam, nedum ut vestram Ecclesiam ita istic *in*stituere, quasi non antea iam inter nos extiterit, ac non potius uno loco dissipatam divina promissione alio rursum loco *re*-stituere existimetis, aut non idem prorsus vestrum istic officium esse putetis, propterea quod peregrini novique adeo homines essetis, in restituenda vestra Ecclesia, quod alias fuisse agnoscebatis, cum una in Anglia pariter nostras Ecclesias divino beneficio veluti domi nostrae haberemus. Domi est iam pastor quilibet, Fratres charissimi! dum in Ecclesiae, quantulacumque ea est, ministerio ubivis locorum versatur. Et, quemadmodum fratribus illis, qui ad vos scripserunt, integrum non esse videtur, revocare in ipsorum Ecclesias, quae semel sunt per ipsos abolita, quemadmodum ipsimet scribunt, ita et vobis in vestra istic (si restituatur) [5]) Ecclesia nihilo magis integrum fore putamus, amplecti ea denuo, quae alias abieceramus, cum in restituenda istic vestra Ecclesia nihilo sane minor in vobis requiratur fidelitas, quam in illis ipsis fratribus, qui ad vos scripserunt, in gubernanda ipsorum Ecclesia requiri ullo modo posse videtur. Nolumus odio nolarum, vestium aut cereorum a vobis quidquam fieri omnino. Sunt enim bonae Dei creaturae omnes, si illis bene utamur. Sed vitandam esse dicimus omnem superstitionem, quae ad alendam idololatriam spectare quoquomodo videtur, a qua sane in iis locis, in quibus haec observantur, plebem ipsam, ne quid de aliis dicamus, nondum plane liberatam esse videmus. Censeri autem non poteritis, ullam istic separationem in Ecclesia velle facere, si in restituenda [6]) vestra Ecclesia receptos istic ritus, qui vos offendunt, amplecti nolitis. Dum enim istic vivere et fratrum loco haberi postulatis, dum neminem istic etiam solo rituum receptorum nomine condemnatis, sed observatam per vos alibi rituum puritatem cum pace hospitis Ecclesiae retinere cupitis in Ecclesiae vestrae alibi dissipatae restitutione, adiuncturi vos alioqui privato nomine hospiti Ecclesiae, si vos sibi cum doctrinae vestrae confessione et sine priorum rituum morumve [7]) praeiudicio adiungere vellet, videre sane non possumus, qua ratione accusari possitis ullius omnino separationis, si, dum id impetrare non potestis, quod pro vestro offi-

cio ad vestrae Ecclesiae restitutionem postulatis, consilium etiam vestram de instituenda istic vestra Ecclesia mutetis. Sed hospes potius istic Ecclesia videri merito poterit occasionem dedisse vestrae separationi, quae vos in vestra petitione, quam alioqui et piam et verbo Dei consentaneam esse negare non potest, non solum non audiat, sed suis etiam praeiudiciis ita praeterea gravet, ut vos pro fratribus nolit agnoscere adeoque et pro haereticis habeat, nisi cum illa et in doctrina et in ritibus et in praeiudiciis ipsius paria modis omnibus facere aut id saltem simulare velitis. Horum nos paucis admonendos vos esse putavimus, Fratres dilectissimi! de quibus alioqui communes illos fratres nostros, qui ad vos scripserunt, per vos admonitos non esse arbitramur. Alioqui quis non suadeat vobis ut privatis, manendum istic potius esse, quam vagos huc atque illuc vos [8]) cursitare, si vestra doctrina non damnetur et priores ritus vestri consentientesque vobiscum Ecclesiae fanatismi non accusarentur, et vos, si aliter fieri non posset, hospiti adiungeretis Ecclesiae, si modo vobis sua sine praeiudiciis proponeret vosque in doctrinae vestrae confessione pro fratribus agnoscere vellet, donec Dominus meliora daret. Agnoscendum est proculdubio Dei beneficium, si quando nobis hospitia procuret, sed interim est cavendum etiam, ne Sathanae artibus Dei beneficia obtendamus. Transformat se subinde insidiatrix illa vipera in lucis angelum et veluti verae religionis fautor quaedam largitur, quae magnam multarum bene gerendarum rerum spem facere videntur, quo nos inescare primum fucorum suorum lenocinio sub spe, deinde vero incautos ad praecipitium pertrahere facilius possit. Hic igitur nos id potissimum nobis semper sequendum esse putamus, quod debiti inprimis officiique nostri erga Deum eiusque Ecclesiam ex verbo ipsius esse scimus. Successum vero omnem rerum omnium Domino Deo nostro, bonitate ac potentia illius certo confisi, permittimus, certi, illum esse et fidelem, ut nos iuxta promissiones suas non deserat, et prudentem, ut omnia ad adorandi sui nominis gloriam et nostram salutem dirigere ac moderari sciat, denique et potentem, qui nobis ademto uno loco alium rursus reddere nosque ab omnibus omnium ubique hominum impetitionibus pro bona sua in nos propter Christum Dominum voluntate liberare facile possit. Estque haec iam nostra sententia, quam vobis ad vestram postulationem voluimus communicare. Deus optimus maximus vestra consilia vestrosque conatus omnes gubernet, et addat vobis suam gratiam, ut maiores progressus in dies in illustranda propagandaque vera religione et vero ipsius cultu facere possitis. Interim vero vos oramus etiam, ut nostri dissipatarumque hic nobiscum Ecclesiarum in vestris sanctis precibus meminisse velitis. Mittimus vobis exemplaria aliquot nostrae Confessionis de re Sacramentaria, nunc primum hic editae ad reprimendas aemulorum quorundam nostrorum calumnias [9]), quam vobis quoque usui istic fore putamus, vosque in Domino omnes recte valere optamus. Aemdae 6 Iulii, quo die anno superiore Patronus atque altor nostrae in Anglia Ecclesiae, Eduardus, vere sanctae memoriae Rex Angliae propter gentis suae ingratitudinem e vivis excessit regnum-

que suum, de se illi divinitus donato ingratum, regno caelesti commutavit. Anno 1554 [10]).

IOANNES à LASCO m. pr.
PETRUS DU VAL, Minister Ecclesiae peregrinorum Gallicae linguae.
IOANNES UTENHOVIUS.

[1]) FRANKF. REL. HANDL.: *nolunt.* [2]) Ib. omisit *in.* [3]) Ib.: *nolunt.* [4]) Ib.: *quae.* [5]) Ib.: *ei restituatur.* [6]) Ib.: *instituenda.* [7]) Ib.: *morum.* [8]) Ib.: *nos.* [9]) I. e. *De Christi communione*, v. Ed. nostr. T. I. 235 sq. [10]) Egregie hanc epistolam illustrat FR. RIVERIUS in sua *Hist. de Wesaliensis Eccl. dissipatione:* leg. *Frankf. Relig. hdl.* I. 278. Litterae Genev. datae erant m. Martio 1554, Lausann. m. April. eiusdem anni. Plura in Lasci vita hac de re dicentur. Cf. GOEBEL, o. l. I. 406 sq.

N°. 103. [Ubbo Emm. o. l. p. 950.]

Ad HARDENBERGIUM.

.... Philippum video sui esse similem, cuius ego eruditionem veneror, pietatem agnosco, modestiam laudo, ceterum μικροψυχίαν probare non possum. Optavi sane cum ipso colloqui et adhuc opto, sed video id non tam cordi ei esse, quam vellem, aut quam, uti ego sentio, esse deberet. Verum haec Domino permitto et cum Paulo dico „Si hominibus placerem etc." Mihi satis est ostendisse, paratum me esse, reddere doctrinae meae rationem, siquidem id posceret, etiamsi mihi ad ipsum esset proficiscendum, sive id privatim, sive etiam publice esset futurum .... [1]). [Emdae m. Sept.]

[1]) Nonnisi hoc fragmentum Emmius nobis asservavit. — Inscio plane à Lasco nostro Melanchthonem Emdam ad Eccl. pacificationem vocare volebant, qui Gellio magis quam ipsi assentiebantur. Strenue huic consilio Lascus sese opposuit, quod ad Mel. perlatum videtur. Cf. *Ep. Mel. ad Hardenb.* (BRETTSCHN.) 29 Aug. 1554: *De quaestione quam Lascius movet, scripsit huc ad pastorem querelas Io. Amsterodamus* (Timann, Brem. pastor), et de dissidiis hisce in universo Ubbo EMM. o. l. p. 949, 50. BERTRAM, o. l. 208. MEINERS, o. l. I. 341. Initio anni seq. epist. peramice ad Lasc. dedit Mel., Cf. *eius ad Hardenb. ep.* d. 21 Aug. 1555 (BRETTSCHN.).

N°. 104. [Gerd. o. l. IVa. 484.]

Ad BULLINGERUM

Incommode accidit, vir sanctissime! ut per quos me ad singulos vestrum istic copiose scribere posse putabam, per eos iam vix tria verba scribere queam, attritis alioqui e morbo gravi adhuc viribus, ut neque oculi, neque manus suum officium facere possint. Laboravi nunquam mihi antea cognita colica passione. Huic dum calida fomenta adhibeo, bilem circa iecur com-

moveo, ut in ventriculum regurgitet. Inde icterus sequitur, toto diffusus corpore, cum febre ardentissima, quae me iam quidem reliquit, sed ita viribus destitutum ut memetipsum admirer. Quare dabit veniam Pellicanus, pater meus dilectissimus, et reliqui collegae vestri, si nunc ad illos non scribam. Imo vero tu quoque ignosces, vir integerrime! quod brevis esse cogor. Coeperam in Westphalum adornare quaedam, sed me domestica hic tempestas quaedam interea excepit praeter omnem meam expectationem, qua de re nunc multa non possum. Edidi tamen brevem Confessiunculam doctrinae meae, quae calumniis impetebatur, cuius exemplar tibi mitto [1]). Haec rursus a nonnullis oppugnari coepta, in coetu demum publico ministrorum huius patriae a me defensa est. Collecta habeo, quae acta sunt omnia, sed non videntur digna luce publica. Me tamen ita sunt remerata, ut in Westphalum nihil agere adhuc potuerim. Ita adhuc exercemur, vir sanctissime! sit Domino gratia, non tamen sine fructu et meo et multorum. Nam hac velitatione doctrina nostra multo hic nunc est magis confirmata, quam unquam antea, et pudefacti qui illi reclamare conabantur. Nunc sub proelo est „Ratio gubernandi nostram in Anglia Ecclesiam cum eius ritibus ac ceremoniis" [2]).

Iter nostrum Danicum exibit lingua Germanica autore Micronio nostro [3]). Plura nunc plane non possum. Itaque vale et me tuorum omnium precibus diligenter commenda, eosque omnes verbis meis salvere iubeas velim. Raptim. Embdae 5 Octobris 1554.

Tuus, quantus est,
Ioannes à Lasco.

[1]) *De Christi communione*, ed. nostr. T. I. 235. [2]) „*Forma ac ratio*" partim Emdae, partim Frfti typis expressum esse, aliunde quoque notum est. [3]) Micronius ed. a°. '56 acta disputationis sose in itioere cum Mennone habitae, in quibus Lon- nihil de itioere in universo praefatos est. *Een waerachtig verhaal der t'samenspreek. tusschen Menno Simons eñ M. Mikron.* Eodem anno Menno respondit libello suo *Een gãtz duytliche ende bescheyde antwoort cet.* a°. 1556, cui opposuit iterum Mart. Micr. suum *Apologie ofte verandtwoord. M. Microen op XX verscheyde artikelen.* Emd. Gell. Ctem. 1556.

N°. 105. [E Catechismo Emd.]

Ad Min. Fris. Orient.

Haec ep. praemissa Cat. Emd. legitur ed. nostr. T. II. 496.

N°. 106. [Bibl. Brem. Cl. VI. 165. Gerd. s. t. II^b. 702.]

Ad Hardenbergium.

Ago tibi et illis omnibus, quorum in tuis literis meministi, gratias, mi

Alberte! quod et patriae meae de exorta illic Evangelii luce et mihi de mea illoc vocatione gratulemini [1]). Est sane modis omnibus laudandus Deus, qui re ipsa declarat, se sathana et omni ipsius satellitio potentiorem esse. Neque vero solum in mea patria procurat nobis miseris Swermeris [2]) hospitium, illi sit gloria! sed etiam apud Soedos, qoorum Rex nostram e Dania propulsionem palam accusat, et dolet quod non recta ad illum conteoderimus. Denique nobis et nostris pollicetur, non tantum hospitinm atque publicum ecclesiae nostrae ministerium, sed etiam liberalia ministris nostris stipendia, si nos eo conferre aut aliquos e nostris mittere velimus, etiamsi illic diversa a nostra doctrina publice habeatur recepta. Hoc ouncium a Rege illo nunc primum hisce nundinis accepi praeter omnem meam expectatiooem [3]).

Quod ad te porro privatim attinet, longum esset ad singula respondere, quae et per Slongrabium [4]) et per Molanum [5]) ad me scripsisti, sed ea attingam, quae magis ad rem faciunt. Si tibi dentata visa est fuisse mea epistola, quam postremam ex Frisia ad te scripsi, mi Alberte! id equidem non tam mihi, quam tuis ipsius literis ad me antea paulo scriptis imputare debebis, quae transmitti alioqui in ventriculum, nisi istiusmodi dentibus fractae, non potuerunt. Miror nuoc, quibus coloribus depiogere conatus sis nescio quos, quos interim meos vocabas, cum ego talium consuetudinem neque agnovi unquam neque etiamnum agnosco, quasi vero noo id in me etiam redoodarit, quod meis scilicet tribuebatur, cum quibus alioqui, aut ipse sensissem, aut ipsi mecum.

Neque ego in literis meis de Philippo ita agebam, ut dubitarem, illum recte omnia, si vocatus fuisset, prudenterque acturum fuisse, sed de tuo consilio agebatur, quo tu illum ad instituendam doctrinae in Ecclesiis nostris moderatiooem qnandam vocandum esse suadebas, quae sioe qualicuoque doctrinae mutatione institui non poterat ac proinde, me non prius per te admonito, fieri etiam debebat, praesertim cum ooo igoorares, me adhuc pastorem ecclesiarum illarum fuisse. Nec refert, solusne id, an vero cum aliis feceris, satis est, per te factum esse, non sine fraude quadam ministerii nostri et offensiooe mnltorum in meis ecclesiis. Hoc, inquam, est quod me offendebat, mi Alberte! sed noo ita tamen offendebat, ut animum abs te meom quoquomodo alienaret, sed tantum requirebam, ut qua parte mihi adversus meum ministerium egisse visus es, ea ipsa parte illius fidem vicissim sarcires, nempe ut, quemadmodum consilium de vocando Philippo ad instituendam doctrinae moderationem me non admooito dedisti, vel ab aliis datum probasti, ita illod apud eosdem ipsos rursum improbares, qoemadmodum ea res ad labefactaodam ministerii istic mei fidem videtur pertinere.

Haec vero animum abs te meum alieuatum non esse testantur, dum te officii hac io parte tui pro fraterna invicem charitate alenda admonerem. Quod vero ea omnia oblivioni tradi cupias, actum agis, mi Alberte! Nam ea iam pridem oblivione sunt obducta, oeque pensationem ideo requisivi, quod offensio in animo meo haereret, sed quod mihi pro meo in te officio

facere id omnino debuisse videbar. Quare facile est non amplius meminisse, quae iam dudum oblivioni sunt mandata. Igitur non est quod de animo erga te meo quaquam omnino dubites, imo vero, qua parte te a me offensum esse sentis, id mihi abs te condonari cupio, tantum abest ut aliquid offensionis inter nos reliquum esse velim [6]). Pro cura liberorum meorum habeo tibi magnam gratiam [7]), de quibus plura Molanus ipse, quo nunc amanuense meo propter morbum uti cogor. Vale et fratres omnes et amicos meis verbis saluta. Colonia [m. Maii 1555] [8]).

---

[1]) De feliciore hoc temp. Euangelicorum in Polonia statu cf. Gray, *Gesch. v. Polen*. I. 428. Lubienský, o. l. p. 65. Krasinsky, o. l. p. 104. [2]) Sacramentarios vulgo *Schwärmer* à Lutheranis vocatos esse, notum est. [3]) Confirmatur hoc Ep. Erici Suediae regis, quae asservatur in Scr. Eccl. Belg. Belg. Lond. 1. A. IV. 15 teste Gerd. s. a. IIb. 703. [4]) *Ioh. Sloengrabe* († 1597) Canonic. Brem. [5]) De Molano cf. supra ep. 96 n. 7. [6]) Hardenb. quoque, inscio Lasco, Melanchth. ad Eccl. Emd. vocationem promoverat. V. supra Ep. 103 n. 1. Diu hoc Lascum latuisse videtur, donec divulgatum causa ei fuerit, ut paullum acerbius Hardenb. ob tantam amicitiae violationem perstringeret. Non affirmare ausim, an haec fuerit ep., cuius fragm. sub 103 edidimus. Excusarat se Hardenbergius, cui demum excusationi haec Lasci epistola respondet. [7]) Videtur Lascus, Emda profecturus, unum alterumvo a liberis suis Bremam in tempus Hardenb. demandasse. [8]) Harckenr. et Gerd. hanc ep. ad a. 1554 referunt. Dicam quo iure m. Maii 1555 apposuerim. Scribit: *„ep. quam postremam ex Frisia ad te scripsi,“* unde docemur eum Frisiam iam reliquisse, quod confirmatur iis, quae sub finem addit *„ad labefactandam ministerii istic mei fidem.“* *Istic* profecto non scripsisset, dum ipse Emdae commoraretur. Quod de liberorum cura monet eodem tendere videtur, et si ea, quae in Ep. 107 de itinere ipsius obiter indicantur, cum hac ep. conferimus, satis magna fiducia statuere licet, Lascum hanc ep. Coloniae scripsisse, dum Francof. pergeret. Emda quum profectus sit noster exeunte m. Apr. 1555, ad m. Maium huius anni ep. nostram revocandam esse, indigitasse satis est.

N°. 107. [Gerd. s. a. IIa. 185.]

Ad Bullingerum et Bibliandrum.

Quum relicta Frisia iter huc meum instituissem, fratres in Domino observandissimi! fuit mihi forte fortuna Coloniae in itinere meo obvius Iacobus [1]), qui cum vestris ad me literis Aemdam veniebat. Is igitur literas vestras mihi reddidit, ast libellos, quos mittebatis, reddere non potuit, nam in navi quadam repositi iam fuerant cum aliis sarcinis Aemdam devehendi, priusquam me Iacobus [2]) convenisset, unde postea non facile eximi poterant. Itaque illos non vidi, sed Micronio nostro et Gerardo Campio tradi iussi. Literas autem vestras magna cum voluptate legi, nisi quod me ea, quae tu, mi Bullingere! scribis, de Foederatorum vestrorum consiliis Papaeque conatibus et tua valetudine non leviter perturbarunt. Cogor autem nunc utrique vestrum unis atque iisdem literis respondere,

imo vero non tam respondere, quam potius vos de rebus meis facere certiores. Ita vero rem paucis accipite. Moliti hoc sunt iampridem quidam in mea Frisia, priusquam eo ex Anglia venissem, ut doctrinam Saxonicam sub mea absentia inducerent [3]). Id vero aperte professi non sunt, sed viam se quaerere simularunt componendae controversiae Sacramentariae. Quia vero praetextui huic occasio nulla dabatur, eo quod maxima ministrorum totius patriae pars doctrinae nostrae unanimiter subscripsisset, neque ab ea vel latum unguem discedere vellet, quaesita est ratio vocandi me in suspicionem, quasi ego doctrinae meae genus de re Sacramentaria in Anglia mutassem. Et sunt reperti quidam, et quidem Symmystae mei, qui id paulatim auribus plurium instillarent, me interim ne verbo quidem admonito, quem tamen pro pastore agnoscebant. Mox erant, qui nescio quam Philippi Melanchthonis moderationem proferrent, ut ea Ecclesiis proponeretur. Alii ex Petri Martyris tractatione in suam sententiam detorserant verba quaedam, quaedam item ex vestra cum Calvino consensione, qua de re ad Calvinum etiam scripsi. Et quoniam ego aliis quibusdam verbis utor, etiamsi eodem spectent, quemadmodum Vos quoque recte iudicatis, spargere coeperunt, me et a Petro Martyre et a Vobis omnibus dissentire, qui prius me vobiscum consentire profitebar. Et eo res tandem, me nihil quidquam vel sciente vel etiam suspicante, est deducta, ut doctrina sacramentaria, cui omnes alioqui Symmystae mei subscripserant, corrigi coeperit, ac, ne ea sola corrigi videretur, totius Catechismi recognitio instituta est. Haec vero mihi demum in Anglia versanti indicata est, sed non facta ulla mutandae ullo modo doctrinae significatione, de qua alioqui nullus e Symmystis, uno aut altero excepto, cogitabat. Itaque nec ego recusabam, quominus Catechismus recognosceretur. Eo porro recognito suboluit plerisque fucus, atque ita unanimi Symmystarum omnium in coetu publico consilio constituebatur, ne recognitus ille Catechismus invulgaretur, priusquam ad me mitteretur meaque de illo sententia haberetur. Ibi vero recognitor ille moras nectere, quominus ad me mitteretur, et paulo post rursum moram nimium longam accusare, si mea sententia exspectanda esset. Breviter, editum volebat recognitum Catechismum illum non exspectata mea sententia, denique iam curaverat, ut typis mandaretur. Atque aulam hic sibi faventem habebat, quae aliud nihil quam doctrinae mutationem meditabatur. Interea vero ego ex Anglia venio, omnium istorum plane ignarus, et priusquam in Frisiam pervenissem, admoneor de sparsa de me suspicione, quasi doctrinam meam mutassem: ea re plerosque offensos esse, neque ita iam ut antea erga meam doctrinam esse affectos, imo vero novum Catechismum sub prelo esse, qui diversam doctrinam a mea contineret. Ingressus Frisiam, sciscitor a quibusdam fratribus, ut se ea res haberet. Intelligo latere quiddam. Posco a recognitore [4]) Catechismum, cuius pars iam excudi coeperat. Adnoto quae mihi non probabantur. Postea convocatis collegis, de mutata doctrina cum recognitore expostulo: moneo ne in editione pergat, alioqui me contra scripturum esse. Protuli quae me offendebant et volebam ut ad ea mihi

responderet et editionem interea differret. Placuit id reliquis collegis: recognitor Catechismi defensionem in se recepit, suppresso Catechismo. Ego defensionem refutavi, ut amplius respondere nollet, et conventum est, ut se omnes intra voces vestrae consensionis deinceps cum iusta earum explicatione continerent.

Ita conquievit tragoedia. Ego vero postea confessiunculam meam edidi [5]), ut sparsae de me suspicioni occurrerem, in qua mihi minime haerendum, multo minus autem illam silentio meo approbandam esse putavi. Ibi rursum recognitor ille novas in me turbas movere protinus cepit. Confessionem meam in ipsius contumeliam editam esse et nescio quae. Respondi, me non ipsius caussa eam edidisse, sed ut sparsam falso de me suspicionem apud pios omnes a me depellerem. Quodsi ipse eius suspicionis autor non esset, confessionem meam ad ipsum nihil pertinere. Si vero autor esset, tum sane adversum ipsum et omnes qui idem agnoscerent scriptam esse. Quodsi aut ipsum aut alium quempiam ulla in parte offenderet, me illam approbaturum esse. Postulabat demum ille, ut in coetu publico Pastorum excuteretur: excussaque et approbata est. Interim ille tamen articulos quosdam suos protulit volebatque ut ad illos responderem. Respondi scripto, ut nihil demum contradiceret et plane etiam conquiesceret. Haec porro res aulicos illos vehementer offendebat. Mox editus est Catechismus, consensu omnium, reiectis prioribus illis recognitionibus [6]), quo aulici multo adhuc magis sunt offensi. Et cum viderent, me illic praesente, non posse sine magno totius patriae motu mutationem doctrinae ullam induci, consilium de me illinc propellendo inierunt. „Me videlicet ita invisum esse aulae Burgundiacae, ut sine patriae periculo ferri „illic amplius non possem." Cessi itaque furiis illorum, hortatu totius Ecclesiae, quae me interim tota unanimiter pro suo adhuc pastore agnoscit neque alium quenquam vult petere aut agnoscere, et tantis me est officiis prosecuta atque etiamnum prosequitur, ut illius erga me amorem ac fidem satis praedicare non possim. Volumen esse oporteret, si omnia prosequi vellem, sed neque tempus id iam patitur, neque mea etiamnunc valetudo permittit. Alias igitur plura. Tantum hoc addam, ita me illic et ministros Ecclesiarum fere omnium et universam meam Ecclesiam, adhaec et proceres Patriae omnes in doctrina nostra confirmatos planeque consentientes reliquisse, ut nunquam antea tanta omnium simul animorum coniunctio sit illic conspecta, sit gratia Domino Deo nostro! nisi quod aulicus Magistratus plane impius est. Et ipsa Princeps vidua in studio religionis plane refrixisse videtur. Ad reliqua vestra nunc nihil respondeo, nam revera non possum [7]).

Salvere iubeo Patrem nostrum communem D. Pelicanum et Symmystas omnes. Dominus adsit Vobis Spiritu suo, Amen. Raptim. Francoforti 8 Iunii 1555.

Vester quantus est
IOANNES à LASCO m. pr.

---

[1]) Iacobus in Epp. nostri ad Hard. semper Iac. Praep. indicat. Ast illum hoc

tempore iter io Helvatiam suscepisse, perquam inauditum esset pro summa Lutheranos ioter et Helv. dissensiooe. Qoera coniici posset, an forte *Iohannem* (sc. Molanum) rescribeodum, qood ep. 106 heod leviter confirmat. [2]) V. n. 1. [3]) Cf. Ep. 103 n. 1. [4]) *Gellius Faber.* [5]) *De commun. Christi*, ed. oostr. T. I. 235. [6]) 6 Oct. 1554. [7]) Cf. Ep. 97.

N°. 108. [Gabbema, a. l. p. 117. Bertram, H. Cr. Lasci. p. 300. Frft. Rigb. II. 439. Gerd. Ilb. 705.]

Ad Medmannum [1]).

Dederam id negotii in abitu istino meo Gerhardo Campio, Vir Cl.! ut aut pecuniam mihi abs te datam tibi rursum redderet, aut nomen eius fratris [2]), qui illam ad me mittebat, abs te sciscitaretur: me enim nolle eam pecuniam retinere, nisi sciam cuius nomine mihi daretur. Iam vero audio Gerardum istinc abesse, et oum hactenus mihi nou sit indicotum nomen eius fratris, qui mihi per te eam pecuniam dari volebat, scripsi iam denuo ad Gerhardum, aut ut nomen fratris illius (quisquis tandem est) abs te resciscat, aut tibi pecuniam rursus omnino reddat. Te vero oro, ne aegre feras quod hoc ita faciam. Non enim aut tuo id aut eius ipsius, qui suam erga me beneficentiam declarare voluit, contemtu ullo facio, quatenus uimirum frater est, quemadmodum tu mihi dicebas, sed nolo ut sui illum nominis apud me pudeat, quem praestiti erga me beneficii non pudet. Et cogitare potes, interesse mea, ut sciam, quibus debeam et qnorum beneficentia iuver. Neque enim dissimulo me iuvari a piis fratribus, neque item me pudet fateri, quod eorum beneficentia bona ex parte sustenter, sed non ideo tameu a quibuslibet cupio sublevari, uisi cuius fidem et pietatem perspectam habeam. Aut igitur nomen suum edat, quisquis ille tandem est, qui me per te sublevari voluit, aut suam sibi rursum pecuniam babeat. Si frater est, fraterna apud fratrem qnem iuvat libertate utatur in iudicaudo suo uomine, alioqui alienum est a fraterno vinculo fraternaque libertate, nolle a fratre agnosci.

Adde, mi Domine Medmanne! quod tibi alioqui etiam ipse retuli, uon me tantum, sed plures quoque alios suspicari, eam pecuniam a Principe ipsa mihi consignatam esse. Quod si ita est, etiamsi tu illud apud me semel atque iterum negasti, ego plane illam habere nolo, neque volo ut ulla sua erga me officia hypocrisi suae obtendat, ouius illam ego apud tribunal Christi accuso. Habeat sibi ipsa omnem suam pecuniam in suae hypocriseos condemoationem, uisi resipiscere velit. Ego, dum talis esse pergit, nullam cum ea partem habere volo. Excusationes quas affert tuno expendemus, cum ante Christi Domini tribunal sistemur, id quod alioqui neque illi neque mibi nimium diu expectaudum erit. Dabis autem veniam, quod te ita interpellem, aliter enim facere uou possum. Vale Fraucofurti 6 Iulii 1555.

[1]) De Petro Medm. cf. Ep. 98 n. 6. [2]) Tecto nomioe pecunis Lasco oblata erat. Scripserat Medm. *fratris* eam esse, sed erat revera *sororis*, sc. Aooae Com.

N°. 109. [Praem. „Forma ac ratio."]

Ad Sigismundum

Legitur ea ed. uostr. Tom. II. 3—36. Data 6 Sept. 1555.

N°. 110. [Gerd. s. a. II[a], 490.]

Ad Bullingerum.

Tautis uunc obruor occupationibus, vir sanctissime! ut quae maxime vellem tibi cognita esse, ea iam perscribere ad te non possim, sed intra dies aliquot ad Martyrem scribam, et tum quoque ad te plura. Libellum a me nunc primum editum tibi mitto ut legas et iudices [1]). Westphalus in Calvinum scripsit [2]) virulentissime: partem libelli percurri, partem nondum vacavit perlegere, sed putant quidam qui legerunt et Calvino favent, necesse esse, ut Calvinus calumnias illius per aliquam occasionem refutet, non quidem ut libello peculiari aliquo respondeat, sed ut aliud agens obiter Westphali calumnias sine nomine convellat, praesertim ubi Calvini ipsius verbis Calvinum premere conatur.

Filius tuus Henricus nobis adfuit cum Ph. Melanchtonis gener [3]) apud me esset. Huic illum igitur adiunxi suntque una iam Witebergam profecti cum mea ad Philippum commendatione. Magnae sunt et inter Saxones ipsos turbae quod ad doctrinam attinet, quae res forte faciet, ut Witebergenses nobis aliquanto aequiores habituri simus.

Nos bic iam divino beneficio Flandricam quoque Ecclesiam impetravimus, ad quam instituendam Micronius noster huc ad me ex Frisia venit, rediturus tamen rursus in Frisiam [4]) post institutum Ecclesiae ministerium, ad quem modum in Anglia institutum habebamus. Estque revera ingens Dei beneficium, quod bic tam nobis faventem Magistratum habeamus. Plura iam non possum per temporis inopiam. Commendo me precibus vestris diligentissime et fratres istic omnes officiosissime salvere iubeo. Raptim Francofordiae 19 Septembris 1555.

Micronius multam vobis istic omnibus salutem adscribi voluit.

Ioannes à Lasco, m. pr.

[1]) Sc. „*Forma ac ratio*"; ed. Frft. 1555. [2]) Westphali *Collectanea Sent. D. Augustini de Coena Dom.* Ratisb. 1555. [3]) *Sabinus.* [4]) Nordae pastor erat.

N°. 111. [Autogr. Bibl. Duc. Goth. A 405.74. Francf. Rgh. II. 437. Gerd. s. l. II[b], 707.]

Ad Calvinum.

Cum proxime ad te scriberem, vir sanctissime! vixdum litteras meas absolveram, cum me morbus rursum meus ita corriperet, ut non possim

plane litteris meis includere exemplar epistolae meae ad Regem meum scriptae, de quo ad te scribebam, sed coactus sim alteri dare negotium, ut ad te transmitteret. Nunc vero per hosce decem aut amplius dies rectius rursum valui, sed sentire mihi denuo videor redituri iam morbi indicia, itaque brevior esse cogor.

Turbae hic nostrae nondum conquiescunt, sed in dies se tamen [1]) magis ac magis prodit temeritas quorundam. Domini de Sescbellis vicem doleo, quod passus sit, se eo protrudi aliorum instigationibus. Esto enim, habuerit in quibus Valerandum merito et graviter reprehenderet, quemadmodum ego sane me ipsum, ut de aliis taceam, multis et magnis reprehensionibus dignum esse agnosco, multum interest interim, corrigendine an vero infamandi animo aliquid agamus, ab amore ne item ant ab odio proficiscantur omnes tum admonitiones, tum reprehensiones. Hic vero, ut apud te verum fatear, multa in multis desiderare cogor. Illud unum scio et testari etiam vere possum, Valerandum graviter secum ipsum colluctatum esse et in dies colluctari, ut se ipsum vincat. Quod equidem certaminis genus, ut est omnium longe pulcherrimum, ita etiam omnium longe difficillimum esse fateamur necesse est, quicunque in Domino in dies magis ac magis renovari ex animo optamus.

Ego sane de me ipso libenter fatebor, me adeo non sentire magnos progressus in mei illa ad quem aspiro renovatione, ut mihi nescio quomodo retrogredi magis quam progredi videar, ac proinde non miror, si alii quoque non protinus quo volunt eluctari possint, magnumque progressum nostrae renovationis esse interpretor, si quae subito exuere non possumus, quae nostra est infirmitas, ea interim et apud nos ipsos in corde nostro, et apud alios etiam sine hypocrisi accusemus, in iis nobis ipsi vere displiceamus et veniam illorum cum apud Deum tum apud homines ingenue petamus. Ea porro cum in Valerando videre mihi videar iuxta externam saltem hominis faciem — de corde enim Deo suum relinquo iudicium — non possum profecto illius hac in parte innocentiae meum testimonium denegare.

Scribit ad te vir clarissimus iuxta ac pientissimus, Iohannes Clauburgus, ut litteris tuis omnes simul hic peregrinorum ecclesias ad mutuam concordiam et pacem cohortareris: deinde, ut ad urbis quoque huius ministros Germanicos peculiariter scribas in eandem sententiam, meque oravit, ut tibi quoque eius rei autor essem. Ego vero me ea de re ad te scripturum esse recepi, et plane id abs te fieri optarim, vir doctissime! Multum enim ponderis litteras eiusmodi tuas hic habituras sperarem. Nam etsi Anglicae turbae utcunque conquievisse videantur, etsi item in Flandrorum ecclesia nihil sit turbarum, gratia Domino! quin et de Gallicis quoque turbis spes sit, conquieturas esse per gratiam Dei, tamen nunquam non est futura utilis ad pacem publicam et mutuam corcordiam exhortatio.

Et ut nihil aliud fiat, plurimum nihilominus proderit, extare testimonium nostri erga pacem ac concordiam studii, quod nos alioqui etiam apud magistratum post tuas litteras acceptas attestari poterimus, si quo modo id efficere possimus, ut una cum huius urbis ministris peregrini quoque mi-

nistri coetus communes, quos hactenus obtinere non potuimus, habere possint, qua de re vellem te quoque peculiariter ad ipsum Clauburgum scribere, et ut pastores urbis ipsos officii ipsorum hospitalitatisque item erga peregrinos amanter quidem ac leniter, sed interim accurate et diligenter admoneres. Plura iam non possum, vir sanctissime! tantum me precibus vestris isthic totum commendo et salvere cupio symmystas isthic omnes officiosissime [2]). Raptim Francofurti d. 18 Decembris Anno 1555.

Tuus quantus est
IOANNES à LASCO m. pr.

[1]) GERD.: *tum*. [2]) Tota haec epist. egregie illustratur ex iis quae de turbis dissidiisque Francof. pegr. ecclesiarum habentur in RITTER, *Ev. Denckmahl der st. Frf.* Frf. 1726. *Frankfurter Religionsh.* supra iam laud. LEHNEMAN, *Hist. Nachr. der Niederl, Gem. Augsp. Conf. in Frankf.* Frft. 1725. FRESENIUS, *Kirch. Gesch. d. Ref. in Frf. a/M.* Frf. u. Lpz. 1751, ut et in DATHENI opusculis. Longius tamen esset haec omnia in notis iam excutere, praesertim cum in Lasci vita Francof. Eccl. fata copiosius enarranda mihi sint.

N°. 112. [Gerdes. o. l. IIb. 709.]

Ad REGEM POLONIAE.

Legitur haec ep ed. nostr. T. I. p. 349.

N°. 113. [Gerd. o. l. IIb. 711.]

Ad ORDINES POLONIAE.

Legitur haec ep. ed. nostr. T. I. p. 353.

N°. 114. [Gerd. s. a. IIIa. 61.]

Ad SENATUM POLONIAE.

Legitur haec ep. ed. nostr. T. I. p. 384.

N°. 115. [Meisers. o. l. 4. 611. Gerd. o. l. IIb. 721.]

Ad ELECTOREM PALATINUM [1]).

Illustrissime Princeps et Domine, Domine Clementissime! Gratiam et pacem Spiritumque consilii ac fortitudinis tibi precor a Deo Patre nostro coelesti, ut quemadmodum hactenus in praecellenti tua vocatione fidelem

te pro tua virili altorem Christi Ecclesiae veraeque in illa religionis assertorem [2]), non sine vitae fortunarumque etiam tuarum periculo [3]), per Dei gratiam declarasti, ita id iam quoque deinceps tanto alioqui maiore animi fortitudine ac constantia praestes ad nominis divini gloriam, quanto te sublimiore loco divino beneficio collocatum esse vides, — id inquam tibi ex animo precor et mea quantumvis exilia officia tuae Celsitudini summa cum observantia mea commendo.

Quo die te ad eam dignitatem, quam es adeptus, divina Providentia pervenisse intellexi, facere non potui, quin Dei primum Ecclesiae, deinde rei quoque publicae in Imperio, postremo Tibi etiam maiorem sane in modum gratularer. Studium pietatis, cuius specimen haetenus minime obscurum edidisti, facit, ut tuo nomine Christi Ecclesiae gratuler, quae si unquam alias, nunc certe omnium maxime piis publicaeque pacis amantibus patronis ac Mecaenatibus eget. Integritatis vero ac synceri pectoris tui nomine gratulor toti Imperio, sub ea praesertim orbis propemodum totius hypocrisi, quae haud scio an unquam antea in universo mortalium fere genere magis viguerit omnino. Tibi autem gratulor, Princeps Illustrissime! quod per eam dignitatis tuae accessionem nactus sis pulcherrimam occasionem praelucendi aliis Principibus consilio exemploque tuo, cum in promovenda vera religione, quam equidem et domestica doctrinae dissidia et adversariorum improbitas et sectarum item colluvies non vulgariter remorantur, tum et in procuranda conservandaque pace ac tranquillitate Imperii publica, quam sane nobis antichristus Romanus cum suo satellitio, non modo invidet toto pectore, sed perturbare etiam modis omnibus proculdubio conatur. Hisce inquam nominibus gratulandam ego esse putavi ét Ecclesiae Christi ét Reipublicae ét Tibi denique ipsi eam, quae tibi obtigit, dignitatis tuae accessionem.

Cuius equidem meae gratulationis ut tibi qualemcunque significationem darem, in causa mihi fuerunt, primum tua singularis in pios omnes propensio, quam erga me quoque ante annos opinor octo Heidelbergae, cum eo obiter ex Frisia venissem [4]), benevolentissime pro virtute clementiaque tua declarasti: deinde vero ipsa temporum occasio etiam, quam mihi praetermittendam non esse existimavi, si quo modo per meae huius gratulationis significationem calcaria quaedam, quod aiunt, tibi, sponte alioqui cursum tuum adornanti, adderem. Intelligis enim pro tua pietate, ad ea te praestanda per nostram gratulationem invitari, quorum nomine dignitatis hanc tuae accessionem et Ecclesiae et Reipublicae et Tibi adeo ipsi gratulandam esse existimamus.

Et fateor quidem, me tantae rei haudquaquam parem esse hancque meam gratulationem et ineptam et forte impertinentem etiam videre posse, ab homine videlicet et parum noto et peregrino passimque iactato ac veluti extorre profectam. Sed abs te neque pro ignotis neque pro peregrinis censeri puto — quae tua est pietas, Princeps Illustrissime! — etiamsi iuxta carnem maxime ignoti peregrinique sint, qui se modo domesticos fidei, agnito Prophetarum atque Apostolorum fundamento, esse profitentur. Et adeo te

non offendi spero iactationibus, exiliis atque odiis, quae eius ipsius fidei nomine ultro ac sponte per Dei gratiam sustinentur, ut haec omnia pro ornamentis olim nostris in die Domini habenda esse credas, ac proinde tantum abest, ut haec obstiterint, quominus nostrae tibi gratulationis per hasce meas literas indicium qualecunque facerem, ut, quo magis ea omnia mundi huius iudicio invisa plerisque suspectaque esse soleant, hoc maiorem apud te gratiam habitura esse confidam. Infantiam ac tenuitatem meam libenter agnosco tuaque Celsitudine indignam esse fateor. Sed solet Dominus non infantibus modo ac nihili hominibus, sed brutis etiam animantibus vim gratiamque suam addere quandoque, ut etiam praeter naturam ad eius gloriam loquantur. Quare ne infantia quidem mea ac tenuitas obstare mihi potuit, quominus ad te, benignitate tua fretus, scriberem, si forte Deus addat gratiam, ut ad cursum tuum in promoenda potissimum vera religione stimulos aliquos addere queam.

Quod enim ad Reipublicae politicamque gubernationem attinet, eius curam nobis non sumimus speramusque tibi non esse defuturos, qui suum hac in parte apud te officium faciant. Sed cum promovendae religionis causa ad nostrum inprimis ministerium pertineat, aequum esse arbitror, ut ad eam adiuvandam, etiamsi plura nobis talenta desint, vel unum saltem minutulum nostrum viduae Evangelicae exemplo pro nostra tenuitate conferamus. Id vero est eiusmodi, ut in approbando pietatis tuae studiique tui erga Christi Ecclesiam instituto animum tuum inprimis adiicias ad dissidiorum doctrinae in Ecclesiis, Evangelium Christi profitentibus, conciliationem Ecclesiarumque reformatarum omnium pacificationem, et quidem ut id primo quoque tempore facias sub hac dignitatis tuae accessione, si quo modo fieri possit, ut Ecclesiarum te autore pacificatio sit dignitatis huius tuae veluti quaedam inauguratio.

Neque res tam est ardua ac difficilis, quam forte plerisque videtur, et est plane necessaria, si adversariorum multitudinem potentiam ac conatus propius intueamur. Imo vero, etiamsi nihil huius esset, ipsa Dei gloria flagitare hoc ab omnibus videtur, quam alioqui domesticis Ecclesiarum dissidiis labefactari nemo pius negare potest. Ad eam porro rem, si qua ex parte tuae Celsitudini mea tenuitas usui esse queat, hanc illi reverenter defero, qui iam pridem alioqui te convenire statueram, si id valetudo mea permisisset.

Forte autem id fiet brevi, si Deus volet, et tum minutuli huius mei rationes omnes tuae Celsitudini exponam. Nunc literae istae meae prodromi vice erunt, quas ut benigne ac clementer accipias oro, et me summa cum observantia tuae Celsitudini commendo. Francofurti sexta Maii Anno 1556.

---

1) *Otto Henricus*, qui m. Martii a. 1556 Frederico II successerat. 2) Respicit quae ad reformationem promovendam in principatu suo Neoburgensi inchoaverat. 3) Ob studium Euangelii a°. 1548 principatu suo expulsus est et a°. 1552 e pacto

Passaviensi eum recuperavit. Cf. SEIBE, *Reform. Heidelb.* ib. 1846. p. 51. [4]) Heidelbergam Lascus visit a°. 1545. Cf. Ep. 26 et Mel. ad Duc. Prussiae ep. BRETTSCHN. Tom. V. 790. Au etiam a°. 1548 ut hoc loco inferre videtur, sub iudice.

N°. 116. [Heisers. 4. 643. Frankf. Rel. handl. I. Beil. 29. Gerd. IIb. 725.]

Ad SENATUM FRANCOFURTANUM.

Accusati nuper apud Amplissimum Magistratum [1]), quod de Christi Domini in Coena sua praesentia cum doctrina Confessionis Augustanae non consentiremus, professi sumus nostram hanc hac in parte fidem, non tam equidem nostris, quam potius ipsiusmet, cui et nunc inhaeremus, Confessionis Augustanae verbis, ex 10 et 13 illius articulo desumtis, ad hunc modum: „Credimus et profitemur, quod cum pane et vino vere „exhibeantur corpus et sanguis Christi vescentibus in Coena Domini, qui „videlicet fide accipiunt promissam gratiam, quam sacramenta significant, „et Spiritum Sanctum."

Ac putabamus sane hanc nostram confessionem satis fore etiam apud accusatores nostros ad depellendam omnem dissensionis suspicionem ab Augustana Confessione, cum praesertim, qua parte accusati sumus, non equidem nostris amplius, sed ipsiusmet Confessionis Augustanae verbis, loqueremur. Sed iam videre potest Amplissimus Magistratus, non tam de Confessionis Augustanae doctrina hic agi, quam de novis potius quibusdam dicendi formulis, quarum nos alioqui neque exempla neque fontes ullos in Scripturis extare et a recepto praeterea etiam usu grammatico alienas esse videmus.

Quemadmodum autem alias censuram in scripta aliorum apud Amplissimum Senatum deprecati sumus, ita et nunc oramus siquidem id bona illius gratia impetrari queat, ne de aliorum scriptis peregrini alioqui homines pronunciare cogamur. Aequius est enim, ut nos, qui huc aliunde migravimus, nostra omnia vestrorum iudiciis subiiciamus, quam ut de vestrorum aliorumve scriptis pronunciemus.

Et quia nos id pro Amplissimi Magistratus autoritate ac clementia impetraturos esse confidimus, ad traditam nobis denuo doctrinae formulam, non prorsus alioqui cum exhibita nobis antea concordia consentientem, respondere adhuc supersedebimus, donec de Amplissimi Magistratus voluntate hac in parte certiores fiamus. Quod autem facimus, non equidem facimus, quasi hic Magistratui parere recusemus, siquidem ita omnino iuberet, sed testamur, nos malle id declinare, si fieri possit, quod a nostra, peregrinorum inquam hominum, conditione alienum esse putamus: facturi tamen ad extremum, quicquid nobis hic Magistratus imperare volet.

Quibus porro prior illa confessio non satisfecit, his certe ne Confessio quidem Augustana, cuius verbis alioqui loquimur, satisfacere etiam potest.

Ne quid tamen et hic in nobis requiratur, eandem ipsam, cui etiam et nunc inhaeremus, Confessionis Augustanae doctrinam pluribus adhuc et explicatioribus verbis iuxta Scripturas et Catholicae Ecclesiae consensum exponemus ad hunc modum: „Credimus et profitemur palam, quod Chri-
„stus Dominus, verus alioqui Deus pariter atque homo, vere etiam atque
„essentialiter nobis in Coena sua praesens adsit una cum Patre suo et
„Spiritu Sancto, ac sese nobis ipsumque adeo corpus suum pro nobis in
„mortem traditum ac sanguinem suum item pro nobis fusum in cibum
„vitae aeternae vere ac efficaciter ad nostram salutem exhibeat, una cum
„pane et poculo coenae, hoc est, dum pani et poculo Coenae participa-
„mus, non autem in pane, neque sub pane, neque per panem Ministri
„manibus apprehendendum, videlicet sola fide, qua in coelum usque sub-
„vecti, Spiritu Sancto autore, ad locum alioqui verae nostrae cum Christo
„conversationis praesentes, illic praesente etiam Christo Domino corpore-
„que ac sanguine suo vere reficimur ad vitam aeternam."

Haec nos ita de Christi Domini in Coena sua praesentia deque corporis item ac sanguinis sui exhibitione et sentimus et docemus. Quod si cuiquam forte a vero scopo deflectere hic ullo adhuc modo videamur, ab eo nobis errorem nostrum ex verbo Dei commonstrari petimus in charitate et modestia Christiana.

Oramus autem Amplissimum Magistratum, ut nos cum doctrinae nostrae hac confessione libenter ferre velit, tantisper dum aliud ex verbo Dei perspicue doceri non potest. Francofurti 12 Maii 1556 lectum [2]).

[1]) Sc. Lutheranis ministris. [2]) Docent id *Frankf. Relig. handl.* I. Beil. 29.

N°. 117. [Apogr. in Arch. Secr. Reg. Regiom. I. p. 47. Meiners. o. l. 628 sq. Gerd. o. l. IIb. 728.]

Ad Brentium.

Quoniam heri ita ab invicem digressi sumus, ut sine fine ullo discessum utrinque videatur, Vir Clarissime! volui paucis tuae praestantiae indicare animi mei sententiam, ut illam cognoscere possis. Igitur quod ad Confessionem Augustanam attinet, haec mihi tuae ratiocinationis summa fuisse videtur:

„Confessionem Augustanam ab iis agnosci non posse, qui eam illius
„interpretationem non recipiunt, quae per illius authores adfertur. A no-
„bis vero non recipi eam interpretationem in causa hac Sacramentaria,
„cuius nomine accusamur. Frustra igitur praetendi a nobis Augustanam
„Confessionem, sed potius illi per nos fieri iniuriam, dum eam in patro-
„cinium nostrae doctrinae trahere conamur, et tamen non recipimus, quae
„ab eius authoribus adfertur, illius interpretationem."

Ad haec igitur paucis respondeo. Augustanae Confessioni nos assentiri affirmamus in praedicta controversia, cuius nomine accusamur, quatenus neque verba illius, neque sententia item ex verbis illius collecta, nostrae doctrinae diserte opponi possit. Aut igitur in nostra controversia aliquid est opponendum, sive verbis ipsis, sive sententia ex illis collecta, in Augustana Confessione, ut ea quidem edita habetur, aut si id non fiat, praeter meritum nostrum fieri dicimus, quod suspicione et invidia gravemur, quasi Augustanam Confessionem impugnemus.

Quod vero ad autorum Confessionis ipsius interpretationem attinet, eam sane et in ipsa Confessione Augustana, locis praesertim illius collatis, et in eius item Apologia extare [non] [2]) dubitamus. Illinc igitur nobis opponi diserte aliquid oportet, si dissensionis alicuius ab ea ipsa Confessione in nostra hac controversia convinci deberemus.

Praeterea, qui Augustanae Confessionis autores fuerunt, iidem quoque in Ratisponensi colloquio eandem ipsam Augustanam Confessionem et explicarunt et confirmarunt. Illinc etiam igitur verbis disertis nobis opponantur, si quae nostram doctrinam impugnare queant, aut, si ne id quidem fiat, oramus, ne vestris praeiudiciis nostram doctrinam suspicione ac invidia dissensionis, cum apud Illustrissimum Principem, tum etiam apud alios praeter meritum nostrum gravetis.

Ut autem sciatis, quid in nostra hac controversia sentiamus, summam his [3]) verbis illius exponemus:

„Credimus et profitemur, quod Christus Dominus, verus alioqui Deus pariter atque homo, vere etiam atque essentialiter nobis in Coena sua praesens adsit ac sese nobis ipsumque adeo corpus suum pro nobis in mortem traditum et sanguinem suum item pro nobis fusum, in alimoniam vitae aeternae, vere ac efficaciter fide apprehendendum exhibeat una cum pane ac poculo Coenae, hoc est, dum pani et poculo Coenae participamus iuxta eius institutionem."

Huic igitur nostrae doctrinae opponi aliquid petimus, quo ab Augustana Confessione, ut dictum est, dissentire convincamur, aut, ne ab illa dissentire dicamur, siquidem doctrinae huic nostrae ex illa nihil opponi possit.

Ad reliqua, tum praestantiae tuae, tum aliorum argumenta, respondendi provinciam sumere mihi in praesentia nolo, non quod ea aut refugiam, aut contemnam, sed quod mihi iustas huius mei consilii rationes videar habere: 1°. Nolo meam unius responsionem fraudi quoquomodo aliis esse, qui eandem nobiscum doctrinam profitentur, ac proinde, quod est multorum, ego mihi solus sumere nolo. Sed hoc peto, ut utriusque partis doctores convocentur doctrinaeque dissidia omnia ex verbo Dei discutiantur sine praeiudiciis in lenitate modestia ac libertate fraterna. 2°. Non alio consilio huc veni, quam ut audirem, qua parte nobis Confessio Augustana, ut extat, opponi possit, praesertim cum Princeps hic Illustrissimus nostram doctrinam ab illa dissentire existimasset et me huc secum ob eam potissimum causam venire iussisset. Quare hoc ipsum duntaxat nunc peto, quemadmodum supra dictum est. 3°. Esto autem, ut consilium

hoc meum obstare non debere videatur, quominus de controversa [4]) illa, nempe reali substantiali ac corporali in Coenae elementis corporis et sanguinis Christi naturali delitescentia inter nos colloquamur, tamen cum hesterna nostra disputatio adiuncta habeat alia quaedam dogmata, mihi alioqui antea, ut verum fatear, ita neque audita neque lecta unquam, et quae meo quidem iudicio adhuc magis multo, quam controversa illa delitescentia, paradoxa esse videntur, iudicium de illis meum suspendere adhuc malim, quam ad ea in utramvis partem protinus respondere, praesertim quum perspicuos illorum fontes, neque in Scripturis ipsis, neque in Catholicae item Ecclesiae Doctoribus mihi omnino adhuc compertos habeam, imo vero, quantum equidem memini, arbitror a priscis omnibus Ecclesiae Doctoribus aliena plane esse. 4°. Citata sunt etiam per vos loca quaedam et ex scripturis et ex Patribus ipsis, quae diligentius inspici et expendi oportet, id quod ego alioqui nunc et per temporis et per librorum inopiam, facere non possum. Sic proinde mirum vobis videri non debere puto, si, non inspectis ac discussis quae sunt citata locis, respondendi mihi provinciam sumere non velim. Libenter hoc tamen postea sum facturus, ut per otium amanter et reverenter de omnibus ad te scribam, Vir Clarissime! ubi ad libros meos rediero. Non equidem, ut vel revocari [5]), vel ipsemet venire tecum ullo modo velim in ullam omnino contentionem, a qua sane totus abhorreo, sed ut tibi velut fratri, aut verius patri, fidei meae rationem in omni benevolentia ac charitate Christiana reddam, quemadmodum tu pro virtute humanitateque tua fidem mihi tuam conatus es approbare.

Ne quid autem non rec te abs te intellexisse, aut non probe omnia meminisse tibi videar, commemorabo hic paucis, quae me heri ex te audivisse puto, ut, sicubi memoria tibi lapsus quoquo modo videar, abs te amanter admoneri possem, ne quid secus quam dixisti a me intelligatur. Haec igitur mihi videor audivisse:

a. Christum Dominum in sua mox incarnatione fuisse omnino in coelestis Patris gloria, etiam ipso humanitatis nostrae corpore, quanquam iuxta dispensationem quandam in terris conspicuus versaretur.

b. Christum Dominum in verbis illis Ioh. 12 „Pater glorifica me etc." visibilem tantum eius suae gloriae revelationem petiisse, quam alioqui antea etiam in suo corpore habebat, sed dispensatione quadam celabat.

c. Christum Dominum in nostrae etiam humanitatis corpore, iuxta ipsam alioqui nostri corporis naturam, fuisse semper immortalem impassibilem et gloriosum testimonio suae transfigurationis, sed interim dispensatione quadam passum mortuumque esse propter nostri redemptionem.

d. Christum Dominum iuxta humanitatis nostrae naturam, nempe corpore et sanguine suo, esse iam Creatorem propter personalem utriusque in ipso naturae unionem.

e. In Christo Domino naturam ipsam nostrae humanitatis, corpus inquam suum et sanguinem, divinae ipsius naturae ita esse unitam personali unione, ut neque locorum neque item potentiae discrimine ullo discerni

ab invicem amplius separarive possit propter personalem illam unionem.

f. Post mortuorum resurrectionem nullum omnino loci ullius discrimen fore inter eos, qui sunt vel servandi vel damnandi.

Haec mihi ita audivisse, ni fallor, ex te videor, vir praestantissime! in quibus, si mea me memoria fallat, plus satis alioqui labilis! te oro, ne graveris, illam tuo ipsius testimonio sublevare et paucis indicare, sicubi quid excidisse putes. Fieri enim potest, ut vel te non intellexerim recte vel non satis omnium meminerim, praesertim cum ea mihi dogmata insueta sint prorsus, ut dixi, et nunquam hactenus observata. Neque vero id abs te peto ullo sane captandi quicquam sugillandive studio — id equidem tibi vere affirmo — sed vellem ea mecum omnia per otium accuratius paulo reputare, et deinde per literas tecum fraterne de omnibus agere, si quo modo det Deus, ut omnes idem semel aliquando per eius gratiam et sentiamus et loquamur.

Nunc id tantum oro — id quod antea etiam dixi — ut out nostrae doctrinae aliquid diserte opponatur, sive ex Augustana Confessione, sive ex eius Apologia, sive item ex actis Ratisponensibus, aut ne praeter nostrum meritum doctrina nostra ea suspicione ac invidia gravetur, quasi Augustanae Confessioni omnino repugnet, cum hactenus nihil huiusmodi nobis oppositum esse videmus. Stutgardiae 23 Maii 1556 [6]).

---

[1]) Cum Brentio Stuttgardiae sub ipsius Principis auspiciis auctor de S. Coena disputavit. Acta huius colloquii nuper in Arch. Regiom. reperta hanc quoque ep. exhibent. [2]) GERD. omisit *non*. [3]) Ib. *hic*. [4]) Ib. *controversia*. [5]) Ib. *revocare*. [6]) Respons. Brentii dat. est 24 Maii 1556.

N°. 118. [Apogr. in Arch. Secr. reg. Regiom. L. p. 24. Meiners. o. l. 634. Gerd. o. l. II[b]. 734.]

Ad BRENTIUM.

S. in Domino. Sententiam quidem doctrinae tuae, vir praestantissime! in nostra controversia audivi, et quidem non sine admiratione, ut verum fatear: audivi item, quae de Confessionis Augustanae sententia adferebas. Sed eorum quae dicebas fontes in Augustana ego Confessione, a qua nos dissentire putas, nusquam reperio, et proinde illos mihi locis ipsis alioqui indicatis cupio commonstrari. De doctrinae enim tuae sententia nobis in praesentia res non est, ac quemadmodum certamen pro illa detrectas, ita et ego illud non expeto, imo et causas recenseo, cur in hoc certamen descendere nunc mihi haudquaquam integrum esse putem.

Caeterum, quia nos a Confessione Augustana dissentire affirmas et hoc tuo praeiudicio causam nostrarum Ecclesiarum non leviter gravas et quidem praeter omne nostrum meritum, ut speramus, puto equidem et me aequum abs te postulare et te etiam id recusare meo quidem iudicio non

debere, ut nobis praeiudicii istius fontes in ipsa Augustana Confessione monstres, indicatis praesertim locis in ipsa Confessione. Ne autem verba Confessionis ipsius detorqueri a nobis ad causam nostram videantur, adiecimus et Apologiam ipsius Confessionis et Ratisponensis colloquii acta, in quibus iisdem Augustanae Confessionis autoribus doctrina Confessionis ipsius explicatur et comprobatur, ut illinc nobis fontes praeiudicii tui commonstrentur. Hoc vero non est in certamen aut vocare aut descendere velle, sed nostram innocentiam, qua parte accusamur, approbare, alioqui si integrum videtur praeiudicare, integrum quoque videri deberet, ut ego quidem puto, fontes praeiudicii commonstrare, praesertim cum id amanter petimus.

Quod porro ad dogmata illa per me, ut eorum quidem memini, collecta attinet, ego, Vir Clarissime! nullam earum vel explicationem vel approbationem postulabam, sed scire duntaxat cupiebam, num illorum recte meminerim, ne quid non recte forte intellexerim: visa enim sunt, ut dixi, nova mihi ac illorum memoriam optassem me habere in capita duntaxat redactam. Quod equidem facile fieri posse existimarem sine multis vel explicationibus vel approbationibus, si modo, sicubi me memoria lapsum esse intelligis, verbo uno atque altero indicares. Sed quoniam tibi nunc forte non licet, ego quoque missum facio. Alias enim de hoc commodius inter nos amice agere poterimus. Hoc te tantum oro, ne, tantisper dum nobis fontes dissensionis nostrae in ipsa Confessione Augustana non commonstrentur, praeiudiciis tuis gravemur. Non enim te eum esse confido, qui afflictis et exulibus propter Christum Ecclesiis crucem ipsam conduplicare velis. Boni consule quaeso hanc nostram libertatem et vale in Domino. Dat. 25 Maii a. Salutis 1556. Stutgardiae.

[4]) Est haec respons. ad Brentii Ep. d. 24 Maii.

N°. 119. [Apogr. in Arch. Secr. Reg. Regiom. litt. L. p. 8-17. Meiners, o. l. l. p. 618 sq.]

Series colloquii cum D. Brentio [1]).

Ubi Stutgardiam venissem, quarto demum die, nempe 22 Maii, ad coetum Theologorum Principis vocatus in duorum ipsius Consiliariorum [2]) praesentia cum Domino [3]) Brentio colloquium habui. Ac primum ille dicebat, se cum suis collegis iussu Principis vocatos convenisse, ut mecum colloquerentur: colloquii vero argumentum esse debere de Coena Domini et Christi in illa praesentia. Quanquam autem neque ipse neque sui Collegae quicquam omnino dubitarent de tradita per ipsos doctrina, quae alioqui in Confessione etiam Augustana contineretur, tamen ut Principis mandato satisfacerent, se paratos esse mecum colloqui et eam

ipsam suam doctrinam mihi approbare: non putare autem se quicquam in hoc argumento controversiae inter nos esse, nisi de corporis Christi in ipso pane aut sub ipso pane coenae reali ac substantiali praesentia, hanc itaque sibi probandam esse. Ad eius igitur probationem duo loca D. Brentius proferebat. Primum Joh. I. »Verbum caro factum est". Deinde articulum ex Symbolo »ascendit in coelum, sedet ad dextram Patris". Ratiocinatio autem ipsius ex priore hoc Ioan. loco collecta eiusmodi erat: (corpus Christi realiter ac substantialiter est ubique, ergo est etiam, exhibetur percipiturque ore carnali in pane sive sub pane coenae. Ad probandum porro corporis Christi ubiquitatem hos, ut dixi, locos inducebat sicque argumentabatur:) personalis unio divinae et humanae naturae in Christo eiusmodi est iuxta hoc Iohannis testimonium, ut neutra earum naturarum ullo amplius aut locorum (deinceps) aut temporum intervallo divelli ab invicem quoquo prorsus modo possit: ergo quemadmodum Divinitas ab humanitate in Christo separari neque locis neque temporibus ullis potest propter personalem unionem, — ita neque humanitas ac proinde neque corpus quoque ipsius a Divinitate etiam divelli ullo amplius modo potest. Perinde enim violaretur personalis illa utriusque in Christo naturae unio, sive Divinitatem ab humanitate, sive humanitatem a Divinitate quoquo modo separemus aut divellamus. Igitur ubicunque est Divinitas Christi, ibi etiam humanitatem ipsius et proinde quoque corpus eius statui (oportere) oportebit. Divinitatem porro Filii Dei esse, ergo et corpus Christi esse, ubique ac proinde etiam in pane seu sub pane coenae. Dicebatque D. Brentius hoc ipsius argumentum neque potuisse hactenus neque posse etiam a quoquam refutari sine violatione personalis duarum in Christo naturarum unionis. Articulum autem de Ascensione et Dextra Dei ita urgebat quemadmodum olim Divinus Lutherus quoque faciebat. Dextra Dei est ubique, Christus corpore suo ascendit in coelum et consedit ad Dextram Dei, ergo corpus Christi est ubique. Hicque demum volebat Brentius ut illi ad praedicta ipsius argumenta responderem. Ego vero egi primum gratias Principi apud ipsos qui aderant Consiliarios, quod mea causa eum coetum instituisset. Egi item et illis omnibus qui aderant, gratias, quod ad instituendum mecum colloquium venissent, mihique gratissimum fuisse, haec ita ex Domino Brentio audivisse, sed causam mei eo cum Principe adventus aliam fuisse, quam ut putarem me ingredi debere ullam disputationem de controversia hac praesentiae seu delitescentiae corporis Christi in pane seu sub pane Coenae, nempe ut, (quum) quoniam Princeps ipse existimat [-aret], nos in doctrina de Coena Domini a Confessione Augustana dissentire, loca mihi aliqua in ipsa Confessione Augustana commonstrentur [-arentur], quae cum doctrina nostra pugnarent. Hoc igitur me inprimis petere, tametsi libenter auditurus essem omnia, quae ab ipsis adferrentur.

Ad haec porro Brentius (rursum) doctrinam suam et suorum esse eandem cum Confessione Augustana ac proinde frustra nos praetendere consensionem cum Augustana Confessione, si ab (illius) illis et suorum doc-

trina dissenti(a)mus. Ego (porro) autem respondi, me quidem ea de re nolle contendere, sed me interim putare, quod praecipuis Confessionis Augustanae autoribus nnu prorsus (secum) invicem conveniat de ubiqueitate corporis Christi, et si ipsius doctrina eadem esset cum Confessione Augustana ut nobis, commonstratis alioqui locis, doctrinae suae fontes aut testimonia in ipsa Augustana Confessione commoustraret (-ent). Hic ille rursum, se quoque inter alios Confessionis Augustanae autorem esse, atque hac mente Confessionem illam fuisse editam ut haec doctrina adversus doctrinam Zwinglii defenderetur. Iniuriam igitur fieri a nobis Confessioni Augustanae dum illam a nobis stare dicimus, et tamen ipsius et suorum doctrinae reclamamus. Ego vero de Zwinglii doctrina me nihil velle agere respondi, non enim id esse mei instituti in (hac) praesentia, sed nos praeter nostrum meritum (ipsius praeiudicio) gravari, quod nos Confessioni Augustanae repugnare adeoque et iniuriam illi fieri a nobis dicat, cum (nullos locos proferat) nullum inde proferret locum, qui doctrinae nostrae adversare(n)tur: (etsi) Ibi (illa) ille verba sua de illata per nos Confessioni Augustanae iniuria moderari et excusare coepit. Ego demum subieci, me non tam verbis quam re ipsa moveri, nempe quod a Confessione Augustana dissentire dicamur, cum nihil inde contra nos proferri possit. Aut igitur commonstraret in ipsa Confessione Augustana quod cum nostra doctrina pugnet, aut ne nos suo praeiudicio praeter nostrum meritum gravet (-aret).

Ibi demum ad Confessionis Apologiam provocatum est, et quae in ipsa Confessione paucis propter operis brevitatem attacta essent ac proinde varie exponi possent, ea in Apologia Confessionis clarius explicata esse. Adiungendam igitur esse Apologiam Confessioni. Hic ego: Etsi, inquam, Apologia Confessionis a Caesarea Maiestate aliisque Imperii Ordinibus recepta non esset, quemadmodum est recepta ipsa Confessio, cuius solius alioquin nomine foedus inter Caesaream Maiestatem et omnes Imperii Ordines sancitum est, — tamen nos cupere etiam in ipsa Apologia Confessionis nobis commonstrari loca, quae nostrae doctrinae repugnant (-arent). Prolata igitur Apologia, quaesita sunt loca, sed nusquam reperta, quae contra nos faciant (-erent). Urgebatur locus quidam ex capite de Ecclesia, in qua haec verba habentur: „sed ut clarius etiam perciperent, quicunque ista legent, nos defendere re„ceptam sententiam, quod in Coena Domini vere et substantialiter adsint „corpus et sanguis Christi, et vere exhibeantur cum his rebus quae viden„tur (pane et vino) et loqui (-mur) de praesentia vivi Christi: scimus enim „quod mors illi ultra non dominabitur." Producto hoc loco, ego illam contra nos nihil facere respondi, si verba Confessionis Augustanae Cap. 13 huic sententiae adiungantur: „nempe fide nos percipere (gratiam quam Sacramenta significant) quae per Sacr. significantur" et retineatur Ecclesiae Catholicae doctrina. Non esse ita alligandum terrae usum Coenae quin corda ad Dominum sursum in ipso Coenae usu attollamus. Quatenus enim fide percipitur gratia quam Sacramenta significant, et fides nihil in terris, nedum in Coenae ipsius elementis (intuetur aut quaerit), sed in suae conversa-

tionis loco, nempe in coelo, animis nostris illuc per Spiritum Sanctum erectis, quaerit intuetur et apprehendit Christum Dominum in ipso Coenae usu, — hactenus equidem neque in pane ipso neque sub pane Coenae, sed una cum pane, hoc est, eo ipso tempore quo pani coenae participamus, adesse nobis iuxta fidei praesentiam Christum Dominum vere et substantialiter, nosque vere ac efficaciter pascere corpore et sanguine suo per fidem ad vitam aeternam. Fateri igitur nos una cum Apologia in Coena Domini adesse vere et substantialiter corpus et sanguinem Christi, etiamsi illa in pane et vino re ipsa διὰ εἶδους delitescere negemus. Aliud esse enim Coenam ipsam — Dominicam inquam institutionem — aliud vero ipsum panem (et) aut vinum in Coena. Fateri nos item vere exhiberi nobis una cum pane et vino in Coenae usu, h. e., dum pani et vino Coenae participamus, corpus et sanguinem Christi, fide percipienda in vitae aeternae alimoniam, ne otiosa vacuaque ac inania signa in sacramentis statuere putemur, quod equidem falso nobis a nonnullis hactenus adscriptum esset. Nihil igitur et eum Apologiae locum contra nos facere ullo modo.

Ibi rursum ventum est ad priora verba illa, frustra a nobis praetendi Confessionem nostram cum Apologia aut Augustana Confessione convenire, nisi ipsorum interpraetationem amplectamur. Egoque rursum repetebam, frustra nobis opponi Augustanam Confessionem et eius Apologiam, postquam nullus utrobique locus, qui nobiscum pugnet, commonstrari nobis possit. Tandem vero agi coeptum de argumentis Brentii, et quanquam ego dicerem, me (nolle suscipere) nullam suscipere velle respondendi provinciam, tamen mihi videri id probandum esse, quod in personali divinae et humanae naturae in Christo unione neutra naturarum ab altera ullo prorsus locorum temporumve intervallo divelli separarique quovis modo posset. (Caeterum) Deinde quaestionem de naturae divinae existentia difficiliorem esse, quam ut ita obiter de illa tractari deberet, atque ita non libenter me velle multis de ea re agere, nedum ut velim statuere, eandem prorsus existentiae rationem utriusque naturae in Christo esse propter personalem illam unionem. Alioqui me non videre, quo pacto vitari possint absurda prorsus dogmata a mente Scripturae modis omnibus aliena. Atque eo usque progressi sumus, ut ea agnoverit, quantum ego quidem meminisse possem, quae in mea ad ipsum epistola inter paradoxa recenseo.

Tandem ventum est ad articulum de Ascensione et dextra Patris Dei. Ibi ego quaerebam, quodnam illud Coelum esset, in quod Christus ascendit, dum ab Apostolis in altum absumptus (sublatus) esset. Respondebat(ur), visibiliter quidem Christum in sua ascensione visibile etiam coelum petiisse, sed invisibiliter in coelo etiam invisibili illum corpore suo ab ipso mox incarnationis suae tempore semper fuisse, iuxta illud Iohannis 3 „Filius hominis qui est in coelo." Ego porro respondi, locum Ioh. 3 nihil ad hoc institutum facere, sed me nolle ingredi ea de re disputationem: alioqui omnes veteres consentienter docere, haec de divina duntaxat in Christo natura accipienda esse et Filio hominis tribui, quod est Filii Dei, propter personalem (naturam unionis) natura-

rum unionem. Quaerebam postea, num quod visibiliter Christus Dominus egit in sua ascensione, vere etiam egerit, hoc est, an non vere etiam cum corpore suo in visibile coelum illum profectus sit, quemadmodum illum Apostoli a se in altum sublatum, a nube atque ex aspectu ipsorum, in sublime subductum et in coelum visibile proficiscentem viderint (-ebant)? Respondit vere haec omnia accidisse (acta etiam esse). Vere inquam igitur corpus Christi tum de loco in locum ab imis in sublimo movebatur ac ferebatur. Item vere etiam corpore suo, donec ad eundem modum redeat expectatur. Quatenus ergo, inquam, vere corpore expectatur, hactenus sane corpore suo hic in terris vere non adest. Haec enim simul non consisterent, vere corpore ut cum dicamus suo nobis hic adesse et vere corpore aliunde exspectari, (consistere, vere corpore adesse et vere corpore expectari) Hic vero non aliud respondebatur, quam invisibiliter adesse et visibiliter exspectari. Sed interim vere etiam inquam. Vere responderunt, quatenus visibiliter. Atque ibi alii etiam sua argumenta proferre sua persona coeperunt. Alius producebat illud, Eph. 4. „Ascendit super omnes coelos ut impleat omnia. Alius ex Act 3. „Oportuit Christum coelum capere" ut videlicet Christus (coelum capiat) non (coelum Christum) coelo capiatur. Item ex Hebr. 4 „Habemus Pontifi-„cem qui penetravit coelos". Postremo proferebat unus ex illis ex Luc. 4 „Coelum et terra transibunt" sicque argumentabatur(que): Si Christus Dominus corpore suo est in certo aliquo coeli loco, ergo (col)liquescente coelo olim corpus quoque Christi colliquescet et visum est hoc argumentum aliis ita plausibile, ut ei responderi non posse putarent. Haec vero cum viderem, dixi, me tot iam audivisse, ut non amplius mihi ego sumere velim respondendi provinciam, sed me interim de mea doctrina certum esse ex verbo Dei, neque me adhuc videre quidquam quod illam in dubium vocare ullo modo possit. Proinde aliud non superesse, quam ut Deum oremus, ut ipse doctrinae dissidia componat. (Caetorum) Iterum me orare quod initio dicebam ut postea, qui in hac controversia ab Augustana Confessione dicimur dissentire, loci nobis in illa eiusve Apologia aut actis Ratisponensibus commonstrarentur, qui cum nostra doctrina pugnarent: alioqui praeter omne nostrum meritum, denique et praeter omnem aequitatem, nos eo praeiudicio gravari quod ab Augustana Confessione dissentire dicamur, ex qua nihil nobis opponi possit. Sicque est solutum colloquium et Consiliarii Principis qui aderant dicebant, se Principi suo omnia relaturos esse,

Postridie autem ego ad Brentium scripsi literas ipseque per literas mihi respondit, et ego rursum literis ipsius respondi ipseque acceptis alteris literis meis nescio quo est profectus, sic ut neque mihi responderit, neque (illum) postea sit visus (viderim). Die vero lunae Pentecostes vocatus ad Principis Consiliarios, responsum hoc ab illis Principis nomine accepi [4]), quod, posteaquam inter me et suos Theologos non potuit convenire, et Princeps doctrinam suorum eodem loco habeat cum Confessione Augustana, non possit Princeps causam nostram suo patrocinio tueri, neque etiam nostras Ecclesias commendationi-

bus suis promovere, quod alioqui libenter facturus esset, meque et meos omnes omnibus clementiae officiis prosequuturus (complecteretur), si non hoc doctrinae dissidium obstaret. Optare interim Principem, ut dissidium hoc doctrinae componi possit. Et hoc responso accepto respondi, non esse nostrum, pronunciare, num doctrina quam ex principiis Theologis audissem eadem esset cum Confessione Augustana, nisi quod nos illam in Confessione Augustana nusquam videamus, sed cum nihil nobis hactenus commonstratum esset in Augustana Confessione pugnans cum nostra doctrina, nos sane merito affirmare quod, in quibus accusamur, ab Augustana Confessione nullo modo dissentiamus, et praeter meritum nostrum fieri, quod ab illa dissentire dicamur. Quod vero ad Principis patrocinium attinet, nos quidem meliora sperasse de Principis clementia, sed tamen Dei nobis patrocinium non esse defuturum, quemadmodum hactenus non defuit, etiamsi humanis praesidiis destituamur. Illum esse testem nostrae innocentiae et olim etiam iudicem fore omnium nostrum. Nos itaque illius patrocinio causam omnem nostram permittere neque diffidere hac in parte illius bonitati. Me tamen adhuc cupere cum Principe ipso loqui, si liceat, priusquam mihi abeundum esset.

Postea iussus sum a coena eodem ipso die venire ad hortum Principis, ut cum ipso colloquerer, quod et factum est. Ac primum dixi Principi, quod postesquam responsum Celsitudinis suae ab ipsius Consiliariis accepissem, non mihi putassem abeundum esse, nisi dicto vale suae Celsitudini et actis gratiis quod me eo secum ita vocasset, benigne illic accepisset etc. Me dolere quidem quod aliud nihil praestitum fuisset in nostro colloquio cum ipsius Theologis. Me sane unanimi et scripturarum et Ecclesiae Catholicae consensu in mea conscientia convictum a mea doctrina non posse discedere in illorum hominum gratiam, quod ipsum alioqui ne Principem quidem ipsum a me petiturum esse confidere, neque causam hanc mei solius esse, ut eam solus ipse sustinerem, sed alios quoque advocari oportere, si res serio tractari deberet. „Optarem" inquit Princeps, „id posse fieri, sed modum non video; ego enim id solus facere non possum etiamsi velim. Alios vero Principes vix puto huc induci posse, sed vellem, inquit, vos assentiri Augustanae Confessioni omissis omnibus exceptionibus et conditionibus in hac controversia Sacramentaria." Ad haec ego, nos in hac controversia planius et simplicius testari non posse confessionem nostram cum Augustana Confessione convenire, quam dum non equidem nostris, sed ipsiusmet Augustanae Confessionis verbis loquimur, et ab iis qui nos dissensionis nescio cuius insimulant nihil usquam commonstrari omnino possit neque in ipsa Augustana Confessione, neque in eius Apologia, neque in actis item Ratisponensibus, quod nobis opponi possit. Non esse id quidem in [mann] nostra, ut hominum de nobis praeiudicia tollamus aut sistamus, sed Deum fore olim iudicem horum omnium. Me interim ab eius Celsitudine hoc petere, ne nos praefracta ulla animi nostri obstinatione aut pervicacia in doctrina nostra perstare putet, sed quod unanimi et scripturarum et Catholicae Ecclesiae consensu de eius veritate con-

victi recedere ab illa tuta nostra conscientia in hominum gratiam non possimus. Iterum (Interim) Deum esse orandum ut nos aliquando simul omnes (semel aliquando nos omnes) idem faciat et sentire et loqui ad gloriam sui nominis et Ecclesiae suae pacificationem. Hic Princeps respondit: Utinam id fiat! utinam! Ego vero posteaquam tua, inquam, Celsitudio id ita optat, certe id procurare etiam tua Celsitudo eorumque conatus, qui id procurant, adiuvare deberet, alioqui quo pacto id vere optemus, quod non etiam nostra virili promoveamus. Respondit ille: Faciam libenter, si ullo modo possim, sed solus, inquit, nihil hic possum. Atque hic nostri colloquii finis fuit, egoque demum veniam abeundi ab illo petii eique vale dixi.

[1]) Brentius etiam seriem huius colloquii edidisse videtur. Cf. Calv. ad Bull. ep. ubi ex Martyri testimonio hoc asseritur. Henry, *Leben Calv.* III. 1. p. 433. Seisr, *Reform. Heidelb.* p. 136. [2]) Textus, quem Meiners divulgavit, hic illic ab eo apogr., quod Ser. Regiom. asservat, discrepat. Hoc igitur sequutus sum, litteris a se invicem paullum divergentibus indicans, quae in apogr. Regiom., uncis vero cingens quae in textu Meinersii leguntur. [3]) Sc. Balthasar von Gütlingen et Hans Ditrich von Plieningen. Cf. *Acta M. S. huius coll. Arch. Regiom.* I. p. 1. [4]) Responsum illud legitur in *Actis* huius Coll. L. p. 7.

N°. 120. [Ex Arch. Elect. Hassiae.]

Ad Horsackium [1]).

Ornatissime vir, frater observandissime! Accepi exempla literarum ad me transmissa integra omnia, quo nomine tuae humanitati magnam habeo gratiam. Ceterum oro meminisse velit tua humanitas literarum Principis nomine ad Magistratum Francofortensem scribendarum in favorem Ecclesiarum peregrinarum. Non erit autem opus ut post me mittantur, nam Illustrissimus Princeps Wilhelmus [2]) missurus est aliquem Francofortum ad uxorem meam cum meis literis pro imagine Angliae pridem Regis, quas ego literas nunc propter itineris accelerationem mittere non potui, sed per deductores Erfordia scribam, si Dominus volet. Eadem igitur opera literae tunc Principis ad Magistratum Francofortensem mitti poterunt, quod nunc obiter volui indicare humanitati tuae, ne frustra post me literae ipsae mittantur. Commendo me tuae humanitati diligenter et oro, ut inclusas ad Principem literas eius Celsitudini reddat cum observantissima mei commendatione. Cspellae ultima Octobris 1556

Ioannes à Lasco, m. pr.

[1]) Christophorus Horsackius, secretarius Lantgravi Philippi. [2]) Filius Lantgravii.

N°. 121. [Ex Arch. Elect. Hassiae.]

Ad Lantgravium Hassiae [1]).

Pro tanta tuae Celsitudinis in me clementia, quantam equidem non mereor, ago supplex gratias tuae Celsitudini Illustrissimae et Deum oro, ut qui est locupletissimus remunerator omnium, eam tuae Celsitudinis in me clementiam Divina sua gratiâ pensare cumulatissime dignetur, mihique id concedere, ut aliquo observantiae meae officio studium meum erga tuam Celsitudinem et universam domum eius, declarare pro mea tenuitate possim. Accepi carnes aprinas mihi a tua Celsitudine missas, pro quibus ingentes gratias ago. Sed vicem cursoris illius doleo, qui dum mihi gratificari voluit, tuam Celsitudinem ita commoverit, quod serius tuam Celsitudinem commonefecisset, oroque tuam Celsitudinem ut qua parte ab illo est peccatum, id illi tua Celsitudo clementer ignoscere dignetur. Commendo me iterum atque iterum supplex omniaque tenuitatis nostrae officia tuae Celsitudini Illustrissimae. Capellae ultima Octobris [2]) Anno 1556.

Ioannes à Lasco, m. pr.

[1]) Cf. de hac epistola von Rommel, *Lantgr. Phil.* II. 690. [2]) M. S. *Novembris.* Rescrib. esse *Octobris* ep. 120 docet. Praeterea m. Nov. à Lasco *Wratislaviae*, non autem capellae erat. Cf. ep. 124.

N°. 122. [Ex Arch. Elect. Hassiae.]

Ad Lantgravium Hassiae.

Illustrissime Princeps et Domine, Domine clementissime! diligentissimam observantiae meae commendationem. Perveni huc salvus, gratia sit Domino! et additi mihi per tuam Celsitudinem deductores probe fideliter ac diligenter suum officium fecerunt, quo sane nomine illis ego apud tuam Celsitudinem gratias ago illosque tuae Celsitudini officiose commendo. Caeterum, Illustrissime Princeps! quia tua Celsitudo voluit, ut ad illam subinde scriberem, et incidere potest, ut aliqua scribantur, quae ab omnibus legi non expediret, non abs re fore putavi, si privatas quasdam notulas tuae Celsitudini mitterem, quibus tuto omnia committi possint. Eas igitur inclusas tuae Celsitudini mitto [1]). Habent autem vocales, ut vocant, omnes quaternas notulas, ut pro arbitrio mutari semper possint, — reliquae literae ternas, habent quoque duplicatae suas notulas et particulae item nonnullae, quae frequentes in omni oratione esse solent, et habent integra etiam quaedam nomina suas notas easque binas, ut earum variatio ipsam quoque divinationem in legendo impediat, si quis notulas non novit. Praeterea, Illustrissime Princeps! arbitror filium tuae Celsitudinis, Principem Wilhelmum, missurum esse aliquem nuncium ad uxorem meam Francofortum

pro expressa ad vivum imagine seu effigie serenissimi pridem Angliae Regis Eduardi, quam eius Celsitudini dedi. Itaque tuam Celsitudinem supplex oro, ut per eum ipsum nuncium literas commendatitias in favorem Peregrinarum Ecclesiarum ad Magistratum Francofortensem dare dignetur — ego enim nullas accepi — ea spe, ut per istum nuncium mittantur, quemadmodum id Domino Christophoro, tuae Celsitudinis secretario, postea iudicavi [3]). Reddantur vero eiusmodi literae uxori meae, nisi si tua Celsitudo illas per eundem ipsum filii sui nuncium Magistratui ipsi reddi malit. Plura me iam non patitur scribere ipsa itineris acceleratio, quare quod reliquum est, commendo me summa cum observantia Celsitudini tuae, et Deum oro, ut tuam Celsitudinem universamque eius familiam servet regat et fortunet. Erfordiae secundae Novembris 1556.

Tuae Celsitudini Illustrissimae addictissimus
Ioannes à Lasco, m. pr.

[1]) Ep. 127ae pars his notulis exarata erat. [2]) Est haec ep. N°. 120 ad Horsackium. [3]) Cf. Ep. Melanchth. ad Lantgravium d. 21 Nov. 1556.

N°. 123. [Ex Arch. Elect. Hassiac.]

Ad Lantgravium Hassiae.

Illustrissime Princeps et Domine, Domine clementissime! diligentissimam observantiae meae commendationem! Perveni huc salvus, gratia sit Domino! et salvis rebus meis omnibus, ac biduum hic commoratus, hodie rursum prosequar per gratiam Dei iter meum. Egi autem cum Domino Philippo familiarissime de tota mea causa literasque tuae Celsitudinis illi reddidi, quibus ille reverenter acceptis „Utinam" inquit „tales multos Principes iam in Imperio haberemus!" Ubi vero illas legisset et ego illi omnes consilii mei rationes exposuissem, „Nihil" inquit „mihi iucundius esse posset mea tecum ad Principem nostrum Electorem profectione, si itineris ad illum et tui simul et mei qualemcunque saltem fructum viderem. Et fateor quidem" inquit „causam ipsam eiusmodi esse, ut pro ea agenda promovendaque nihil laboris atque studii praetermittendum esset, egoque meapte sponte me tibi adiungerem sine ullis cuiusquam persuasionibus, nedum tanti Principis postulatione, si Princeps nostram causam ipsam intelligere ipsemet animumque ad illam suum adiicere vellet." Sed se adeo nihil huius de Principe suo sperare, ut etiamsi quid de Principe ipso sperari posset, alios id tamen passuros non esse [1]), ut ullo modo causae nostrae tractationem, nobiscum praesertim, in se recipiat, plusque multo nocumenti quam adiumenti allaturum esse tum meum tum suum etiam cum Principe suo in causa nostra colloquium omnino. Ac proinde non modo sibi non videri, ut mecum proficiscatur, sed se modis omnibus etiam dissuadere, ne ego ipse ullum omnino expetam Principis sui colloquium. Ibi ego de tuae Celsitudinis literis mihi ad Principem Electorem datis, illi exposui, quas utique reddi

oporteret. Ac haec vero Philippus "Hem!" inquit "ne literae quidem istae tibi quidquam proderunt omnino. Si me audias, neque colloquium expetes ullum, neque literas ullas reddes, imo ne diu quidem illic haerebis. Hoc meum est" inquit "consilium, tu iam statues, quod voles. Literas Principis Hessorum tuis inclusas mihi relinqueto, ego illas rursum remittam, cum tui hac in parte excusatione." Haec summa consiliorum Domini Philippi fuit, Illustrissime Princeps! et quoniam tuae quoque Celsitudini ita videbatur, ut sine D. Philippi consilio nihil omnino agerem, atque ego ipse intelligerem, vera esse omnia, quae dicebat, libenter sum alioquin obsequutus consilio illius. Itaque literas rursum a tua Celsitudine ad Principem Electorem scriptas tuae Celsitudini remitto et gratias tuae Celsitudini suppliciter ago, quod illas mihi dare dignata sit ad causae meae commendationem. Caeterum habeo quasdam cogitationes, Illustrissime Princeps! quae ad conservandam totius Imperii autoritatem, meo quidem iudicio, nonnihil videntur pertinere, sed eas nunc per temporis inopiam exponere non possum, tamen id in praesentia obiter tuae Celsitudini volui indicare, ut maiorem de his postea occasionem habeam scribendi ad tuam Celsitudinem. In patria mea iam habentur Comitia et coeptum est iam agi de restituenda religione, quare mihi iam etiam iter meum necessario accelerandum erit. Quod superest, commendo me et mea omnia suppliciter Celsitudini tuae, et Deum oro ut omnibus Celsitudinis tuae consiliis atque actionibus et toti adeo domui ipsius Divina sua gratia clementer benedicat. Amen. Witebergae undecima Nevembris Anno 1556.

Tuae Celsitudini Illustrissimae addictissimus
IOANNES à LASCO m. pr.

[1]) In gynaeceo personas illas latuisse, ipse diserte narrat in Ep. 124.

N°. 124. [Fusseli, Ep. Ref. Helv. p. 387. Gerd. a. l. Hb. 736.]

Ad BULLINGERUM.

S. Oraveram Dominum Valerandum Polanum [1]) in meo ex Francfordia abitu, Viri Fratres in Domino observandi! ut vos de rebus meis certiores faceret. Nota enim illi erant omnia et ego tempore tunc ad scribendum omnino excludebar. Neque dubito, id illum fecisse, ac proinde vobis causas omnes nostri suscepti itineris cognitas iam esse puto. Nunc etiam vobis indicare volui itineris hactenus nostri successum, ut Domino Deo nostro pro Divina benignitate ipsius nobiscum una agatis gratias, vestrisque porro etiam precibus institutum hoc iter nostrum illi in vestra Ecclesia commendetis. Habeo mihi adiunctum Achatem fidelissimum Dominum Iohannem Utenhovium. Hunc mihi adiunxi omnium consiliorum meorum socium et monitorem, sicubi in me aliquid requireret, cuius alioqui pietatem integritatem ac iudicium vobis perspecta esse puto. Divertimus autem in nostro

itinere primum ad Hessorum Principem illustrissimum [2]), deinde vero Wittebergam, atque a Principe Hessorum amantissime excepti, liberalissime tractati et honorificentissime dimissi sumus. Ter mecum familiarissime, semotis omnibus arbitris, est locutus, mensae suae humanissime adhibuit et cum illi mecum esse non vacaret, semper me cum iuniore Principe, filio suo natu maximo, Guilhelmo esse voluit, sic ut eius in me propensionem depraedicare non satis possim. Testatus est diserte, se in causa Sacramentaria nobiscum sentire, deploravit temporum iniquitatem et consilium dedit ad promovendam ecclesiarum pacificationem. Dedit mihi praeterea literas ad Philippum Melanchtonem et ad Electorem Saxoniae, Philippo scribebat, ut mecum una, si id postularem, ad Electorem veniret, causamque nostram commendaret. Addidit mihi praeterea propter itineris securitatem equites suos deductores suis sumptibus Erfordiam usque, atque ita nos demisit [3]).

Wittenbergam autem ubi venissemus, Philippo mox per Utenhovium me adesse significavi, ac me quidem nolle agnosci ab omnibus, sed eum ipsius potissimum causa venissem, me cupere cum ipso privatim colloqui, quo ipse loco et tempore vellet. Ibi noster Philippus tanto gaudio exiliit, ut re omnibus domi suae indicata ad me protinus adcurrerit, volueritque me cum meis omnibus pertrahere in suas aedes, nihil opus esse dicens, ut meam illic praesentiam apud quemquam omnino celarem, imo se cupere omnibus esse notissimam. Omnes qui hic sunt, inquit, nostri sunt et nobiscum sentiunt. Ego vero mihi in diversorio manendum esse, tum propter equos, tum propter itineris comites respondi, me tamen semel venturum esse ad aedes ipsius ad visendam ipsius familiam, si modo consilia invicem nostra prius de rebus necessariis communicaremus. Tum ei reddidi Principis Hessorum literas, quas ubi legisset, „nihil tibi" inquit „opus erat istiusmodi literis. Si intelligerem, posse nos iuvari Principis nostri autoritate" inquit „mea sponte me tibi comitem ad illum adiungerem. Sed si me audias, neque me tibi comitem huius itineris adiunges, neque tu ipse colloquium cum Principe meo [4]) ullum expetes." Non est quidem Princeps ipse nobis adeo adversarius, ut multi praedicant, neque dubium est, quin te amanter ad colloquium admittat, sed inconsulto suo gynaeceo [5]) nullum tibi responsum est daturus. Ibi vero nobis omnia sunt infensa, impediretarque procul dubio, quicquid nos omnino conabimur promovere.

Deinde de Principum consiliis, multa mecum locutus, frustra nobis spem ullam pacificationis ullius in favore autoritateque Principum collocandam esse dicebat. Sed sibi videri consultius, ut viri aliqui docti et pii ac pacis studiosi privatim alicubi convenirent, re nulli Principum communicata, et de tradenda doctrinae formula aliqua in omnibus controversiis unanimiter consentirent. Tum vero demum Principes appellandos esse, et illis exhibendum quicquid pii et docti ad hunc modum inter sese statuissent. Se, si locus ac tempus ad eam rem constitueretur, non gravatim esse venturum atque alios secum etiam non paucos adducturum. Cumque de loco ageremus, assensus est, ut Francoforti conventus eiusmodi haberetur. Tempus vero commodissimum fore putabat, ad nundinas illic, non quidem vernas proxi-

mas — nam hoc tempus ad eam rem iam breve fore — sed autumnales, mense Septembri. Quod si ita nobis quoque videretur, tum se hoc iam pedetentim curaturum esse, ut et ipse eos secum adducat, quos ad pacem bene affectos esse novit. Sed tamen, id non esse apud quoslibet evulgandum, nam si quid huius intelligant turbulenti clamatores illi, mox nihil esse praetermissuros, si quo modo institutum nostrum impediant. Haec ita mecum Philippus, quae vobis ego indicare volui, ut de vestra etiam voluntate certior fieri ac deinde etiam Philippum commonefacere possim. Nam et ipse a tali coetu abesse nollem et forte aliquos etiam mecum adducerem. Poterunt autem literae vestrae adhuc transmitti ad meam uxorem Francofortum, quae illic ad Aprilem usque est permansura, si Dominus volet. Tantum rogo ne quibuslibet indicetur, quemadmodum et Philippus ipse monet.

Postea vero quum ita sumus collocuti, volebat Philippus, ut postridie ipsius conviva essem, unaque et Utenhovius. Postridie itaque mane adiimus collegium, in quo Philippus praelegebat, ut illum docentem audiremus, ibique ipso nos deducente ingressi sumus auditorium frequentissimum, quod ad mille ut minimum et quingentos auditores habet, ubi, facta nostri honorificentissima mentione, praelectionem suam nonnihil contraxit, ut a praelectione plus otii ad colloquendum rursum haberemus. Post absolutam praelectionem secuti sumus Philippum ad aedes ipsius, atque illic de rebus patriae meae nonnihil collocuti, de causa rursum sacramentaria mutuo egimus egoque illi exhibui legendum scriptum nostrum de Confessione Augustana [6], quod et Dominus Calvinus Francoforti legerat et quaedam in illo mutari volebat, quae etiam mutata ex parte protinus fuerunt, legitque illud Philippus et etiam approbavit. Iam que excuditur Basileae opinor, apud Oporinum, nam id negotii Domino Valerando dedi. Pransi postea sumus cum Philippo adfuereque convivio doctissimi quique Academiae Professores, qui omnes amantissime nos exceperunt, et quos ego rursum omnes una cum Philippo et D. Georgio Maiore in meo diversorio coena familiari excepi in publicum amicitiae et societatis mutuae testimonium.

Cumque iam apud me omnes convenissent, veniebant etiam omnes mei conterranei, qui tunc ibi erant, plures triginta, optimae profecto indolis iuvenes, ut mihi adventum meum illuc et reditum imprimis in patriam gratularentur. Veniebat praeterea publicus Academiae minister, Rectoris et totius Academiae nomine, qui nobis vinum, ut fit, honorarium adferebat, cum publica amicitiae et societatis testificatione, et orabat, unum adhuc diem illic maneremus adessemusque ét ordinationi publicae Ministrorum Ecclesiae ét convivio demum Academico, siquidem res nostrae ullo modo ferre possent, addebatque Philippus, se eadem de re mandata ad me a tota Academia habere. Ego autem et apud Philippum et apud ministrum excusavi moram longiorem, cum propter necessariam itineris in patriam ad Comitia in primam Decembris dilata [7]) accelerationem, tum propter metum morbi mei, ne me in itinere haerere cogeret, cum mihi sit menstruus fere. Quam meam excusationem Philippus accepit et se ad Rectorem Acade-

miae relaturum recepit. In coena habiti sunt sermones lepidissimi, quos semper condiebat Philippus suis facetiis. Fiebat et Westphali mentio, et omnis culpa excitatae denuo turbae in ecclesia in ipsum et alium quendam reiiciebatur. Discessum est postea amantissime ab omnibus.

Postridie itaque adornabamus abitum. Ego vero egeram cum Philippo, ut aliquid ad Regem meum [7]) scriberet, ut mutuam nobiscum societatem testaretur, quod et peramanter fecit, scripsitque non tantum ad Regem meum, sed etiam ad affinem Regium, magnum Lithuaniae Cancellarium, qui secundum Regem inter nostros primus est nostrique iamdudum amantissimus, et nobiscum omnino sentit. Cum igitur iam adornaremus abitum, priusquam abiissemus, venit rursum ad nos, literasque secum attulit praedictas legendasque priusquam obsignaret nobis tradidit ac mox obsignavit. Nihil enim in illis potuimus desiderare, neque prius nos reliquit, quam currui nostro insideremus. Atque ita demum dicto illi vale Wittebergam reliquimus [8]).

Huc [9]) vero pervenimus ad 21um diem Novembris, excepti et hic, cum a plerisque amicis civibus, tum etiam ab ipso Magistratu honorificentissime. Cumque iam solvere hinc rursum ad 24um diem Novembris statuissemus, praecedente eius diei nocte me morbus meus subito corripuit et in hunc usque diem detinuit. Iam tamen nonnihil remittit, gratia sit Domino! sic ut cras aut perendie nos hinc discessuros speremus. In patria porro mea res ita se habent. Legatus Romanae bestiae nihil non agit, ut progressum Evangelii impediat. Beneficio tamen divino in dies augetur Ecclesiae numerus passim, sed cum incrementis Ecclesiae assiduis augentur etiam odia Pharisaeorum in omnes pios, qui ad nostrorum incrementa plane insaniunt. Conati sunt persuadere Regi, ut praeter conceptum patriae ius Comitia regni cum convocatis per privatas duntaxat literas praecipuis quibusdam Regni Proceribus — re per provincias interim non publicata — Comitia haberet, et quicquid demum ibi cum convocatis, privatim ut dixi, Proceribus illis constitueret, id ut omnino observari tandem iuberet ac poenam inobedientiae statueret. Feceratque id Rex, sed non successit consilium, nam Proceres omnes, praeter Episcopos, tam nostri, quam Papistae etiam unanimiter restiterunt, neque assentiri ullo modo voluerunt, ut ius patriae libertatis hac in parte quodammodo violaretur. Suntque multa graviter dicta in Papae Legatum, ita ut postea iussus sit per Regem illinc discedere. Suntque demum instituta invitis Episcopis magna Regni Comitia de more, hoc est, re prius per omnes Regni provincias indicata, ut ex omnibus Provinciis Legati seu Commissarii eo mitterentur, qui tertium semper suffragium ferre solent in omnibus publicis Regni Constitutionibus. Haec vero Comitia incipient iam prima Decembris primumque omnium de religione tractandum erit. Proinde cuperem et ipse accelerare iter meum, quantum omnino valetudo mea ferre posset.

Lismanninus [12]) recte valet causamque eius publice coram Rege adversus Episcopos actam esse iam puto. Tot enim Patronos habet, ut non dubitem, illi fuisse liberum, publice et libere causam suam agere, sed rei

successum nondum audire potui. De his omnibus vos, Fratres in Domino observandi! certiores facere volui, nullo quidem ordine, sed ut mihi sese offerebant et valetudo permittebat. Interim vos oro, ut Domino Calvino nostro ea etiam omnia indicetis. Quod restat, oro vos diligenter, Fratres mei! ut causam nostram precibus vestris et vestrarum Ecclesiarum supplices commendetis, ut nostro hoc itinere fructum aliquem in promovenda per meam patriam doctrinae sanae et cultus publici puritate, in pacificandis item quoad fieri potest dissidiis omnibus, adferre per Dei gratiam possimus, deinde ut communicatis cum Domino Calvino consiliis, me de vestra simul omnium voluntate, quod ad Conventum nostrum, cuius antea memini, attinet, unanimiter certiorem faciatis.

Iam vero, mi Bullingere! non est quod a Saxonicis ingeniis in tali colloquio magnopere metuamus, modo Dominus det gratiam, ut procedere possit, postesquam Wittebergenses ipsi monent, ne utrinque turbulenta ingenia ad conventum istiusmodi admittantur, et non obscura dant indicia, se a nobis non magnopere dissentire. Quare te oro per Christum, date operam, ut e vobis aliqui etiam adsint, non ut auditores tantum, sed ut causae socii et pacificatores. De Hessorum Principe et suis non est quod dubitemus, nam ipse aperte testatus est multis audientibus, se nobiscum sentire, nec se passurum esse, ut quisquam in sua ditione tragoedias ullas excitet controversiae huius nomine. Et praecipui Doctores eius omnes nobiscum omnino faciunt, sic ut ab ipso Domino Deo occasionem nostri colloquii offerri non dubitem, et si illam negligamus, nos profecto sine culpa non fore in iudicio Dei. Plura iam non possum, finem igitur facio et Deum oro, ut et vobis et nobis adsit Spiritu Sancto suo, ut in omnibus nostris consiliis et actionibus Dei ante omnia gloriam quaeramus. Salutat vos Aobates mei itineris officiosissime D. Utenhovius, et ego vos pariter isthic Fratres et Symmistas omnes reverenter salvere iubeo. Valete in Domino omnes. Raptim. Wratislaviae [13]) 28 Novembr. 1556.

P. S. Heri accepi ex literis civis hic cuiusdam, Papae Legatum, qui est in mea Patria, mandato Regis iussum esse abire ab aula [14]), sed nescio qua occasione aut causa. Erratis ignoscite, relegere enim non vacavit.

Vestri istic omnium amantissimus.

---

[1]) Valer. Pollanus primum in Anglia, dein Francof. Eccl. peregr. Gall. praefuit. [2]) Visit Hessorum Principem iussu regis Polon., ut colloquium Saxonicas inter et Helvet. Eccl. praepararet. Princeps erat notissimus Lantgravius Philippus. [3]) Cf. de Lasci ad Phil. itinere VON ROMMEL, *Lantgraf Philip von Hessen*. I. 566. II. 608, ut et Lasci ep. d. 9 Nov. 56 et 22 Febr. 1557 ad Landgrav. (N°. 123 et 128). [4]) Elector Augustus, qui a°. 1553 Mauritio successerat. [5]) *Anna* filia Christ. III. Daniae regis. [6]) *Purgatio min. Eccl. Fr.* tunc nondum edita. [7]) Dicit *dilata*, sc. astu Aloysii Lippomanni alia comitia erant indicta, a quibus Nobiles excluderentur, quod vetuit tamen Senatus eaque ad Cal. Dec. distulit. Cf. FUESSLI, *Ep. Ref. Helv.* p. 400. [8]) Cf. de hisce Ep. Utenhov. ad Micron., cuius fragm. super est in Ep. Micr. ad Bull. 8 Martii 1557. FUESSLI, o. l. 399 sq. [9]) Wratislaviam. [10]) Aloysius Lipp. Episc. Veronensis. [11]) Legitur etiamnum inter Mel. Ep. et

Lubiensky, o. l. p. 91. [12]) Lismannini, Corfu oriundus, confessor fuerat Reginae Bonae. Ob matrimonium a Rege in exsilium actus Regiom. obiit 1563. Cf. Krasinsky, o. l. 275 sq. Lubiensky, o. l. 65. [13]) Breslau. [14]) Non confirmatur.

N°. 125. [Budzin Chron. c. 16. Lubiensky. o. l. p. 79 sq. Gerdes. III. p. 119.]

Ad Regem Poloniae.

Sacra Regis Maiestas et Domine, Domine Clementissime! Perpetuam fidei observantiaeque ac subiectionis meae commendationem.

Facere non potui pro fide observantiaque in te mea, Rex Serenissime! quin te de meo in patriam reditu prima quaque occasione certiorem redderem. Etsi enim de tua in me clementia nihil dubitem omnino, occurrendum tamen hic linguis quorundam mihi esse apud Tuam Maiestatem existimavi, cum nihil fere usque a malevolorum calumniis, inprimis vero a temporum nostrorum Pharisaeis, tutum esse videamus. Referunt nimirum adhuc maiorum suorum ingenium, etiamsi pilos, quod de vulpe dicitur, mutasse videri volunt, et, quemadmodum maiores ipsorum missis a Domino Prophetis atque Apostolis ipsique adeo Christo Domino mendacibus suis calumniis parcere haudquaquam potuerunt, ita eorum nunc quoque progenies neque vult neque potest etiam parcere cuiquam, quem modo appareat ullo modo sequi velle doctrinam Christi Domini et Apostolorum illius, alioqui degenerem se declaratura, nisi id pro magistri sui more perpetuo faceret.

Atque inprimis proponendam mihi apud te esse putavi reditus iam huc mei rationem, Rex Clementissime! ne quid inde calumniarum per istos forte struatur. Deinde vero implorandam suppliciter etiam auctoritatem tuam regiam, Christiani videlicet Principis, adversum insidiosos morsus Pharisaicorum istiusmodi sycophantarum.

Primum autem non dubito, probe te adhuc memorem esse, Rex inclyte! cum meum apud te nuntium vere profectum [1]) haberem atque is obiter sciscitaretur per illustrissimum Principem D. Vilnensem Palatinum [2]), num meum huc reditum ferre posses, si quidem se hic forte mihi legitima ulla Christianaque iuxta verbum Dei vocatio offerret, — hoc mihi abs te responsum fuisse datum, nempe meum mihi in patriam reditum abs te neque imperari, ne illius auctor dici posses, sed neque prohiberi etiam, quasi me hic ferre nolis, sed si venire omnino vellem, te pro tua in me clementia suadere, ne ante Bartholomaei venirem — tunc enim spes erat, habenda esse Comitia, in quibus certi aliquid de ipsa etiam religione statui debuisset — et id inprimis curarem etiam quantum omnino possem, ut a me omnem dissensionis a Confessione Augustana suspicionem, in causa potissimum coenae Dominicae, publico aliquo testimonio depellerem. Porro in eo ipso nuncii illius cum tali responso reditu dederunt ad me literas suas plerique regni huius iidemque non postremi proceres, quibus alii mihi re-

ditum huo meum precabantur, alii vero me ad illum hortabantur etiam. Hocque ipsum faciebant practerea ex meis necessariis plurimi, qui mihi sunt partim cognationis, partim vero etiam affinitatis vinculo coniuncti. Sed omnium maxime reditum huc meum flagitabant plurimi Equestris Ordinis viri, doctrinae alioquin Evangelicae studiosi, qui collecta onm plerisque Ecclesiasticorum Ministris Synodo unanimiter me omnes ad se literis suis per eundem ipsum nuntium meum vocarunt et mecum, ut huic tali ipsorum vocationi parerem, multis sane et magnis rationibus egerunt [3]). Cum igitur meus ille nuncius tale ad me Maiestatis Tuae, ut iam dixi, responsum et tot ac tales item aliorum postulationes, denique talem etiam praeterea vocationem ad me retulisset, eam mihi ego horum omnium rationem iucundum esse iudicavi, ut neque meam mihi operam, quam peregre aliis impendebam, patriae meae (ita praesertim vocatus) denegandam esse existimarem, [ita tamen] [4]) ut tuae interim etiam Maiestatis consilium omnino sequerer. Statui igitur huc redire ut vocationi parerem, sed non ante nutumuum, ut voluntati Maiestatis Tuae satisfacerem, etiamsi patriae iam tum revisendae sub tali potissimum vocatione incredibili sane desiderio tenerer.

Deinde nihil praetermisi eorum — quantum in me quidem erat — quae ad consopiendam de Coena Domini controversiam pertinere ullo modo intelligebam. Egi cum Principibus non paucis [5]) neque postremis, susceptis ad illos itineribus, non sine valetudinis etiam meae periculo, ne quid de sumptibus dicam. Tentavi num ratio ulla inveniri posset instituendi super ea re alicuius colloquium, ad quod Doctissimi quique [6]) a parte utraque vocarentur, cuius equidem rei mihi testes erunt Principes illi ipsi, quibus adfui, si ita res postulet. Et cum tempora adhuc ad eam rem parum commoda esse multis viderentur resque in longum traheretur, scripsi ego ipse apologeticam doctrinae nostrae confessionem, quanto potui compendio, adversus omnes qui nos ab Augustana Confessione praeter nostrum meritum dissentire clamant; eamque a Calvino primum et suis — forte enim tunc ad nos Francofurtum venerat — deinde ab omnibus Francofurti peregrinorum Ecclesiis, moxque item a praecipuis in Hassia Ecclesiarum Ministris, postremo autem Witembergae a Domino Philippo Melanchthone lectam et consentienter approbatam, edendam pridem curavi, et quoniam sub prelo adhuc haeret, exemplum illius manu descriptum (ut haberi nunc ita repente potuit) [7]) Tuae Maiestuti [offero, ut palam sit me nullum observantiae meae Tuae Maiestati debitae indicium, quantum] [8]) in me quidem erat, praetermittere voluisse. Confectis vero, ut fieri potuit, rebus hisce omnibus, cum rursus regni Comitia in medium hic Septembrem reiecta esse audirem, sub finem quoque Octobris ego iter huo meum distuli, ne quid praeter voluntatem Maiestatis Tuae agerem, ut sub fine Novembris huc venire possem, sperabamque interea aut Comitia ipsa aut certe religionis tractationem in illis absolvi posse.

Sic igitur huc iam veni, Rex Clementissime! secutus vocationem meam, et Maiestatis tuae pietate ac clementia, denique et consilio tuo fretus. Accepi autem in ipso mox adventu meo, eos qui me huc vocarant, in multas

et graves suspiciones praeter meritum omno ipsorum vocari, quae res cum ad me etiam — ut ab illis videlicet vocatum — nonnihil pertinere atquo iisdem mo suspicionibus quoque per obtrectatorum calumnias involvere posse videatur, paucis bic sane mibi attingenda etiam erat, et oranda suppliciter Maiestas tua Regia, ut susurrones istos, qui nounisi olam accusare alios solent et nomen suum interim prodere aegre ferunt, pro Christiani Principis officio, ne audiantur omnino, sed potius tibi sequondnm esse statuas Davidis Regis sanctissimi exemplum, qui in sua oeconomia non solum nihil firmi apud se fore clancularii istiusmodi delatoribus, sed ne locum quidem ullum domi suao illos habituros esse profitetur. Quodque ad me inprimis attinet, equidem ita sum versatus semper ubi hactenus fui, gratia sit Domiuo! in meo miuisterio, ut apud Dominum Deum meum accusare me ipsemet potius modis omnibus, quam excusare malim, sed iu civili apud homines iudicio ita mihi sum bene conscius, ut non putem esse quenquam qui meum ministerium fidemquo ac dignitatem illius in dubium vocare vere possit. Meae autem iu te fidei ac observantiae meique item studii neminem alium et testem et iudicem facio, quam te ipsum, Rex Serenissimo! ot Deum inprimis Optimum Maximum, qui novit et iutuetur omnia. Nunc igitur, qui peregro versans tuae semper diguitatis tuendae studiosus fui, nunc, inquam, in mea demum patria iis me adiungerem scilicet, qui dignitatem autoritatemque Maiestatis Tuae iu meo Ministerio, si id Pbarisaicis istis detractoribus ita placeat, labefactare conarentur? Absit hoc a me quam longissime et meis omnibus. Atque sane tantum id a me iisque qui me vocarunt omnibus abest et aberit semper per Dei gratiam, ut non modo nihil buius ue per somnium quidem oogitemus, sed neque ferre quenquam eiusmodi inter nos ullo modo queamns, denique et primi eum, quisquis is omnino esset, non equidem clandestinis iniuriis traducere, sed palam re alioqui beue comperta accusare velimus. Sed nostri forte delatores ex sese nos quoque volunt metiri atquo aestimare, et quod sibi ipsimet pro admirabili sua in Papam Creatorem suum fido atquo observantia etiam contra Maiestatem tuam facile alioqui permissuri essent ad constabiliendam quoquomodo suam tyrannidem (cuius sano rei exempla non pauca literis otiam mandata habemus) id, si Diis placet, aliis prae se imputari pro sua sanctitate volunt.

At vero nos praeclaram adversus clancularias talium delationes Christi Domini censuram babemus: nempe eos qui lucem oderunt quique in nocturnis potissimum tenebris sua consilia premi volunt, malorum patratores, denique et fures et latrones esse. Hanc ergo sibi laudem habeant, dum in lucem non prodeunt, clancularii nostri obtrectatores omnes, atque habeant sane non a nobis, qui nostris bic verbis nihil loquimur, sed ab ipsomet Christo Domino, cuius haec censura est et mentiri non potest. Ad hanc nos censuram bene nobis conscii provocamus et te oramus, Rex invictissime! ut illam tibi ob oculos tuos positam ad Cbristi Domini gloriam habere velis. Si beno sibi conscii esse iu nobis traducendis delatores nostri ullo modo videntur, si vero tantum, quam nusquam non iactent, fidem

suam et tuae Maiestati et Regno universo pro eo ac debeant approbare volunt, palam id faciant atque in lucem publicam et ipsimet veniant et suas criminationes, ne dicam calumnias, producant. Nullius enim mala opera, in verbi potissimum Divini luce, palliari ita possunt, ut non tanto magis etiam sese prodant, quanto maiore quis hypocrisi celari illa velit. Ego sane, ut et qui me huc vocarunt omnes, optime alioqui nobis de fide observantiaque nostra in tuam Maiestatem conscii, sit Deo gratia! nullam omnino lucem neque refugimus neque formidamus, sed palam cupimus et accusari et respondere omnibus, qui nos ullo prorsus nomine legitime accusare volent. Id porro si recusant adversarii nostri, nostraque interim omnia clandestinis suis obtrectationibus arrodere non cessant, nos Christi Domini censuram aeternam atque immutabilem appellamus eamque et a Tua Maiestate Regia et a piis ubilibet omnibus approbatum iri non dubitamus, quae illis omnem alioqui quantumvis speciosae hypocriseos larvam detrahit eosque aliud nihil quam φαῦλα πράσσοντες, hoc est iniquitatis operarios furesque ac latrones esse diserte testatur.

Caeterum est et aliud, Rex potentissime! quod mihi etiam silentio hic praetereundum non esse putavi, nempe de Aloisio Lipomano, indigno quidem revera, ut ipsemet fatetur, sed longe dignissimo atque appositissimo apostatica Papae Romani cathedra legato, qui me in sua ad illustrissimum Principem Dominum Vilnensem Palatinum [9]) etc. se plane digna epistola haereticum hominem esse scribit. Etsi enim illustrissimus Princeps ille pro pietate virtuteque sua insigni hominis impudentiam abunde retuderit sua responsione luculentissima, ut ad illum nihil fere addi possit, — etsi item plus satis cognita sit toto orbe Christiano Lipomani improba hypocrisis et hypocritica quaedam civilitas, ut, quisquis ab ipso laudetur, merito bonis omnibus suspectus esse, quisquis vero traducatur, pro optimo integerrimoque homine censeri possit, tamen et ego mutus hic omnino esse non potui in depellenda a me nimis effrontis calumnia et criminatione. Facit vero ingeniose, ne dicam callide ac fraudulenter, quod nulla producta haeresi haereticum me interim esse fingit, ut nihil illum videlicet probare oporteat, sed ei liceat scilicet comminisci adhuc quae velit, si quidem urgeatur, aut vesparum instar infixo aculeo fugere. Praeclarus profecto et accusator simul et iudex! Quodsi eorum culpam in me quoque transfert, quorum nomine Dominum Vilnensem Palatinum sugillat, equidem ut ad me pertinere ea omnia pro mea tenuitate non possunt, ita quae in me cadere ullo modo possunt, ea sane facile patiar ad me pertinere, imo vero optarim ad me posse pertinere omnia, modo ut [10]) praepostera vocum suarum usurpatio, qua bonus vir ille magnopere delectari videtur, aut tollatur aut corrigatur. Nam etsi ea agnoscam omnia, quatenus quidem rem ipsam per se, non autem detorta hominis verba spectamus, adeo sane nihil mihi metuo in Dei iudicio illorum omnium nomine, ut multo magis mihi metuendum esse credam, nisi ea agnoscerem. Sed videat Lipomanus ne, dum se Papae sui auctoritate haereticorum accusatorem pariter ac iudicem esse somniat, gravissimis ipsemet cum suo Papa et universa schola ipsius

haeresibus immersus, aeternis gehennae cruciatibus in Deo iudicio tradatur. Non enim ibi agetur de Papae primatu approbando deque larvis ac pupis praestigiisque item omnibus antichristiani Sacerdotis ipsius et eius Creaturarum omnium, sed agetur de violata conculcataque per Papas et gregem ipsorum omni dignitate atque auctoritate unigeniti Filii Dei et Domini nostri Iesu Christi, sive personam ipsius, sive etiam functionem universam in eius Ecclesiam consideremus. Haec sane graviora multo erunt coram illo iudice, ad cuius Tribunal olim et Papas ipsos et Legatos ipsius omnes atque adeo omnes illorum patronos atque asseclas stare oportebit. Videat igitur Lipomanus cum suis symmystis, ut se illic expediat.

Quin et tu quoque videas, Rex clementissime! ne te talium sodalitio, assensu patrocinioque tuo quoquo modo adiungas. Nihil dubito, multa et varia ad te deferri, quae animum tuum varie etiam afficiant: non dubito item te offendi multis, quae in nobis adhuc conspiciuntur, neque dubito te absterreri multis quae tibi quoque impendere videntur, in utramlibet partem inclines. Sed in omnibus illis et multis et variis meminisse te oportet caelestis illius ab ipsomet Patre Deo proditi oraculi „hunc audite, hunc audite" ut in quibus Christi Domini vocem sonare omnino audies — quam te unam alioqui supra alias omnes audire oporteat — ea tibi quamlibet sint multa et varia, denique et speciosa, abiicienda omnia esse statuas, ut Christum Dominum iuxta caeleste illud Patris Dei oraculum audire possis, cum ille solus verax sit ipsaque adeo veritas, omnis autem praeterea homo mendax sine ulla aut Papae ullius aut eius qualiumcunque creaturarum exceptione. In his vero quae te in nobis forte adhuc offendunt, intueri debes, Rex optime! non tam nos ipsos, qui homines esse non desiimus, et, quod in nobis est, peccati nos mancipia adhuc esse cum ultronea semper nostri accusatione libenter profitemur, quam potius admirabilem Divini hac in parte consilii providentiam, qua ille, etiamsi nos sibi in filios suos dilectos per suam gratuitam misericordiam in Christo Domino adoptavit, horribiles tamen adhuc peccati reliquias voluit extare, — tum ut Tartareae illius viperae superbiam in nostrorum adhuc peccatorum infirmitatem ad gloriam Divinae nominis sui retundat per assiduam ac seriam nostri ipsorum apud thronum suae gratiae accusationem et supplicem ac perpetuam opis suae et gratiae divinae propter Christum placationem, — tum ut nos etiam per peccati adhuc nostri agnitionem in nostro gradu nostroque officio contineat, ne videlicet gratiae nobis delatae nomine vel ipsi in nobis nimium placeamus animisque nostris efferamur vel alios prae nobis ipsis, quod in nobis quidem est, contemnamus, — sed ut agnita omnes pariter nostra adhuc infirmitate in nobis ac miseria, non equidem alii aliis insultemus aliique aliorum lapsus ad causae totius infamiam detorqueamus, sed ut nos pariter etiam omnes potius sub potenti manu Dei humiliemus fidemque nostram assiduis semper verbi Dei admonitionibus exhortationibus ac reprehensionibus invicem in Christiana lenitate ac modestia, additis etiam consolationibus et promissionibus, exerceamus. Quare dum alii in aliis offendimur, Rex serenissime! non equidem alii aliorum lapsus ac vitia

exaggerare, quasi nos ipsi illis careamus, non item ad causae totius praeiudicium rapere (hoc enim Satanae consilium est qui ad perturbationem ac confusionem religionis trahere semper omnia conatur) sed Dei Optimi Maximi consilium potius sequi debemus, nempe ut aliorum vitia lapsus et errata, quibus alioqui nos ipsi etiam obnoxii sumus, nostra ipsorum vitia, nostros lapsus nostraque errata esse statuamus. Et quemadmodum nostra ipsorum vitia, nostros lapsus nostraque errata, non equidem exaggerrari hostiliter in nostram infamiam sive contumeliam [11]), sed corrigi amanter emendarique potius ad nostram resipiscentiam optamus, ita hoc ipsum in aliis praestare etiam per charitatem hauddubie debemus, praeterquam si ea quibus offendimur, vel callide excusari, vel etiam pertinaciter defendi in Dei ipsius contumeliam videmus. Tum [12]) enim graviter sunt insectanda pro tuenda Dei gloria, quae [praefracte] [13]) pertinaciter, denique et per tyrannidem contra Divini verbi leges defendi propugnarique constat. Sic et nos igitur nostra vitia, nostros lapsus nostraque errata corrigi emendari reprehendi, denique et puniri optamus, si quidem hoc [14]) commeruimus, modo ut nobis ex verbo Dei commonstreutur. Atque optamus id saue fieri non tantum per Maiestatem tuam Regiam, Dominum meum clementissimum, sed per omnes omnino, qui nos modo eorum quibus offenduntur ex verbo Dei in veritate convincere ad Dei gloriam possent. Quodsi id quoque a Papistis per tuam Maiestatem obtineri posset, nempe ut ea pertinaciter ac per tyrannidem ne propugnarent, quae cum doctrina ac dignitate Christi Domini manifeste pugnare negare ipsimet non possunt, finem protinus omnis controversiae cum illis haberemus, neque multis ad eam rem mediatoribus opus esset.

Iam quod ad pericula attinet, quae tibi essent metuenda in utramcunque partem inclines, multa hic sane dici possent, quae longum esset recensere. Unum dicam tantum. Si propter religionis instaurationem, quam isti novationem vocant, pericula sunt metuenda, quas nobis novationes obsecro proferent in Iudaea, Aegypto, Syria, Assyria, Armenia et universa minore Asia, quae quidem regna amplissima omnia horribili Turcarum tyrannidi subiecta esse videmus? nisi si id novationem esse interpretentur, quod, cum longo tempore antea recusassent, ad extremum se tandem Papismo Romanensi subiicere eiusque doctrinam sequi caeperunt. Nam ubi id fecerunt, tum demum sane etiam interire caeperunt. Si vero ita fuit exitialis regnis omnibus illis haec talis novatio, quo pacto quaeso tuae Maiestati et Regno huic universo exitiale non erit eam novationem hic retinere et tueri, quod absit! quam tot tantisque regnis ac imperiis exitialem fuisse constat?

Proferunt contra isti turbarum nunc Germanicarum interitusque Ungarici exempla, quae nostris scilicet novationibus imputari volunt. At vero inique id faciunt. Non tam enim coeptae illic constitui verae religioni, quam publicae potius incuriae ac negligentiae in restituenda sub tanta iam luce Evangelii vera religione et abolendis notis ac reliquiis antichristianae impietatis haec omnia imputari debent. Ac metuo, Rex Clementissime! ne eadem aut etiam graviora Tuae Maiestati Regnoque toti

huic immineant, si exortam et hic doctrinae Evangelicae lucem, vel repellatis, vel etiam negligenter amplecti velitis. Quodsi consilium adversus pericula quaerimus, apud eum quaeramus, qui illa solus et immittere et moderari et arcere potest. Is vero iam olim nobis saluberrimum ad eam rem consilium per Samuelem Prophetam suum dedit, adiecta diserta indubitataque liberationis nostrae promissione, si ipsum audiamus. Edebat Israël publice resipiscentiae suae signa post acceptam pluries iam a Palaestinis cladem propter praeposterum Arcae cultum, quam tum Palaestini restituerant [eique] [15]) ἀναθήματα de suo quaedam aurea adhibuerant. Hic igitur Samuel ex ore Domini primum anathemata illa Palaestinorum, arcae Dominicae appensa, pro Diis alienis reputat et inter idola numerat. Deinde ad Israelem ita iam afflictum de ipsius a Palaestinis liberatione, ait: „Si toto corde vestro, inquit, revertimini ad Dominum Deum, auferte Deos alienos e medio vestri et praeparetis cor vestrum ad Dominum et illi soli serviatis. Et tum demum liberabit vos e manu Palaestinorum (1 Sam. 7, 3.). Iuxta hoc consilium a Spiritu Dei ipsius profectum ergo, Rex Serenissime! si et tu tibi Regnoque tuo metuis, ad Dominum tibi inprimis, et quidem non dimidiato, sed plane toto corde tuo recurrendum esse cogitabis, utque id te vere et sine hypocrysi facere testeris, fac id quod hic Prophetam praecipere vides. Sic enim te, quod facere debes, vere et ex animo facere declarabis. Si autem non facias, dicere profecto non poteris coram oculis Dei, ex toto corde tuo ad Deum reverti iuxta Prophetae scriptum. Fac igitur, Optime Rex! cum tuis proceribus, quod Dominus mandavit. Aufer Deos alienos e medio Regni tui, inprimis vero Deum illum, Regni Papistici praesidiarium, quem nostri parentes (Prophetae videlicet et Apostoli) nunquam alioqui cognoverunt, circumtonsum inquam Deum illum Mayzim, in quo solum situm et positum omne robur ac praesidium impietatis antichristianae, et soli Deo servias in cultus veri divini perfecti restitutione. Tum demum et teipsum et Regnum tuum liberabit procul dubio Dominus ab omnibus mundi huius Palaestinis. Sed nisi id facias, cave, ne unde tibi liberationem ipse forte polliceris, inde potissimum tibi et Regno tuo exitium accersas. Non est consilium adversus Dominum, et miserrimum est suffugia Divini iudicii extra Christum solum quaerere. Quis est enim, qui se abscondat ab ira illius? Ad hunc igitur tibi et quidem toto corde tuo accurrendum esse statue, si a nostri seculi Palaestinis undequaque nobis imminentibus, debeas liberari. Oramus nos quidem assidue, ut Dominus tibi adsit consiliaque tua omnia et omnes tuas actiones Spiritu Sancto suo regat ac fortunet, sed et tibi quoque ipsi praestandum est, ne nostrae pro te preces vanae atque inanes in conspectu Domini Dei nostri fiant. Proinde et te supplices oramus, Rex Clementissime! ad ea ut animum tuum in timore Domini toto corde tuo iam semel aliquando adiicere velis, quae Dominum Deum tuum abs te in praecellenti ista vocatione regia requirere non ignoras. Vides quaenam sint tempora, qui mores, quae hominum ingenia. Haec te sane omnia merito tui officii regii commonefacere deberent [16]). Igno-

rantiam, quae maiores utcunque nostros excusat, obtendere tu iam profecto hoc praesertim tempore mihi non posse videris coram iudice Deo. Lucem in mundum veluti postliminio rediisse iuxta ipsiusmet Christi Domini vaticinium negare omnino in corde ipse tuo non potes, toties praesertim id et a tantis etiam viris Dei admonitus, — quae alioqui ita iam affulsit, gratia sit Domino Deo nostro! ut nulla totius mundi vi ac potentia amplius excludi ullo modo possit. Tuum erit cavere igitur, ne sub fuco ignorantiae tenebras magis quam lucem dilexisse apud tribunal Christi olim reperiaris, quam equidem solam omnis nostrae condemnationis causam esse Christus ipsemet Dominus ore suo divino testatur. Dabis hic veniam libertati nostrae, a summa alioqui fide atque observantia in te mea profectae, pro regia tua clementia. Si enim mihi cordi non esset tua dignitas regia, cum salute alioqui animae tuae coniuncta, si mea item in te fides atque observantia a me id non exigeret, facile profecto et alibi essem adhuc, quemadmodum Divino beneficio hactenus fui, et hic me alioqui etiam in silentio continerem. Sed quia summam alioqui Dei in regno hoc potestatem atque imaginem reverenter agnosco summaque cum observantia veneror, et tibi ut ordinato a Domino patriae nostrae Patri in omni subiectione, ut debeo, bene volo, facere equidem non possum, quin te reverenter etiam, ut aequum est, eorum admoneam pro tenuitate mea, quae ad tuum officium Regium tuamque pariter salutem intelligo pertinere. Blandiantur tibi alii, ut volent, loquantur placentia, quae volent, ego tecum loqui malim ex ore Domini. Quem etiam supplex oro, ut quae ad legitimam dignitatem tuam Regiam, cum salute aeterna tua coniuncta, faciunt, ea ille cordi tuo infigere atque insculpere per Spiritum Sanctum suum dignetur, omnis videlicet veritatis Doctorem. Amen.

Longus sum video, sed finem nescit mea in te fides atque observantia, quae mihi haec omnia nescio quomodo extrudit, sed finem facio. Commendo me omni subiectione ac obedientia Christiana clementiae tuae Regiae, Domino meo Clementissimo, unaque et eos omnes qui me huc in patriam revocarunt, et te suppliciter oro, ut de omnibus nobis certissimo id tibi persuasum habeas, nos omnes et bonorum omnium et vitae etiam nostrae dispendium multo libentius subire velle, quam ut unquam nostrae in te fidei subiectionis atque observantiae Christianae quicquam in nobis omnino desiderari patiamur, — Christianae inquam, hoc est, quae neque spe praemiorum mundi huius, neque item poenarum momentanearum metu, sed propter Deum ipsum, qui eam nobis praecipit, et propter nostras ipsorum conscientias praestatur. Haec enim sola est demum vera fides subiectioque ac observantia subditorum erga dominos, quae nullis fortunae procellis concutitur neque ullis periculis labefactatur. Et quae non est talis, nec vera quidem esse potest; nimirum neque diuturna, sed ad quemvis fortunae ventum nutans, et quae non tam equidem te dignitatemque tuam, quam potius opes tuas honoresque, quos abs te expectant omnes, intuetur.

Philippus Melanchthon, tuae Maiestatis studiosissimus, cum nuper apud

ipsum Witebergae essem et multis cum illo familiariter de tua etiam Maiestate colloquerer, hasce mihi litteras, quas meis ecce adnexas mitto, ad Maiestatem tuam dedit [17]) petitque officiosissime tuae Maiestati commendari. Optarim et ipse videre faciem Tuae Maiestatis, tam longo alioqui iam tempore expectatam, si quomodo id mihi per tuam Maiestatem liceat. Sed nihil mihi et hic sine voluntate ac mandato tuae Maiestatis permittere volo. Expectabo igitur ut de animo Tuae Maiestatis certior reddar. Deus Optimus Maximus servet Maiestatem tuam repellatque abs te omnes, qui non tam sane Dei tuamque ipsius gloriam ac dignitatem amant, quam suas potius opes, suum quaestum et suos apud te honores venantur ac quaerunt, consiliaque tua omnia gubernet ac dirigat, ad nominis sui adorandi gloriam et incrementa assidua suae hic sub te Ecclesiae et ad tuam Regnique huius tui totius salutem. Amen. Balicziae 28 Decembris Anno Domini 1556.

---

[1]) Lub.: *profecto.* [2]) Nic. Radzivil cf. Lubiansky, o. l. p. 64. [3]) Cf. Ep. 90. [4]) Lub. omisit. [5]) Cum Elect. Palat., Duce Wurtemb., Landgr. Hessiae, Elect. Sax. et Duce Prussiae. [6]) Gerd.: *quique.* [7]) *Purgatio min. Eccl. Francof.* [8]) Quae in parenthesi apposui, nullo externo testimonio nituntur. Melius tamen fore duxi a coniectura textum restituere, quam ne observata quidem apertissima lacuna voces conglutinare, quas nemo intelligit. [9]) Nic. Radzivil. [10]) Lub. et Gerd.: *at.* [11]) Ib.: *nostrae infamiae finem, contumeliam.* [12]) Ib.: *tam.* [13]) Ib. omissum. [14]) Ib.: *hic.* [15]) Ib.: omissum. [16]) Ib.: *sui officii regii, commune facere.* [17]) Legitur ea, Lubiensky, o. l. p. 91. d. III. id. Oct. 1556.

N°. 126. [Calv. Opera. Tom. VIII. 120. Gerd. h. ref. III. app. 75.]

Ad Calvinum.

[Epistola est Utenhovii, data Cracoviae, 19 Febr. 1557, qua Lasci fata narrat et cui ad calcem noster sua manu apposuit quae sequuntur:]

Ita nunc obruor curis ac negotiis, mi Calvine! ut nihil possim scribere. Hinc hostes, illinc falsi fratres nos adoriuntur, ut non sit quies ulla, sed et pios multos habemus, sit Deo gratia! qui nobis sunt et adiumento et consolationi. Utenhovius noster novit omnia. Itaque quae is scripsit, a me scripta esse cogitabis. Vale. Salvere officiosissime iubeo fratres in Domino omnes.

Ioannes à Lasco, m. pr.

N°. 127. [Ex Arch. Eccl. Wall. Amstelod.]

Ad Eccles. Emdanam [1]).

[Grace et paix vous soit de Dieu le Pere, en Iesu Christ, par la communication du St. Esprit. Amen.

Tres chers freres, suivant mes promesses, faictes le jour devant mon partement d'Emden n'ay vouleu faillir nvous escripre les presentes, pour vous advertir en partie du succes de la venue de mon Seigneur a Lasco en ce Royaulme de Poloingne. Laquelle certes ha esté plus que je ne pourroy exprimer agreable a la plus grand part du Senat et de la Noblesse, a ses amys et alliez, qui sont en tres grand nombre et singulierement a tous amateurs du Sainct Evangile et de l'advancement du Royaulme de Jesu Christ et aux vrays ministres de la parolle de Dieu. Ains [2]) au contraire tres deplaisante aux Evesques et a leurs adherens, comme il est bon à prescumer, consideré les qualitez dudict personnaige et aussy la souveraine authorité, qu'il ha pardeca. Lesquelz, deux mois passez, estans a Warshauw aux Comices du Royaulme, apres avoir entendu de la venue dudict Seigneur a Lasco, se sont tous assemblez chez l'archevesque de Gnesne avecq le legat du Pape, qui lors estoit illec [3]), sans admectre aucungs seculiers (comme ilz en appellent) à leur conseil. La ou ilz consulterent tout au long du jour, comment ilz se pourroient faire quicte de moudict Seigneur a Lasco, cognoissans bien, qu'il ne leur duisoit [4]) pas a bien entretenir leur roynume, ains qu'il seroit leur bourreau, comme en plein conseil disoit l'evesque de Cracauw (ceque ung Nicodeme d'entre eulx a donné a cognoistre aux nostres). Parquoy ce dit il: Il est expedient et necessaire dy pourvoir en temps. Or le lendemain Messrs. les Evesques tous ensemble avecq le Legat du Pape se sont allez vers le Roy luy disans, qu'ilz estoient bien informez de la venue de Jehan à Lasco au Royaume, lequel indubitablement s'advanceroit de venir par devers sa Majesté. Parquoy le supplierent, qu'il ne luy voulsisse donner audience, ains de detourner sa face de luy et le rejecter de son Roynume, entant qu'il est grand heretique, et que pieca [5]) il est icy prounoncé tel. A quoy respondit le Roy (qui est moult pusillanime et n'ose encores aventurer ce qu'il voudroit bien) „Il est bien vray" dit-il „qu'il ha été prononce tel de par vous es voz assemblees: mais non pas par le decret du Senat. Mesmes que Jehan a Lasco et les siens se disent vrays catholiques, estans prets se prouver telz. Puis doncq qu'il est incertain s'il est heretique, je ne voy pas de raison pour mectre en effect votre demande; doncq deportez vous de ceste demande". Lors les Evesques repliquent, disans qu'il estoit necessaire de ce faire pour le bien et salut du Royaume. Autrement que beaucoup de troubles et esmeutes s'esleveroient au Royaume, luy demourant par deca. Or le Roy leur pria de rechef qu'ilz se deportassent de ceste requeste. Eulx neantmoins continuans leur propos et ne faisans aucune fin, le Roy leur commanda qu'ilz le laissassent d'importuner, et que dorenavant ilz ne luy sonnassent mot de cest affaire.

Or quand les Phariseens evesques ont veu que ce premier assault ne succeda selon leur desir, ilz ont inventez autres moyens pour parvenir au dessus de leurs entreprinses, a scavoir dix mille mensonges (s'il possible est) et calumnies a l'encontre le bon Seigneur a Lasco, desquelles ilz ont abbeuvrez les oreilles du Roy, luy asseurement affermant entre

autres bourdes tres impudentes, que mondict Seigueur a Lasco estoit venu par deca pour luy faire la guerre, pour remplir tout le ruyaulme de truubles et seditiuns, et que mesmes il chevauchoit juurnelement parmy l'evesché de Cracauw avecq cent ou deux cents chevaulx, demoulissant et reformant toutes choses selun sou plaisir, et choses semblables. Or le Roy estant esmeu de ces uouvelles, d'autant qu'ilz l'affermoient si fort, fust uffeusé euntre ledict Seigneur a Lasco jusque a ce qu'il sen plaindit a quelques ungs de ses alliez. Lesquelz luy dirent que ce n'estoient que bourdes et calumnies tres impudentes, controuvees par ses adversaires au prejudice de la religiun, et que de tout cela ce n'en estoit rieu, en verite de quoy ilz vouloient interposer leur foy et bieu, vuire leur vie en gaige. Tellement que le Roy se commenca lurs a couteuter de luy, et dit: „Vous scavez Messieurs que les grands troubles et seditions ont este plusieurs fuys occasiou de la ruyne de plusieurs grands royaumes. Parquoy dites a Jehan a Lasco qu'il se tienue quoy [6]) entre vous aultres, qui estes ses amys et alliez et qu'il avance l'affaire de la Religiou paisiblement. Il verra aussy de brief, que jauray plus d'esgard a Dieu qu'aux hommes." Desquelles uuuvelles avons estez moult esjuuyz et esperuus par la grace du Seigneur que le succes sera bou par deca, si n'est que nostre ingratitude cause le euutraire. Ce pendant les adversaires ne cesseront par l'astuce de Satan, et la malice d'icelny de jouer leur rolle. Ains uostre fiance est au Seigneur, qui est venu puur destruire les oeuvres de Satan. Jauuroy bien bonue euvye, mes freres, de la faire plus longue, si j'avoye le temps, mais pour ce que je suis aussy beaucoup empesché a escripre pour aillieurs je vous prie de m'avoir preseutemeut pour exeuse. Louuns le Seigueur pour ses graces, et prions uustre bon Dieu pour le succes du mioistere de moudict Seigneur a Lasco et pour moy. Sur ce feray la fin, priant le Seigueur, mes tresebers freres, de vous maintenir par sou Esprit en vraye prudence et fidelité a la vie eteruelle. Je prie estre recommandé tres affectueusement a vos fidelles compaignes et a toute l'eglise.

En haste prez de Cracauw ce 21 de Febvrier 1557.

S'il y a quelque bunne nuuvelle par dela, je prie qu'en puissions avoir part.

de par le tout [7])
vostre frere et serviteur
JEHAN UTENHOVE.]

Quae hic D. noster Uteubovius scripsit meo assensu scripta esse testificor, nam mihi scribere uou vacabat, itaque boni cousulite oro uostrum silentium et Dominum pro nobis orate.

Io. a LASCO m. pr.

---

[1]) Haec epist. quam additamento suo ad calcem pro sua agnovit à Lasco, inserenda esse videbatur, quia tota Lasci vitam spectat necdum erat edita. Cf. *Ep. Utenh. ad Bull.* d. 23 Iunii '57. PARKER Soc. o. l. II. 596. [2]) *Mais.* [3]) *Là.* [4]) *Convenait.* [5]) *Pieca,* proprie *pieça* scribendum, contr. ex *pièce a,* significat *il y a long-temps.* Cf. ROQUEFORT, *Gloss. de la langue Romane.* II. 349. [6]) *Quoy,* lat. quietus, *tranquille.* [7]) *Tout-à-fait.*

N°. 128. [Autogr. in Arch. Elect. Hass., edit. in Ann. Hass. Collect. X. 443.]

Ad Lantgravium Hassiae.

Cum mihi nuncius hic meus Francofurtum ad uxorem meam ablegandus esset, facere non potui, Princeps Illustrissime! quin ad te quoque pro mea in te observantia scriberem, teque de rerum hic nostrarum facie et progressu religionis facerem certiorem. Quanquam autem nihil fere eiusmodi habeam, quod Tua Cels. dignum ullo modo videri possit, quidquid tamen huius habeo, id totum tibi indicandum esse putavi. Primum igitur causa ipsa religionis tota in futura rursum Regni Comitia reiecta est propter repentinum belli Livonici adornationem, quod certe magno apparatu Rex meus moliri videtur. Interim tamen est adempta autoritas ac iurisdictio Episcopis in restitutas nostras Ecclesias et ministros verbi in ditionibus virorum Nobilium, quantumvis hic Episcopi omnes magnis conatibus reclamarent. Neque aliud est quidquam constitutum in causa religionis. In meo vero huo reditu ita sunt commoti omnes sacerdotum nostri temporis Principes, Scribae et Pharisaei, ut totum unum diem habendae inter se duntaxat de meo reditu deliberationi protinus destinarent. Convenerunt itaque postridie quum de meo reditu audissent apud summum patriae meae Archiepiscopum reliqui Episcopi omnes ipseque adeo creatoris ipsorum Papae Romani Legatus [1]), et universus Rasorum atque Unctorum grex, diemque illum totum una sic collecti, exclusis Laicis ut vocant omnibus, in quaerendis de mo uou ferendo consiliis absumpserunt. Ao ne tum quidem, dum cibum caperent, ullum ex Laicis omnino in caenaculum ipsum admittere voluerunt, ne quid eis forte inter pocula excideret, quod caelatum voluissent. Haec tanta ipsorum solicitudo plerisque risum movebat, non laicis modo, sed iis etiam, qui in intimo ipsorum coetu fuerunt, quibusdam vero non levem etiam dubitationem de tota eorum causa iniiciebat, qui id mihi postea ipsimet indicarunt. Summa autem primae eorum consultationis haec fuit, ut apud Regem unanimiter omnes instarent, ne me, quatenus alioquin peregre firmam sedem nullam habere hactenus potui, in Regno etiam suo ferret, sed potius ut hominem vagum atque haereticum Regno quoque suo excluderet. Unus tamen illorum frustra hoc tale ipsorum de me consilium agitari dicebat, quod sciret Regem id haudquaquam facturum esse, cum propter amicos meos [quos] [2]) in ipso etiam Senatu Regni, neque paucos, neque iterum postremos haberem, qui proculdubio reclamaturi essent, tum etiam propter leges patrias, per quas id Regi facere nullo modo liceret. Quaerendum esse igitur aliud consilium omnino. Ibi vero unus Episcoporum „Quod ego, inquit, omnium maxime semper metuebam, id iam venisse video, nempe quod D. Laski rediit". Huic Episcopo mox alter et quidem aliorum Coripheus subiunxit. „Quid verbis, inquit, opus est, Carnifex noster iam advenit". Ita primam suam illam consultationem mutuis istiusmodi inter se disceptationibus in meridiem fere extraxerunt. Post mensas vero ac pocula quaesita sunt rursum nova adversus me consilia decretumque ab illis unanimiter, ut Regem orarent,

siquidem Regno excludi non possem, saltem ne me Rex ad se admitteret. Aut si ne id quidem impetrare possent, hoc tamen ad extremum efficerent, ne mihi ad se venienti Rex manum porrigeret, ad dandam aliquam severitatis aut indignationis suae in me Regiae significationem.

Altero igitur die, una omnes Regem adeunt deque meo in patriam reditu ad illum quaeribundi referunt. Me videlicet, cum nusquam amplius ferri iam peregre possem, extrema necessitate adactum oportuisse in patriam redire, metuendumque esse, ne novas aliquas turbas hic adversus ipsum etiam Regem excitare coner, nisi Maiestas Regia huic malo in tempore occurreret, aut mei proscriptione, aut manifesta aliqua sive severitatis sive indignationis suae in me Regiae significatione. Ad quae omnia Rex paucis in hunc modum respondit: ne illi hac in parte nimium molesti essent. Me esse unum e Regni sui Nobilibus viris, habere multos et magni nominis amicos, nihil in se peccasse unquam, denique meam in se observantiam ac fidem, cum omnibus subiectionis atque obedientiae meae officiis profiteri. Quare se non posse mihi prohibere, quominus ad se veniam, si venire velim, nedum ut me Regno suo iuxta leges patrias excludere ullo modo possit. Imo vero esse id officii sui, ut me, si ad se veniam, clementer accipiat, ad quem modum alios quoque Regni sui Nobiles accipere consuevisset, praeterquam si quid interea adversus leges patrias eiusve Maiestatem designarem.

Ad hunc itaque modum dimissi a Rege Episcopi, ad calumnias sese converterunt, meque in Senatu publice apud Regem accusare caeperunt, quod centum equitibus comitatus Ecclesias ipsorum obequitassem, novassemque in illis multa in contemptum iurisdictionis atque autoritatis ipsorum, ac proinde se opem hic Regiam implorare. Ad haec porro Rex se nihil horum audisse respondit, sed se tamen ad me scripturum esse, ne quid huius mihi sumerem omnino, siquidem in patria esse velim. Scripsitque ad me Rex in eam ipsam sententiam, cui ego vicissim respondi, et calumnias Episcoporum obiter refutavi. Interea vero per alios Rex me bene sperare iussit, se quoque breui declaraturum esse quod maiorem Dei quam hominum rationem habere velit, modo ut ego pacifice interim promoveam causam religionis et vitem quod in me est omnes turbarum occasiones. Mihi quoque liberum esse ad se venire quando velim: itaque iam etiam iter meum ad Regem in Lithuaniam adorno. Ac de me quidem tantum.

In novis nihil propemodum certe audimus, quod quidem scribi possit. Regnum novi illius Wsyvodae [a]), ut vocant, in Ungaria propagari utcunque dicitur. Sed ego metuo ne Regnum hoc Turcicam nobis tyrannidem ad extremum inducat, si non prudenter et tempori huic malo obviam eatur. Serenissimus Rom. Rex vereor ne liberandae Ungariae par esse, ut nunc sunt tempora, non possit. Et nou minus rursum vereor, ne novus alter ille Rex viam sternat non volens Turcicae tyrannidi. Optimum esset, si id ullo modo fieri posset, ut per aliquam conciliationem cum Ser. Rom. Rege novus ille alter Rex a Turca avelleretur, praesertim cum Turca illum ferre utcunque posse videatur, Serenissimum autem Rom. Regem in Un-

garia ferre omnino nolit. Sed haec Domino sunt committenda. Hic ad promovendam apud nos religionis causam hoc consilium agitatum est, ut Rex Poloniae per Electorem et alios Duces Imperii ad eam instimularetur [4]) essetque id gratum Regi Poloniae. Atque iam super hac re Dux Prussiae et Ducis Olicensis Cancellarius Lithuaniae scripserunt ad Electorem Palatinum Rheni ditionis et Ducem Witebergensem proficisciturque cum istiusmodi literis Petrus Paulus Vergerius, homo tuae opinor Celsitudini non ignotus, idemque ipse opinor erit legatus dictorum Principum, et fortassis ad tuam quoque Celsitudinem veniet, nam illi id suasi et omnia communicabit. Quod si fiat, tum sane tuam Cels. summa cum observantia oro, ut tuo et ipsi ad eam rem officio deesse nolis, nempe in dandis eidem Vergerio tuis et literis et mandatis ad Regem Poloniae. Ago autem tibi suppliciter gratias, Princeps clementissime! quod ecclesias peregrinas Magistratui Francofurtensi ita clementer pro tua pietate commendaris simulque etiam uxorculae illic nostrae benignitatis tuae officia per tuum Marschalcum ita amanter detuleris. Ego id quidem Tuae Cels. ullis observantiae in te meae officiis pensare me haudquaquam posse video. Sed Deum oro, locupletissimum alioquin beneficiorum omnium remuneratorem, ut tuam istam clementiam divina sua gratia et benedictione tibi pensare dignetur, et posteaquam divino beneficio gratiam in oculis tuis reperi in peregrinarum Francofurti Ecclesiarum commendatione, adhuc illas Tuae Cels. Domino meo clementissimo suppliciter commendo, imprimis vero Flandricam seu inferioris Germaniae Ecclesiam, quam summa egestate et inopia laborare ac premi et multa sane viva corporis Christi membra habere scio. Eam igitur tuae Cels. in visceribus Domini nostri Iesu Christi suppliciter commendo, et Deum patrem nostrum, fontem bonorum omnium supplex oro, ut te cum universa domo ac familia tua Illustrissima regat servet et fortunet, benedicat omnibus consiliis et actionibus vestris dirigatque vestra omnia ad gloriam adorandi sui nominis, ad salutem vestram omnium et ad Ecclesiae suae aedificationem. Amen. Cracoviae 22 Februarii Anno 1557 [6]).

Tuae Cels. Illustrissimae, Domino meo clementissimo, addictissimus

IOANNES à LASCO m. pr.

---

[1]) Lippomannus. [2]) ANN. HASS. COLL. omittit *quos*. [3]) Waywoda Ioh. Sigism. Zapolya, a°. 1536 restitutus. [4]) ANN. HASS. COLL. *non stimularetur*. [5]) Ib.: *ipse officio ad eam rem officio*. [6]) Conferantur cum hac epistola litterae Utenhovii ad min. Emd. 21 Febr. 1557 Cracoviae datae.

N°. 129. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad DUCEM PRUSSIAE.

Statueram plane ipse venire ad Tuam Celsitudinem recta hinc, simul atque me a Maiestate absolvissem, ac proinde nullas interea etiam litteras ad tuam celsitudinem dedi, quod ipsemet litterarum vice esse volebam, ut

meam veterem in tuam celsitudinem observantiam nunc potissimum illi approbarem, posteaquam in patriam Divino iam beneficio redii et consilium etiam ac patrocinium tuae celsitudinis in promovenda hic apud nostros iam causa religionis implorarem. Sed partim valetudine mea nunquam alioqui iam satis firma, partim etiam scribendis quibusdam in usum Regium [1]), longius hic quam putabam haerere coactus, nullo iam modo possum desiderio meo satisfacere visendi celsitudinem tuam. Cogor enim quanta possum contentione ad meos redire in Poloniam qui mea causa non pauci sunt conventuri et meum ad se adventum ad locum et tempus constitutum expectaturi. Quare tuam celsitudinem suppliciter oro, ne ulli meae negligentiae imputare id velit, quod ad ipsum non venerim, sed nostrarum potius rerum nunc rationibus condonare id, meamque hanc necessariam plane excusationem in optimam partem pro sua elementia interpretari dignetur. Quid vero hic egerim et quam benigne a Maiestate Regia exceptus auditus ac dimissus sim, id totum intelliget tua celsitudo ét ex Magnifico Domino Palatino Marieburgensi, vetere amico meo, ét ex litteris Domini Magistri Curiae Reginalis Maiestatis. Pharisaei quidem nostri torvum me intuentur atque causam meam circa religionem miris suspicionibus ac calumniis gravare apud Maiestatem Regiam, quantum possunt, conantur, sed Dominus nobis aderit per suam gratiam. Quin et tuae quoque celsitudinis nomen mei nominis invidiae obtendi audio, quemadmodum id Domino Marieburgensi Palatino exposui. Sed ego longe meliora mihi de celsitudinis tuae probitate clementia ac candore polliceor, quae alioqui dudum mihi perspecta habeo, quam ut quorundam hic iactationibus fidem ullam, non dicam ipsemet velim adhibere, verum ab aliis etiam habendam ullo modo esse putem, qua de re Dominus Marieburgensis Palatinus plura. Quod porro ad me attinet, non committam, quin, compositis paulum modo in patria rebus meis, ad tuam mox celsitudinem veniam, si modo intelligam, tuam celsitudinem bello hoc Livonico [2]) evocatum huc non iri. Commendo me clementiae tuae celsitudinis quam officiosissime et Deum oro ut tuam celsitudinem servet regat et fortunet. Raptim Wilnae 13 Aprilis 1557.

Tuae Celsitudini Illustrissimae addictissimus
Ioannes à Lasco m. pr.

---

[1]) Cf. Utenh. *Ep. ad Bulling.* Parker Soc. II. 598 „Placing in his (sc. Regis Polon.) hands a certain excellent tractise, which he had composed at Wilna a short time sinse, concerning the obligation of a king to destroy idolatry." Nihil tamen ab ipso scriptum ex hoc tempore superstes nobis est, nisi *Tractatus adv. Hosium*, ed. nostr. T. I. 391. [2]) Cf. Gray, *Gesch. Ost-Preuss.* p. 624. Parker Soc. o. l. II. 599.

N°. 130. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Ab eo tempore, quo per meos vocatus Divino beneficio in patriam redii, sedulo mecum semper de adeunda tua Celsitudine cogitavi atque in

animo plane habui, ut in meo ex Lituania a Regia Maiestate reditu anno adhuc superiore ad tuam Celsitudinem deflecterem, eaque de re cum Magnifico Domino Mariaeburgensi Palatino [1]) Wilnae consilia communicabam [2]). Sed et itineris tamen incommoditas ipsa ex intempesta prorsus hyemis solutione id mihi non permittebat ullo modo et bellicis alioqui motibus ita iam perstrepebant omnia [3]), ut parum oportune forte venturus eo tempore fuerim ad tuam Celsitudinem, etiamsi venire licuisset. Postea vero toto hoc anno et cum morbo meo subinde ita conflictabar, Divina permissione, et negociis item partim domesticis, partim etiam ad religionem pertinentibus ita distringebar, ut meo huic desiderio adeundi Celsitudinem tuam nulla hactenus ratione satisfacere potuerim. Nunc porro confirmata utcunque valetudine, gratia sit Domino! et ocii nonnihil nactus iter meum mihi ad Celsitudinem tuam instituendum esse iudicavi. Venerat autem sub id tempus ad me vir vere Illustris, Dominus Despota Sami, qui cum de suscipiendo meo ad tuam Celsitudinem itinere ex me intellexisset, litteras mihi suas ad tuam Celsitudinem perferendas dedit et petiit, ut, si forte mihi diutius in itinere alicubi haerendum esset, litteras ipsas ad tuam Celsitudinem praemitterem. Cum igitur ita me et obliquare iter meum et certis locis haerere nonnihil oportere viderem, dedi operam apud affinem meum Dominum Raphaelem Leszczinski Radzicoviensem Capitaneum [4]) ut litterae mihi concreditae ad tuam Celsitudinem praemitterentur simulque et meas hasce addere volui, ut tuae Celsitudini de meo ad ipsam itinere obiter indicarem. Expectandi autem hic sunt mihi per triduum forte adhuc amici quidam, ut cum eis colloquar. Deinde vero Mariaeburgum petam et forte Dominum Mariaeburgensem Palatinum visam, si quomodo illum ad tuam Celsitudinem pertrahere mecum queam, atque ab illo scisciter, ubinam mihi sit quaerenda Celsitudo tua. Cuius interim clementiae me summa cum observantia commendo et Deum oro, ut tuam Celsitudinem nobis et Ecclesiae suae servet. Oro iterum tuam Celsitudinem ut si aut litterae ullae aut nuncius quispiam interea ad me istuc veniat ad aulam tuae Celsitudinis ab Illustrissimo Domino Wilnensi Palatino [5]), retineatur istic, usque in adventum meum, spero autem me ante Palmarum ad tuam Celsitudinem perventurum esse per gratiam Dei. Goluchoviae [6]) 18 Martii Anno 1558.

Tuae Celsitudinis Illustrissimae addictissimus servitor
Ioannes à Lasco m. pr.

---

[1]) Achatius von Zehmen, sacrorum instaurationis promotor potens atque indefessus. Cf. A. Eichhorn, *Stanisl. Hosius' Leben*. Mainz 1854. II. 200 sl. [2]) Cf. ep. 128. [3]) Cf. ep. 128 n. 2. [4]) Cf. Krasinsky, o. l. 72. [5]) Nic. Radzivil. [6]) In Polon. maior. distr. Cracov. Cf. Regenvolscius, o. l. p. 75.

N°. 131. [Utenhovius o. l. p. 3.]

Ad Lectorem [1]).

Pressimus hactenus, Christiane lector! abitus nostri ex Anglia historiam, posteaquam nostrae illic Ecclesiae, revecto rursum Papismo dissipatae, aliud sibi receptaculum quaerendum esse alibi statuissent. Et fecimus id sane pacis, quoad eius fieri posset, cum omnibus retinendae studio, etiamsi multa et gravia in nos et fratres nostros, profectionis nostrae socios, praeter nostrum omne meritum designata passim essent, quae iustissimam alioqui causam nobis scribendi ea de re aliquid praebebant. Nimirum volebamus illatas nobis iniurias omnes propter Christum patientia nostra vincere et turbas omnes silentio nostro redimere innocentiae nostrae in corde nostro testimonio freti. Sed cum nostro silentio nostraque tolerantia, non solum non mitescere nostros adversarios (quod equidem sperabamus) sed multo adhuc etiam magis insolescere adeoque et efferari ac nescio quos sibi triumphos de nobis ante victoria decernere videramus, et pii omnes fraudi iam deinceps nobis nostrisque Ecclesiis silentium hoc nostrum fore indicarent hortatique nos iam plures essent, ne et dignitatem ipsam Ecclesiarum nostrarum et nostri in illis ministerii fidem silentio amplius nostro proderamus, abrumpendum illud nobis tandem esse quantumvis inviti existimavimus, ne calumnias adversariorum agnovisse nihilque quod ad eas responderemus habuisse videremur. Dedimus igitur negocium — cum nobis alioqui ipsis non vacaret — ex fratrum omnium consilio conscribendae historiae abitus nostri illius ex Anglia viro clarissimo D. Ioanni Utenhovio, collegae nostro et nostrarum in Anglia pridem Ecclesiarum presbytero, cuius sane viri probitas fides gravitas eruditio atque integritas ipsa notior piis passim omnibus, quam ut ulla egeat commendatione. Certe qui hominem norunt, non dubitabunt de fide illius in conscripta per ipsum Peregrinationis nostrae istius historia quam nos quoque veram esse coram Domino pro eo ac nobis est cognita testamur. Quodsi qui nihilominus fidem illius in dubium vocare conentur — ut nunc sunt homines, qui perfricta fronte, quae verissima esse palam constat, mendacii nihilo secius accusare tamen conantur — nos talium impudentiae Apostolicum illud duntaxat opponimus: „Sistemur olim ad tribunal Christi Domini", et tum omnis fucus atque hypocrisis adversariorum nostrorum coram orbis totius theatro conspicietur. Hanc nostram provocationem piis omnibus satisfacturam esse non dubitamus. Interim disperdat Dominus labia dolosa et linguas magniloquas. Amen. Calissiae, in maiore Polonia, 26 Martii, Anno 1558.

Ioannes à Lasco.

[1]) Praefaminis instar haec epistola est in libello Utenhovii ad caput huius ep. citato.

N°. 132. [Ex Arch. Secr. reg. Regiom. L. p.34.]

Ad Min. Ecclesiae Prutenicae. [1])

Heri [2]) ita ab invicem digressi sumus, ut rationes ex verbo Dei petitas afferremus, cur assentiri tota nostra conscientia non possimus, corpus Christi Domini reipsa in pane aut sub pane coenae et quidem sic ut ministri manibus, ubicunque coena peragitur, in ipso pane aut sub pane seu per panem ore carnali ab omnibus percipiendum porrigatur sive sint pii sive impii quoquomodo. Horum igitur singulorum rationes paucas e multis ponemus, non eo tamen consilio, ut longam hic ea de re disputationem institui iam postulemus — hoc enim nobis ipsa itineris nostri acceleratio non permittit ullo modo — sed ut ostendamus nos non temere neque sine causis gravissimis, ex verbo Dei petitis, assentiri istis non posse.

Corpus Christi cur in pane ipso aut sub pane reipsa esse non possit in coenae usu rationes.

Pugnat haec doctrina cum ascensione Christi, quae testatur, Christum Dominum corpore suo ex hoc mundo (Ioan. 13. 1) a nobis (Lucae 24. Acto. 1. 11 et 22) secessisse ((Lucae 24. 51) abiisse (Ioan. 16. 16) receptum esse (Mar. 16, 19. Acto. 1. 11. 22) delatum fuisse (Luc. 24. 51) in altum (Acto. 1. 9. Eph. 4. 8) ascendisse (Ephe. 4. 8. Ioan. 17) in coelum ipsum (Mar. 16. 19. Luc. 24. 51. Acto. 1. 11. Eph. 4. 10. Heb. 9. 24) in gloria (1 Tim. 3. 16) consedisse in coelis (Heb. 8. 1), ad dexteram Dei (Heb. 10. 12), throni maiestatis (Heb. 8. 1), perpetuo ibi sedere, (Heb. 10. 12) conspicuum esse (Heb. 9. 24) coelo contineri (Act. 3. 21) illinc eum expectari (Phil. 3. 20) 1 Tess. 1. 10), donec veniat (1 Cor. 11) descendat de coelo (1 Tess. 4. 16) ad quem modum visus est ascendisse (Acto. 1. 11) cum maiestate magna (Lucae 9. 26) cum potestate multa (Mar. 13. 26) cum gloria sua (Math. 25, 31) tempore restitutionis omnium (Acto. 3. 21).

Ita Christus Dominus ascensionem suam corporali carnis suae manducationi opponit et quod ipse opponit nos conciliare frustra conamur. Negari autem non potest corporalis manducatio, quocunque tandem modo corpus Domini in pane coenae aut sub pane corporaliter esse manibus ministri corporeis porrigi et ore carnali edi dicamus.

Adimit doctrina haec vim ac dignitatem sacerdotii Christi. Nam iuxta humanitatis nostrae, verbo coniunctae, naturam Christus Dominus sacerdos noster est (Heb. 5. 5) et quatenus sacerdos est noster in terris iam non est, nempe humanitas nostri corporis. Nam si in terra esset (ne dicam in pane coenae) iam sacerdos non esset ille noster (Heb. 8. 4).

Adimit doctrina haec proprietates naturae humanae in Christo, quas scriptura corpori Christi tribuit etiam post eius glorificationem: 1°. quod sit circumscriptum mensura sua sic ut magnitudo ipsa corporis videri et forma agnosci possit (Ioan. 20. 20). 2°, Quod sit circumscriptum loco,

48*

„Non est hic, surrexit enim" (Math. 28. 6). „Praecedit vos in Gallilaeum" (Ibidem 7). Obvius factus est muliebribus (Ib. 9). Venit ad discipulos, constitit in medio (Ioan. 20. 19). Haec omnia loci discrimen significant. 3°. Quod Christi Domini corpus sit palpabile et quod ipsemet Christus Dominus corpus suum iam glorificatum non tam equidem fidei quam sensuum potius testimonio a spiritu discerni velit (Luc. 24. 39. Ioan. 20. 17).

Adimit haec doctrina Christo Domino gloriam suam et spiritum suum in suo corpore. Quatenus enim corpus Christi reipsa et corporaliter est in pane coenae manibusque ministri porrigitur in ipso pane et ab omnibus in pane ipso, ore carnali, percipiatur, eatenus quoque et gloriam et spiritum Christi cum eius corpore in ipso pane et porrigi ministri manibus et ore carnali percipi ab omnibus oportet, quicunque pani participant, aut adimitur proculdubio et gloria et spiritus Christo Domino in corpore ipsius, dum sine illis porrigi atque percipi corpus Christi docetur.

Pugnat haec doctrina cum natura et proprietate omnium sacramentorum. Omnia enim sacramenta in mysterio unum sunt sacramentum, quemadmodum Paulus patres nostros in Israele baptizatos, nos rursum circumcisos et illos eandem nobiscum escam edidisse eandemque potionem bibisse docet, nempe Christum, etiamsi neque corpus neque sanguis Christi reipsa adhuc tum exstarent, 1 Cor. 10.

Hic sane aut est negandum patres nostros eamdem nobiscum escam edisse et idem bibisse poculum spirituale, nempe Christum in corpore et sanguine suo, et tum universam Israelis ecclesiam a vita aeterna excludemus, iuxta illud. „Nisi quis ederit carnem cet." Ioan. 6. aut fatendum est in usu sacramentorum edi carnem Christi et bibi eius sanguinem vere ad vitam aeternam, etiamsi sacramentorum elementis non insit reipsa substantia corporis Christi naturalis, unde et Paulus docet, Unum esse Deum utriusque Ecclesiae, unam fidem et unum baptismum (Eph. 4. 6) et Augustinus omnia sacramenta unum sacramentum in virtute et mysterio esse docet.

Haec nunc ita adduxisse satis esse putamus. Nam nunc, ut est dictum, disputationem non expetimus, sed tantum paucis iudicamus causas, propter quas doctrinae huic assentiri non possimus de corporali in pane coenae corporis Christi praesentia distributione et manducatione.

Omittimus autem hic incommoda et absurda multa contra scripturas, quae cum hac doctrina evitari nullo modo possunt. Gustum namque duntaxat damus doctrinae nostrae neque est animus rem exagitare cum plus satis rixarum videamus. Etsi vero istis non assentiamur, ut iam diximus, nihilominus tamen cum Paulo *fatemur:* Coenam Domini esse veram ac salutarem communionem corporis et sanguinis Christi quod pro nobis traditum est et qui pro nobis fusus est, in remissionem peccatorum nostrorum. *Fatemur* item et credimus Coenam Domini quemadmodum et alia sacramenta esse signum externum et internum in cordibus nostris obsignaculum (autore spiritu sancto) iustitiae nostrae fidei, quemadmodum Paulus de circumcisione docet, h. e. acceptationis nostrae omnium in gratiam Dei in

Christo et propter Christum quam Deus vult fide apprehendi et non contemni. *Fatemur* et credimus, quatenus Coena est communio corporis et sanguinis Christi, externe panem coenae esse vere in mysterio corpus, potitionem item coenae esse sanguinem Christi. *Fatemur* itaque etiam et credimus Christum Dominum vere et essentialiter adesse suae coenae pascereque suam Ecclesiam vere ad salutem, una cum his rebus quae videntur, nempe pane et vino, vero etiam corpore et sanguine suo ad vitam aeternam, ut fidei manibus percipiantur et ore fidei sumantur; damnamusque eos qui signa sacramentalia absentis de coena sua Christi Domini signa esse docent, et qui in Christi institutionibus inania nuda atque otiosa signa esse imaginantur, ut circulum et hederam appensam circa tabernam.

Haec nos ita semper professi sumus atque hanc doctrinam et scripturis et symbolis veteribus, denique et Confessioni Augustanae consentaneam esse non dubitamus. Statuimus etiam illam satis esse ad retinendum fundamentum doctrinae Apostolicae in Ecclesia Christi iuxta scripturas, etiamsi de reliquis consentire adhuc non possimus. Orandus est Deus ut semel aliquando de omnibus idem sentiamus et loquamur. Interim vero nos invicem feramus in charitate et fraternitate Christiana, praesertim cum doctrinae Apostolicae fundamentum unanimiter antichristianae tyrannidi opponere studeamus. Regiomontii, 15 Aprilis 1558.

I. à Lasco.

1) *Prutenica Eccl.* Ecclesia Prussiae indicatur. 2) Respicit haec ep. coll. Regiom., habitum ad d. xv April. 1558 cum min. Prutenicis.

N°. 133. [Ex Arch. Secr. Reg. Regiom.]

Ad Ducem Prussiae.

Si res verbis pensandae essent, operosam sane Epistolam declarata nunc in nos tuae Celsitudinis clementia postularet. Sed cum neque sit virium nostrarum, dignam tuae Celsitudini ullo modo referre gratiam, et tua Celsitudo verba non usque adeo moretur nostraque praeterea infantia obstet etiam, quominus hic aliquid praestare possimus, confidimus pietati clementiae et humanitati Celsitudinis tuae, quod animum nostrum, tuae Celsitudini alioqui addictissimum, sit benigne ac clementer acceptatura, etiamsi verbis ad agendas tuae Celsitudini gratias plane destituamur. Hoc certe profitemur ingenue, nos tuae Celsitudini oportere esse addictissimos, ut qui nihil magis cupiamus, quam ut nostram gratitudinem atque observantiam declarare ac contestari apud omnes, tuae vero Celsitudini approbare etiam aliquo modo possimus, et dabimus operam pro summa virili nostra, ut tua Celsitudo intelligat, nos neque ingratos neque immemores esse futuros beneficiorum ipsius [1]. Inter quae etiam id non postremum agnoscimus, quod tua Celsitudo nobis adiunxerit vere nobiles et omni tuae Celsitudinis beneficentia dignos plane viros, Dominum Hondorffium

et D. Falkenhan, quorum certe eam probitatem fidem atque diligentiam experti sumus, ut optemus, multos illorum similes in aula tuae Celsitudinis haberi semper posse. Agimus igitur tuae Celsitudini peculiariter etiam gratias pro additis talibus deductoribus, imprimis autem pro Domino Hondorffio, cuius certe probitatem candorem modestiam studium ac fidem non possumus tuae Celsitudini non singulariter commendare, et suppliciter orare, ut tua Celsitudo illum nostra etiam causa clementia ac beneficentia sua clementer prosequi dignetur. Porro et hospitis nostri, Francissi Gruczmacher, obiter etiam meminisse volnimus apud tuam Celsitudidem et supplicem nostram pro illo petitionem denno repetere. Exposuit iam nobis causam suam, posteaquam tuae Celsitudini valedixissemus. Eam vero quoniam paucis perscribi iam non potuit, D. Hondorffius tuae Celsitudini nostro nomine exponet. Oramus supplices tuam Celsitudinem omnes, ut eius rationem tua Celsitudo, quoad eius sine tuae Celsitudinis dispendio fieri poterit, clementer habere velit. Postremo quoniam ipsimet peregrinationum incommoda aliqua ex parte sumus experti, putavimus etiam nostri officii esse — posteaquam nobis Dominus gratiam in oculis tuis largiri dignatus est — ut tuae Celsitudini Dominum Horatium Curionem, virum pro aetate et doctum et gravem et pium commendaremus. Hoc ille quidem a nobis vere non petiit, quin potius tuae Celsitudinis in se propensionem ac munificentiam multis verbis praedicavit, sed nos peregrinorum conditionem alias, ut diximus, uteunque experti, existimavimus illius quoque mentionem nobis apud tuam Celsitudinem cum aliqua commendatione faciendam esse. Quod restat nos tuae Celsitudinis clementiae omnes supplices commendamus, et Deum oramus ut tuam Celsitudinem nobis et suae Ecclesiae diutissime incolumem servet. Amen. Raptim admodum in Heiligenbeil [2]), 18 Aprilis Anno Domini 1558.

Tuae Celsitudinis Illustrissimae modis omnibus addictissimi servitores
IOANNES à LASCO cum collegis suis omnibus m. pr.

[1]) Sc. pro opportunitate colloqnii data (cf. ep. 130) et benigno hospitio, quo eum Dux receperat. [2]) Non procul a littore, a parte Sept. si Regiom. in Polon. redeas.

N°. 134. [Ex. arch. Lond., State Papers, Foreign, Elizabeth n°. 1304.]

Ad REGINAM ANGLIAE.

Serenissima iuxta ac Christianissima Regina et Domina, Domina clementissima! Gratiam pacem bonique ac salutaris consilii spiritum in instaurando istic tuis iam auspiciis vero cultu Dei et vera religione, divinam item in politicis actionibus tuis omnibus benedictionem et assidua donorum Dei in te incrementa in praecellenti ea nunc vocatione tua, precor tibi suppliciter a Deo Patre nostro coelesti per Christum Dominum, Servatorem et Pontificem nostrum, cum perpetua eademque diligentissima

fidei observantiaeque in te meae et omnium pro summa virili mea officiorum commendatione!

Quoties mihi in mentem venit — venit autem multo frequentissimo — Dominus olim frater tuus Eduardus Rex pientissimus, quo mundus hic re vera dignus non erat tuque adeo ipsamet et rerum istic omnium mira hauddubio planeque incredibilis ac minus multo adhuc expectata a plerisque vicissitudo, toties mihi abripi nescio quo modo videor in extremam quandam admirationem providentiae sapientiae et aeternae iustitiae Dei. Cuius alioqui consilia, quo magis omnem mentis nostrae captum transcendunt, hoc sane magis illorum consideratione humiliare nos ipsos sub potenti manu illius nostraeque in vita hac conditionis meminisse omnes debemus. Novit nimirum ille figmentum suum, naturae inquam nostrae corruptelam, qua fit ut et rebus secundis praeter modum omnem facile efferamur, et adversis rursum protinus doiiciamur, ac proinde nostrum utrobique officium praestare, quod interim Divina illius gloria a nobis in sua potissimum Ecclesia requirit, haudquaquam possimus. Gubernat itaque et moderatur nostra omnia inaccesso quidem nobis, sed tamen sanctissimo Divinae suae providentiae consilio sicque et amara dulcibus et dulcia amaris ad nominis sui adorandi gloriam temperat, ut nimirum et nos utrobique officium pro infirmitate nostra praestare discamus omnesque eiusmodi rerum vicissitudines salutaria proculdubio corruptelae nostrae remedia esse statuamus, nempe ut dum aut [1]) dulcia nobis affluere Divino beneficio videmus, ne amarorum oblivione nimium alioqui securi capiamur, vel eorum rursus quae sunt amara gustu nimium offendamur, sed eorum molestiam certissima dulcium spe atque expectatione, nobis quidem diffisi, sed Divina propter Christum Dominum benignitate confisi, perferamus ac leniamus per assiduam ac supplicem nominis sancti illius invocationem. Ita sane ego et istic Deum Optimum Maximum egisse iustitiaeque ac veritatis suae specimen quoddam singulare edere voluisse plane existimo, ut et populi ingratitudinem simul et hypocritarum perfidiam puniret, piorum vero fidem ac fortitudinem toti mundo conspicuam redderet, per illorum tolerantiam et ad suam demum gloriam veraeque religionis in sua Ecclesia confirmationem posteritati commendaret. Etsi autem Dominus olim frater tuus in tenera alioqui aetate adhuc sua laetis ita fruebatur ex Divina benignitate et elementia, ut nihilo secius tristia quoque secum quae eminus intuebatur, subinde reputaret et velut in prospectu suo, pro donorum a Domino in se collatorum admirabili prorsus excellentia, statueret — id quod ego etiam de eius pietate vere testificare possum — tamen cum suo ipsius ductu nihil fere adhuc posset agere et ex aliorum consilio atque autoritate pendere propemodum Princeps sanctissimus cogeretur, donec ad grandiorem paulo aetatem pervenisset, fieri non potuit, quin vel invictus quandoque speciosis, ut fit, prudentiae humanae consiliis cederet, transverseque ageretur. Neque ei defuere Potiphares quidam, quorum cuiusque uxor (ratio inquam humana) cum Iosephum nostrum, Christum Dominum, propterea quod cum illa consuetudinem nullam in vocatione

sua restituendi cultus veri habere vellet, invisum prorsus haberet, tanta apud illos tandem calumniis suis effecit, ut Iosephus noster innocentissimus, quod ad doctrinam ac cultum eius attinebat, vinculis quibusdam prudentiae huius mundi includeretur, sic ut neque Rex ipse pientissimus, neque sanctissimi plerique viri Dei, qui suam ipsorum fidem et pietatem constantissime sunt sanguine suo postea contestati, verum ac purum Dei cultum, reiectis Antichristianismi notis omnibus, instaurare plane possent, sed ferre coacti sint, ut Christus Dominus in doctrina et cultu suo privatis Potipharum affectibus in uxoris ipsorum gratiam indignissime serviret. Possent proferri et exempla et nomina Potipharum illorum si non res ipsa plus invidiae atque odii quam fructus boni ullius secum allatura esse videretur. Eam porro nominis sui contumeliam ut nunquam non est gravissime ultus Deus in suo populo praesertim, ita et istic illam post exortum praesertim, si usquam alibi, lucis Evangelicae splendorem, impunem esse noluit, quam pro tanti doni magnitudine populi istic gratitudinem merito sane requirebat. Ingratitudinem igitur et istic sui beneficii ultus est Dominus, sed ultionem suam ita rursum est moderatus admirabili Providentiae et Benignitatis suae consilio, ut iudicium suum a domo quidem sua politicoque eius capite, Rege sanctissimo, ordiretur, sed aliorum interim, partim hypocriticam, partim vero manifestam impietatem ita alioqui punivit, ut Divinae huius ultionis memoria vix ulla unquam oblivione aboleri possit. Neque est cogitandum fortuito id ita istic accidisse. Dei ipsius opus est, qui Iosephum nostrum, Christum Dominum, non amplius istic in doctrina et cultu suo vinculis humanae prudentiae vult detineri. Sed privata Potipharum impietate et comprobata fide ac constantia suorum, hoc iam agit ut verus noster Iosephus, Christus Dominus, reiectis omnibus Potipharum persuasionibus ac consiliis, semel aliquando ab humanae prudentiae vinculis liberetur, suaque illi dignitas et autoritas in doctrinae et cultus sui puritate asseratur. Non vult nos esse conciliorum suorum socios, multo minus autem gubernatores aut moderatores etiam, nedum ut nos hac quidem in parte ingeniosos esse velit, sed mandatorum suorum obedientiam ut Dominus ab omnibus omnino sine ulla cuiusquam exceptione requirit. Te vero in hoc potissimum elegisse videtur Dominus, ut fidem ac pietatem tuam in verbi sui obedientia pro ratione vocationis tuae Regiae palam declarare possis. Ad Regem certe dictum est, ne quomodo Reges praeeminentiam suam ullo modo inobedientiae suae obtendant „Melior est obedientia quam victimae" ac mox rursum „Quia tu abiecisti verbum Domini, abiecit quoque te iam Dominus", — ut interim taceam peculiaria in te dona ac beneficia Dei. Ornavit te Dominus noster non vulgari linguarum et disciplinarum peritia, ut in legendis probatissimis quibusque autoribus sine cortice, quod dicitur, natare possis. Adiunxit item veram ac salutarem sui, in unigenito suo filio, cognitionem quam non sub fratre modo, sed etiam sub patre tuo in tenera adhuc aetate tua professa es. Postea te immissa cruce multiplici exercuit et velut igni quodam probavit, ut virginea tua tolerantia Satanae et eius satellitum tyrannidem non superares modo, sed etiam informares. Denique

servavit te praeter multam multorum opinionem, ut in eo demum Regiae praeeminentiae fastigio eius beneficio collocata, tanto maiore cura studio ac sedulitate officium tuum praestes, nisi si tibi ipsa et universo Regno tuo iram Dei et publicam calamitatem accersere ingratitudine tua velis, quanto magis insignia Dei in te opera diffiteri non potes.

Tuum erit igitur, Serenissima Regina haec! ipsa in corde tuo et apud alios confessione tua attesteris. Deinde intuenda est tibi ratio ipsa vocationis tuae Regiae, et quidem non iuxta placita hominum quorumcunque, sed iuxta aeternum atque immutabile prorsus placitum viventis aeterni et omnipotentis Dei. Postremo in hoc tibi modis omnibus incumbendum erit, ut officium tuum facias pro eo ac tuae huius vocationis ratio id iuxta verbi Divini praescriptum postulabit. Ac de donis quidem Dei opulentissime in te collatis aliud hic non dicam quam ut cogites, ab his, in quos multa sunt collata, multa olim etiam exigenda esse in iudicio Dei, ad quod alioqui nos omnes sisti tandem tandem oportebit. De peculiaribus item Dei in te erudienda probandaque et ad Regiam hanc dignitatem ad extremum evehendam operibus, aliud non addam, quam ut caveas, ne ulla in te culpa resideat tuae erga Deum ingratitudinis et negligentiae.

Caeterum de ratione ipsa vocationis tuae Regiae, deque tuis in illa officiis, etsi multa a multis praeclare scripta esse non ignoro, attingam ego tamen paucula quaedam etiam et viduae Evangelicae exemplo duo saltem minutula adiiciam magnis aliorum donariis, ad templi istic Dominici sub tua gubernatione instaurationem.

Primum autem dicam de ratione ipsa vocationis tuae Regiae, circa quam illud tibi ante omnia discrimen observandum diligenter erit, quod nobis inter Ethnicum et Christianum quemlibet Magistratum Scripturis sanctis proditum habemus. Inde enim facile demum agnosces veram tuae vocationis Regiae in Christi Ecclesia rationem. Igitur de Ethnicis Regibus Christus Dominus ad hunc modum testificatur, quod Reges Gentium putent se illarum Principes esse, hoc est, ad Principatum duntaxat et Dominatum in suos sub Magistratus titulo vocari, ac proinde gentes Principum suorum duro atque exlegi imperio premi. Hoc enim innuit verbum κατακυριεύω, quo sane non temere et Matthaeus et Marcus Evangelistae in verbis Christi Domini utuntur. De Christiano vero Magistratu multis Scripturae locis docemur, eum non tam equidem ad Dominatum quam potius ad Ministerium Dei in eius Ecclesia vocari. Praedicit Propheta fore, ut colligantur Regna et Reges, qui serviant Domino. Et alibi rursum addita gravissima comminatione repentini interitus, vult ut Reges omnino in sua vocatione non equidem imperio suo, ut libet, suos premant, sed ut Domino serviant. Alius vero Propheta „Erunt" inquit „Reges, Altores tui, vultu in terram demisso adorabunt te" et quae plura eo loco et plerisque aliis Scripturae locis prodita leguntur. Quae sane eo pertinent omnia, ut intelligamus, reges et principes Christianos in qualibet excellenti ipsorum vocatione, non sane ad dominatum in subditos, quem Ethnici Principes sibi usurpant, sed ad Dei ipsius ministerium in gubernando populo suo vocari. Absit hoc

igitur abs te, Regina Serenissima! ut te ethnico more ad dominatum in tuos a Dominorum omnium Dominatore Deo vocatam esse, aut putes ipsa, vel tibi ab aliis persuaderi id patiaris, sed cogites, omnes istiusmodi voces Ethnicas esse, ac proinde a Christiano quolibet Magistratu maxime alienas esse oportere. Quid? quod Paulus in ipsis etiam Ethnicis Christiani Magistratus imaginem nobis adumbravit, ut, etiamsi eam ab illis, usurpato sibi dominandi in suos iure, violatam esse videamus, mentem nihilominus atque ordinationem Dei nos in legitimo Christianoque Magistratu quolibet observemus. Ita sane omnem omnis potestatem docet esse Dei ministrium atque ordinationem, ut sit custos legis in concredito sibi populo, dum eius obedientiam remuneratur et inobedientiam punit. Capita autem praecipua constituit idem Paulus, in quibus potissimum Christiani cuiusque Magistratus officium versatur, nempe publicae pietatis et tranquillitatis custodiam, quorum altero quae ad Deum, altero vero quae ad proximum pertinent, continentur, ut Magistratus quisque intelligat, se et publici cultus Divini a Deo imperati, qui sub pietatis nomine censetur, et politicae item universae gubernationis quam publica tranquillitas in se complectitur, custodem esse oportere.

Quin et modum eius custodiae legis nobis luculenter exponit, ne vocationum in ministerio Ecclesiastico discrimina confundere velle videatur. Discernit politicum gladium a gladio Spiritus, atque huius ministerium Episcopis et Presbyteris in Ecclesia, illius vero usum legitimum Magistratui consignat, ne aut Episcopi Magistratus officium invadere, quod in Papismo factum videmus, aut Magistratus rursum gladii Spiritus gubernationem sibi quoquomodo usurpare possint, sed alii interim alios in officio contineant, hoc est, ut Magistratus Episcopos observet, ne quid praeter verbi Divini doctrinam in Ecclesia vel doceant vel statuant fidemque illorum hac in parte ac diligentia externa etiam remuneratione compendat atque ornet, infidelitatem vero ac negligentiam legitimo gladii sui usu corrigat et puniat, pro eo ac id Divini nominis gloria et Ecclesiae aedificatio postulare videtur, — Episcopi vero dent operam petitis ex verbo Dei admonitionibus, ne quid Magistratus rursum vel designet vel praescribat Ecclesiae, pugnans ullo modo cum pietate vera veroque Dei cultu, cum publicae item honestatis, quam non temere alioqui pietati adiungit Apostolus, et tranquillitatis custodiam. In hac igitur praecellentis tuae vocationis Regiae a Paulo Apostolo deliniata veluti imagine quadam tuum ipsius officium intueri atque observare debebis, Serenissima Regina! nempe ut te fidelem esse ancillam ac ministram Dei declares coram tua Ecclesia in publicae pietatis honestatis et tranquillitatis custodia, hoc est, ut doctrinae Apostolicae et veri cultus Divini puritatem, morum item honestatem, individuam alioqui verae pietatis sociam, et tranquillitatem publicam inter tuos retineas alas exornes et tua autoritate Regia iuxta traditi tibi a Domino gladii politici usum tuearis ac propugnes. Contra vero ut doctrinae Apostolicae adulterationem ac profanationem, cultus item Divini veri violationem antichristianam et obstinatos honestatis et tranquillitatis publicae turbatores,

ne feras omnino, sed eos coherceas punias et ad extremum plectas etiam, si aliter corrigi non queant.

In praestandis porro vocationis tuae officiis memineris semper, te Dei, non hominum ministram esse, ut intelligas in illis tibi sequendam esse omnino non equidem humanorum quorumcunque consiliorum prudentiam atque autoritatem, sed Dei ipsius mandatum et voluntatem. Non te in hoc vocavit Dominus ut cum tuis deliberes, num et quatenus Domino Deo tuo in legis suae Divinae custodia debeas obedire, sed ut ei in timore modis plane omnibus servias. Facessant abs te igitur qui in deliberationes qualescunque sive privatas sive publicas te vocant, ubi quando et quatenus Domino Deo tuo in tua vocatione servire debeas. Procul absint consilia leges et ritus publici omnes, quibus impediri debeas quoquomodo in tua vocatione, legis Divinae custodia. In politica Regni gubernatione pondus suum obtineant consilia leges et ritus publici, sed quod ad divina attinet, non sunt supra Dominum neque consilia neque patriae leges neque observationes ullae quamlibet publicae aut receptae. Comminui haec oportet omnia, sicubi ad lapidem nostrum electum, Christum inquam Dominum, impingant in doctrinae et cultus sui divini puritate.

Memini istic solitam vocari per iocum Theologiam Parliamentarem, quod in instauranda vera religione progredi ultra non daretur, quam Parliamento fuisset constitutum. At vero praestiterat fuisse Parliamentum Theologicum quam Parliamentarem Theologiam, hoc est, ut consultationes de restituenda vera religione omnes verbo Domini, non autem progressus instaurandae verae religionis ipsa Parliamenti autoritate gubernati fuissent. Alioqui iam sensisti tu ipsa, senserunt et tui omnes, quid secum attulerit toti Regno tuo Parliamentaris illa Theologia. Praeposterum est adeoque et iniquum, ne dicam impium, veritatem gubernari mendacio. Nec dubium est, humana omnia, quorum fontes in verbo Dei commonstrari non possunt, esse mendacia, perinde atque omnis homo in seipso mendax est, quemadmodum id et Propheta et Apostolus testantur. Aegre id quidem fert humana prudentia, ut in suis consiliis mendacii accusetur, neque istic defuerunt viri alioqui optimi et pientissimi, qui verbis hisce meis nonnihil offendebantur, quod humana eiusmodi omnia sub mendacium concluderem, sed si quem id offendat, eum certe non tam meis, quam Propheticis potius atque Apostolicis verbis offendi oportebit, ut interim taceam omnia omnium consilia, quantumvis publica denique ac speciosa, quae ullo prorsus modo veritatis obedientiam remorantur atque impediunt, τῆς βασκανίας accusari. Quare non alio tibi loco omnia omnium eius generis consilia habenda erunt, Regina clementissima! quam fatui Deo adversarii loco, quod Christus ipsemet Dominus Pharisaicae excoecationis causam fuisse affirmat.

Ut ergo ingens esse agnoscimus beneficium Dei, qui te ad Regium hoc fastigium mirabiliter evexit, Dominoque Deo nostro immortales gratias agimus hoc nomine omnes et tibi etiam Regnoque tuo toti et universae adeo Christianae Ecclesiae merito gratulamur, ita te tui etiam in praeeminenti hac vocatione officii pro nostra in te fide atque observantia reverenter admonendam esse duximus. Praeclare sane Platonicus ille Socrates duo

inter nos invicem amicorum genera constituit, alterum quod non tam nos ipsos quam nostra potius amat, alterum quod non equidem nostra sed nos ipsos observat, atque alterum hoc amicorum genus ab altero ita discernit, ut a priore illo maiorem eorum quae nostra sunt quam nostri ipsorum, ab altero vero maiorem multo nostri ipsorum quam eorum quae nostra sunt, curam haberi dicat. Nimirum qui nostra amant, non equidem propter nos illa, sed propter seipsos amant, ut illis frui possint; qui vero nos ipsos amant, non tam alioqui nos propter se quam propter nos ipsos potius amant, quia nobis benevolunt. Inde vero fieri etiam, ut rebus nostris secundis alii nobis de honorum ac fortunarum accessione duntaxat sine ulla nostri cura gratulentur, alii vero tum demum maxime sint soliciti pro nobis, necubi honorum ac fortunae nostrae accessione transverse agamur propter naturae nostrae corruptelam, dum nos et honoribus et fortunis maxime augeri vident. Ita igitur et Socrates tum demum se maxime pro suo Alcibiado solicitum fuisse ait, cum ad principatum Atheniensium vocaretur, quod nusquam plus esset periculi, quam in praestandis officiis iusti Magistratus. Ita et ego post ingentia patris tui, sanctissimae memoriae, collata in me beneficia facere non possum, quin sim plane solicitus, ne instaurationem religionis isthic humanae prudentiae consiliis sive privatis sive publicis vel ipsa subiicias vel subiici patiaris. Et memineris ad Reges dictum esse. »Iam ergo sapite o, Reges!" Et memineris rationem eius sapientiae, quam Deus a magistratu in sua Ecclesia requirit, non equidem ut deliberationes instituant de osculando filio Dei, multo minus ut deliberent, quatenus osculari debeant filium Dei in adventu ipsius, sed simpliciter ut demissis in terram capitibus illum osculentur, hoc est, ut illum agnoscant esse ipsorum Regem ac Dominum. Iubentur autem osculari filium Dei Reges, ut amplectantur disciplinam, non autem de amplectanda disciplina deliberationes instituant.

Quare quemadmodum vere et ex animo Domino Deo gratias ago et Tuae Maiestati totique istic florentissimo Regno et omnibus Christi Ecclesiis de praecellenti hac vocatione tua gratulor, ita facere non potui, quin huic gratulationi admonitionem officiorum Tuae Maiestatis adiungerem. Mitto igitur fratrem hunc in Domino, virum nobilem, Dominum Ioanuem Uthenhovium ad Tuam Maiestatem, ut nostro nomine de sublimi hac vocatione tua suppliciter tu gratuletur. Ita vero me Dominus morbo mihi immisso exercere dignatur, ut ipse manu mea has literas absolvere non potuerim, sed coactus sim alterius manu eas absolvere. Dedi autem in mandatis eidem ipsi Domino Uthenhovio, ut per medium Illustris ac Pientissimi Domini Comitis Bethffordiae, Praesidis consilii Maiestatis Tuae, petitiones quasdam meas Tuae Maiestati exponat, ad quas petitiones meas suppliciter oro, ut clemens et benignum responsum obtinere possim. Si valetudo mea passa fuisset, pluribus ad Tuam Maiestatem scribere non defuisset argumentum. Nunc oro ut hoc meae in Tuam Maiestatem observantiae officium boni consulere pro sua pietate et clementia dignetur.

Quod superest deprecor a Deo Optimo Maximo Tuae Maiestati ea quae

initio literarum sum praefatus, et me totum officiaque quae a me praestari possunt suppliciter offero et commendo. Datum in Dembiani, die prima Septembris A. D. MDLIX.

Mitto Maiestati Tuae meam Responsionem adversus calumnias [H]osii, titulo Varmiensis Episcopi.

Tuae Sacrae Maiestatis Regiae addictissimus servitor
IOHANNES à LASCO, manu plane languida.

[1]) Apograph.: *ut.*

N°. 135. [Ex Arch. Secr. reg. Regiom.]

Ad N. N.

.... Nos hic ceremoniarum externarum nullas certas leges praescribimus, sed libertatem permittimus ecclesiis illas variandi, ut constet libertati sua ratio, ita tamen ut harmonia quaedam illarum, varia sane, sed minime dissona interim retineatur. In doctrinae consensu retinendo magis solliciti sumus, ad quem et sectarios quantum in nobis est reducere modis omnibus conamur. Huius epitomen [1]) tibi quemadmodum petiisti, mitto, sed hac lege, ut apud te maneat, neque enim in hoc scripta est ut invulgetur, neque ita in ordinem redacta adhuc, ut illam redigi oporteret, si invulgari deberet. Nam in Baptismi et Coenae explicatione, primum fines colligi debebant, deinde secundum illos mysteria quoque exponi et in explicanda legis ac promissionum vi quaedam clarius adhuc tractanda essent, ne infirmiores et parum exercitati in mysteriis divinis offendantur. Habentur enim illic nonnulla a receptis vulgo dogmatis nonnihil diversa, sed interim vera et non aliunde quam e verbo Dei petita et deducta [2]). .....

[1]) Sc. *Epitome doctrinae,* ed. nostr. Tom. 1. in fine. [2]) Nonnisi fragmentum est, quod tamen omittere nolui, quia historiam *Epitomae doctr.* satis luculenter illustrat. Referenda est ad a. 1545.

N°. 136. [Ex Arch. Secr. reg. Regiom.]

Ad DUCEM PRUSSIAE.

Illustrissime Princeps ac clementissime Domine!

Ab eo tempore quo clarissimus ille vir Ioannes à Lasco maritus meus e terris in patriam caelestem migravit, semper habueram in animo ad Illustrissimam Celsitudinem tuam scribere ac literis ea testari, quae praeclare

de Illustrissimae Celsitudinis tuae virtutibus et pietate praedicare ac iucunde multis audientibus enarrare solebat maritus meus dum viveret. Sed luctu ac moerore quem ex eius morte conceperam partim impedita, gravissimis etiam et difficillimis negotiis occupata, quod institueram facere, oblita sum. Nunc vero tandem memor illius summae benevolentiae amoris ac studii Illustrissimae Celsitudinis tuae, quo Illustrissima Celsitudo tua maritum meum, virum illum eximium, non solum ob pietatem, sed etiam ob generis splendorem complectebatur, sic ut omnino charissimus Illustrissimae Celsitudini tuae esset, sane optimum factu esse duxi, si tam me viduam quam prolem eius, pignora ab eo mihi relicta, Illustrissimae Celsitudini tuae commendarem. Tanti enim momenti amicitiae vim apud Principem virum, tantaque pietate aliisque raris ornamentis vere inclytum, valere puto, ut illius liberos aliquem usumfructum sentire non sit iniquum. Et sane si liceret absque aliqua adulationis nota virtutes Illustrissimae Celsitudinis tuae amplificare, ac amicitiam illam quae inter Illustrissimam Celsitudinem tuam et maritum meum Ioannem à Lasco intercesserat dicendo exornare, lubenter facerem. Sed cum illa Illustrissimae Celsitudini abunde testata sit, puto quod potius eam in pectore atque mente reponi cupit, quam verborum lenociniis efferri. Itaque me converto ad illud quod modo attigi, nempe cum hic multis angustiis afflicta sim liberisque onusta, parumque auxilii ab iis, qui nobis adesse deberent, in dies experiar, Illustrissimae Celsitudinis tuae nunc opem implore petoque ut pro illa insigni benevolentia, qua Ioannem à Lasco prosequabatur, velit saltem et in me vidnam miseram liberosque eius rivulos aliquos liberalitatis suae Illustrissima Celsitudo tua derivare. Sic enim rebus meis tenuissimis succurret et ad litterarum studia — quod prae tenuitate facultatum mearum facere nequeo — liberos meos promovebit. Sed de istis rebus prolixius agere apud Illustrissimam Celsitudinem tuam nolo, quum confido pro sua pietate et virtute ac memoria mariti mei facturum. Deus vero Illustrissimae Celsitudini tuae praemia digna referet. Verum antequam finem imponam, peto obnixe ab Illustrissima Celsitudine tua, ut hanc meam ad Illustrissimam Celsitudinem tuam scribendi libertatem aequissimo suscipiat animo. Hoc enim feci, partim freta singulari favore ac clementia Illustrissimae Celsitudinis tuae, partim etiam impulsa dure necessitatis telo quo premor. Faelicissime vale, Illustrissime Princeps! Dominus Deus faxit, ut diutissima valetudine Illustrissima Celsitudo tua ad totius populi tui salutem ac Ecclesiae Christi propagationem fruatur. Datum Pinczoviae, oppidulo Polonorum, 14 Iunii Anno Domini 1564. [1]

Illustrissimae Celsitudini tuae deditissima vidua
KATHARINA à LASCO.

---

[1] Hanc quoque ep. syllogae nostrae inseruimus, quia tristem eius viduae vitae rationem tam egregie ob oculos ponit. Vitiosam latinitatem viduae facile ignosces!

EPISTOLARUM CONSPECTUS.

.I.

1549.

1550.

1551.

1552.

FINIS TOMI II.

